
DE CULTU SANCTORUM
DISSERTATIONES DECEM,
Quibus accessit Appendix de Cruce.

A U C T O R E
D. JOANNE CHRYSOSTOMO
TROMBELLI BONONIENSI,
Canonico Regulari Congregationis Rhenanæ Sanctissimi Salvatoris, atque Abbate.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIV
P. O. M. DICATÆ.

TOMI II. PARS ALTERA

Complectens Dissertationem IX.



BONONIÆ, MDCCXLIII.

Ex Typographia Laurentii Martelli. *Superiorum Facultate.*

INDEX
CAPITUM,
Quæ in hac altera secundi tomi parte continentur, cum suis argumentis.

DISSERTATIO IX.

CAP.

CAP.

(*) Typographi errore caput hoc sic inscribitur, cum XLIV. inscribi debuisset. Eadem re si reliqua capita recte numerare oporteat, addenda est singulis unitas. Nos nihilo minus veretes, ne id Lectori valde incomodum sit, capita, quæ sequuntur, numeris notabimus, quibus a Typographo notata sunt.

✻ ✻ DE

CAP.

Vidit D. Aurelius Castanea Clericorum Regularium Sancti Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIV. Papa, & Archiepiscopo Bononiæ.

Die 21. Aprilis 1741.

Ad Ad. R. P. Lectorem Publicum Alexandrum Cialli, Ordinis Cœlestinorum, ut videat, & referat pro S. Officio.

Fr. Bonaventura Maria Grossi Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

Vidit D. Alexander Cialli, Lector publicus Ecclesiasticæ Historiæ in Bononiensi Universitate, pro Sancto Officio.

Stante hac attestatione. Die 17. Junii 1741.

IMPRIMATUR.

Fr. Bonaventura Maria Grossi Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

Addenda

Addenda, ac mutanda.

Capite II. §. 22. verbis illis *ut Deo facerent*, hæc adde. Utcunque sit, Philostorgio adhibitum sacris imaginibus cultum displicuisse, ex eo fortasse assequimur, quod de statua Servatoris Nostri Paneade erecta, sermonem habens, hæc tradat: (*) *Statuam vero in diaconico Ecclesiæ collocarunt, competentem ei curam, atque observantiam deferentes: nequaquam tamen eam colentes aut adorantes: neque enim fas erat æneam, aut aliam quamlibet materiam adorare.* Sed cum non una Arianorum opinio esset, neque una consuetudo, quis ex unius Philostorgii (si ei displicuisse volumus delatum sacris imaginibus cultum) quis, inquam, ex unius Philostorgii sententiâ reliquorum omnium Arianorum sententiam, ac consuetudinem certo dijudicet? Sed de hoc ipso Philostorgii testimonio alibi dicemus. Jam ad reliquos me converto.

(*) *in excerptis.* lib. 7. n. 3. Valesio intergrete.

Capitis LXI. paragraphum 16. hoc modo lege. Ab Agnello Ravennate discimus, jussu Gallæ Placidiæ sanctitatem Petri senioris hac ratione honorantis, ejusdem Petri effigiem fuisse formatam. [*] *Infra Ecclesiam B. Johannis Evangelistæ jussit Galla Placidia, pro illius sanctitate, ejus effigiem tessellis exornari in pariete tribunali post tergum Pontificis supra sedem, ubi Pontifex sedet &c.* [*] Ursi etiam Episcopi sanctitate præstantis effigiem, similem ob caussam fuisse efformatam, idem Agnellus innuit.

(*) in Vita Petri I. cap. 3. pag. 57. partis 1. to. 2. *rer. italic.*

(*) in vita S. Ursi pag. 51.

§. II. Capitis LXXII. hæc adde. Solutionem hanc nostram illustrat, ac roborat illorum Armenorum consuetudo, quos vetustiorum rituum retinentiores quædam a Græcis alienatio fecit: hos enim superiorem Sanctuarii partem picturis ornare solere, testatur le Brun, ad quem Lectorem allego. (*)

(*) *rer. Litur.* to. 3. disser. 10. ar. 7. pag. 30. editio. Veron. *L' alto del Santuario è tutto di belle pitture adornato.*

DISSER-

DISSERTATIO VIIII.

De Sanctorum Imaginibus.

PRÆFATIUNCULA AD AUDITORES.

A*D metam accedimus optimi adolescentes, & qui finem longissimæ, interdum etiam difficilis tractationis optastis, brevi assequemini. Sic materiam sane uberem distribuam. Primas dabo definitioni, & divisioni imaginum. Tum ad disputationem statim descendam. Quoniam vero ad eam, de qua agimus rem dilucidandam, plura de imaginibus noscamus est opus, non ad Sanctorum tantum imagines coarctabo disputationem, verum etiam ad alias, quum opportunum videro, eam ampliabo. Porro primaria, & veluti suprema capita præsentis controversiæ sunt consuetudo retinendi, & consuetudo colendi imagines. Ac primùm quidem de prima, tum de secunda consuetudine disseram.*

DISSERTATIO VIII.

CAPUT PRIMUM.

Traditur Imaginis definitio: tum de divisione imaginum agitur. Cujus rei occasione de vocabulis Idolum, *&* Simulacrum *differitur.*

I. SI rei illius, de qua disputatio suscipitur, notio in primis tradenda est: imaginis notionem in limine ipso disputationis, que de imaginibus instituitur, edisseramus necesse erit. Porro S. Joannes Damascenus (*a*) sic definit imaginem. *Est similitudo sic exemplar exprimens, ut ab eo tamen aliqua re, differat* Definitionis hujusce rationem, & veluti causam intimam affert quum hæc addit. *Neque enim imago in omnibus exemplaris similis est*. Videtis itaque judice Damasceno tria ad imaginem quamlibet requiri, & illius veluti notionem efficere: rem quæ repræsentatur, rem quæ repræsentat, & similitudinem, seu convenientiam, quæ si absit, repræsentatio, & relatio nulla est. Damasceni sententiam plerique scholastici amplexi sunt, a quibus quidem dissidere necesse non est.

(*a*) oratione prima *adversus imaginum oppugnatores* Zino interprete. pag. 9.

II. Divisionem aggredior. Porro innumera plane sunt divisionum capita. Aliqua ex primariis, potissimisque indicabo. Alia imago est, quæ *mutua* appellatur: *non mutua* dicitur alia. Ad primum genus eæ omnes spectant, e quibus una exprimit aliam, & vicissim ab alia exprimitur. Hoc modo ovum exprimit aliud ovum, & illius ipsius, quod imaginem diximus, imagines alia sunt ova. Homo etiam sicut repræsentat alios, & eorum quos repræsentat imago est, ita repræsentatur ab aliis, & imaginem habet in iis ipsis, quorum ipse imago fuerat. Quæ *non mutua* dicitur, ea est, que exprimit quidem, & repræsentat rem aliam, sed ab ea re non vicissim repræsentatur. Hoc modo Cæsaris statua, aut pictura Cæsarem repræsentat, illiusque imago est, sed Cæsar imago statuæ, & picturæ non est.

III. Dividitur quoque in naturalem, & artificialem; permanentem, & fugitivam; aliisque infinitis propemodum divisionibus subditur imaginum genus. Harum partem aliquam indicat Joannes Damascenus (*b*) quos hac in re Scholastici fere sequuntur. Unum hic referam divisionum genus, quod in eo, quod agimus, argumento maxime præstat: est vero illud, quod imagines in sacras dividit, in indifferentes, & profanas. Sacræ dicuntur vel propter exemplar sacrum quod referunt, vel saltem propter usum sacrum: (audivi enim qui imagines tametsi per se indifferentes in templo positas, sacrisque usibus inservientes sacras appellaret.) Indifferentium vocabulo intelligi consueverunt eæ, quæ rem neque probam, neque improbam repræsentant, sed (uti aiunt) indifferentem, veluti hominem, aut bovem. Monent tamen apte nonnulli eam ipsam imaginem, quæ indifferens est, fieri posse aut probam, aut improbam ex fine, & usu probo, aut improbo. Profanæ denique sunt, quæ rem profanam, & ut fere hic accipiunt, irreligiosam exhibent. Imagines falsorum numinum in harum numero primas tenent, & ab Ecclesiasticis scriptoribus *idola*, ac *simulacra* fere appellantur. Quæ voces (fateor) olim multo latius accipiebantur, & sæpissime id ipsum, quod imagines significabant: adeo ut Epicurus, & illius asseclæ *idola*, & *simulacra* appellarent eas imagunculas, quas ex rebus quibuslibet jugi effluxu decerpi putabant. (*c*) (Quam sane significationem voci huic *simulacrum* tribuit Lucretius, dum hæc eloquitur. (*d*)

.... rerum simulacra vocamus:
Quæ quasi membranæ summo de Corpore rerum
Dereptæ volitant ultro, citroque per auras.)

Et ad fugitivas etiam imagines significandas extendebantur. Hinc Virgilius (*e*)

Infelix simulacrum, atque ipsius umbra Creusæ (*f*)

Ecclesiasticorum tamen Scriptorum consuetudo (quod nuper dixi) in mala significatione nomina hæc fere accipit. Sic Paulus Apostolus (*g*) *de Escis* (inquit) *quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in Mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus.*

IV. Simulacrum vero fere redditur a Latino Bibliorum interprete, quod εἴδωλα erat in græco; veluti in versiculo quarto psalmi 113. *Simulacra gentium argen-*

(*b*) oratione prima *adversus oppugnatores imaginum*. p. 9.

(*c*) Vide hac in re Gassendum copiosissime disserentem pag. 144. tomi 2. philo. Epicu.

(*d*) l. 4. v. 34.

(*e*) 2. Ene. v. 772.

(*f*) Alia exempla addere si vis, ea tibi facile præbebunt latina lexica. Tu illud in primis consule, quod Clarissimus Facciolatus adornavit ad voces *idolum*, & *simulacrum*. Vide etiam, quæ tradit Petavius 15. de incarna. cap. 6. §. 4.

(*g*) 1. Cho. 8. 4.

tum, & aurum: & alibi (*b*) *Ut abstineant se a contaminationibus Simulacrorum*: Rursus prima Joannis Epistola cap., & versiculo postremis: *custodite vos a Simulacris*: & alibi etiam. Ad quæ loca respexisse videtur Augustinus, dum hæc ait: „ (*i*) Eodem „ namque operante Spiritu, etiam hoc dici oportuit, „ quod dictum est: *Dii gentium dæmonia*, ut intelligeremus sic etiam in Hæbreo positum. *Dii gentium Simulacra*, ut dæmonia potius, quæ sunt in Simulacris significarentur. Nam quod adtinet ad ipsa Simulacra, quæ græce appellantur idola, quo nomine jam utimur pro latino, oculos habeat, & non vident, & cetera, quæ his dicuntur, quia omni „ sensu carent. „

V. Hanc autem vocis usurpationem, limitationemque non temere fuisse inventam, retentamque a nostris Scriptoribus tum alii quidem multi, tum certe Vasquez, (k) & Bellarminus (*l*) præclaris monumentis ostendunt. Ad eos Lectorem allego.

(*b*) Act. 15. v. 20.

(*i*) in psal. 135. ad vers. 3. n. 3.

(*k*) disp. 101. in teriam partem D. Thomæ.

(*l*) de imagini. c. 5.

C A P. I I.

Recensentur hostes Sacrarum Imaginum.

I. TAm etsi porro vetusto, jugique Ecclesiæ more retentæ, cultæque sacræ imagines fuerint: (quod argumentis perspicuis deinceps ostendemus) non propterea idem mos hostibus caruit: immo cum multos, tum sævos habuit. De his historiam texere nonnullis placuit, atque in primis Maimburgo, ad quem amando lectorem, qui cumulatissime erudiri ea de re cupiat. Multa etiam hoc de argumento disputant Baronius, Pagius, Labbe, (*a*) Petavius, (*b*) Christianus Lupus, (*c*) Hermantius, (*d*) Baldinus quoque, Sommier, Bencinus, aliique Viri clarissimi, qui nuper elaboratam Anastasii Bibliothecarii editionem annotationibus decoraverunt suis: (*e*) Nec prætermittas opto, quæ Natalis Alexander in historia sæculi VIII. edocet. (*f*) Pauca ego differam, nihil hic de hostibus imaginis Crucis loquens (nam de his aptius alibi sermonem instituam) sed eos tantummodo indicans, quos notiores eorum fecit error.

(*a*) in monito præposito Conc. Nic. II. pag. 645. to. 8. Concil.
(*b*) de incarn. lib. XV. cap. XI.
(*c*) in differtat. de septima Synodo generali cap. VI., & subsequentibus.
(*d*) in Historia Hæresum ad Verbum *Iconoclastæ*.
(*e*) ad sectionem 184. & 186. to. 4.
(*f*) cap. 2. art. 1. §. 1. pag. 662.

II. Tria

II. Tria, ut norunt omnes, de sacris imaginibus proponit Ecclesia: cum laude eas fieri, retinerique a Fidelibus: recte, probeque in templis collocari: merito denique coli.

III. Ut a primo exordiar, Manichæis, Marcionitis, Arianis, Novatianis, Encratitis, aliisque fortasse hujus generis hominibus sacras imagines displicuisse videntur tradere Theodorus Episcopus Catanæ, & reliqui Siciliæ Episcopi: Epiphanius quoque Diaconus Catanæ. En quæ discimus ex actis Concilii Nicæni secundi. (g) *Theodorus Deo amabilis Episcopus Catanæ, & qui cum eo Sanctissimi Episcopi Siciliæ, una cum Epiphanio diacono Civitatis Catanæ, & locum retinente Thomæ Episcopi Sardiniæ dixerunt: quia Canones Sanctorum Patrum, qui lecti sunt, tam de Novatianis, & Encratitis, quam de Arianis dicti sunt, hujus hæreseos censores; (h) cum quibus taxabimus? Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Invenimus, & Manichæos non recipientes iconas, & Marcionitas, & eos qui confundunt Christi naturas: quorum primus est Petrus Gnapheus, & Xenajas Hierapolitanus hæretici, sed & Severus.*

(g) Actione I. pag. 723. tom. 8. interprete Anastasio Bibliothecario.

(h) Vertunt alii *Auctores, & Magistros.*

IV. At Tarasius Constantinopolitanus Episcopus (i) alios indicat ejusdem erroris aut auctores, aut certe consectatores hæc inquiens: *Hebræos, & Saracenos, Gentiles, & Samaritas, insuper, & Manichæos, atque Phantasticos, id est Theopaschitas imitantes, voluerunt exterminare venerabilium imaginum visionem &c.*

(i) In ipso fere actionis V. initio pag. 998. & 1438.

V. Verum tametsi (quod ante me animadvertit Petavius (k)), non modo Judæos, ac Samaritanos, ac Saracenos sed etiam Gentiles, atque hæreticos multos Tarasius commemoret, non eadem tamen fuit omnium causa. Gentiles ab imaginibus sacris fingendis, retinendisque non propterea abhorrebant, quod facere, retinereque imagines nefas esse arbitrarentur, sed quod eorum, quorum effigies Christiani exprimebant, & vultus oderant, & memoriam. Hebræi vero, & Samaritani imagines a Christianis expressas ferre non poterant, tum quia eos, qui in his exprimebantur (Christum nempe, Mariam, & Sanctos reliquos) odio habebant, tum etiam quia ab omnibus omnino imaginibus jam dudum aversari consueverant. Saraceni vero Judæorum opinionibus magna ex parte addicti ab imaginibus quibuslibet faciendis alienissimi fuisse videntur; quamvis si

(k) 15. de incarn. cap. 12. §. 2.

tivam Christi carnem introducens . . . . *Encratitarum vel acerrimus hæresiarches*. At Tatianum legi vetant doctissimi ii viri, qui nuper Veronæ S. Hieronymi opera typis edidere, (*) & substitui jubent Tatiano Cassianum; Julium scilicet Cassianum, qui referente Clemente Alexandrino (t) Docetarum princeps fuit. At si eundem hominem esse non vis, qui & Cassianus ab aliquibus, ab aliis Tatianus appellatus fuit: (*) (facilis enim ea nominum mutatio fuit, præsertim quum noverimus eandem litteram varie pronunciatam fuisse a variarum regionum incolis, ideoque etiam varie scriptam ab iis, qui ex dictantis voce excipiebant:) Si eundem, inquam, hominem esse non vis, dicere poteris duos fuisse ibi indicatos: Julium Cassianum, qui Docetarum princeps fuit, & Tatianum procul dubio Encratitarum antecessorem. Et sane particula *vel* Sæculo quarto conjunctionis vim obtinuerat, quod infinitis propemodum exemplis comprobare possem, nisi id eruditis omnibus exploratum foret, & compertissimum. Præterquam quod ille idem Julius Cassianus, qui Docetarum ductor fuit, Encratitarum hæresiarches dici potuit a Hieronymo eadem fere significatione, qua Cajanos Vigilantii Magistros dixit, (u) quatenus scilicet a Julio Cassiano sumpsere Encratitæ dogmatum suorum semina. Utcunque se res habeat: adeo ferre non poterat Tatianus catholicam sententiam docentem a Verbo veram carnem fuisse assumptam, ut ab eo libro, quem *de concordia* scripsit, genealogias resecuerit, & argumenta reliqua, quibus ostenderetur Christum descendisse a Davide *secundum carnem*. Id testatur Theodoretus. (x) Hinc inter hostes sacrarum imaginum annumerari potuere Encratitæ, propterea quia, humanam Christi formam coloribus aut ære exprimi non paterentur, quod veram carnem, quam referret color, aut æs, Christum non habuisse arbitrarentur.

VIII. Num Novatiani inter sacrarum imaginum osores collocari debeant, an non; statuere non audeo. Sane hac de re neque Augustinus, neque Epiphanius, neque alii veteres de Novatianis agentes, quos ego quidem consulere potuerim, quidquam docent. Tantum inveni in Photii Bibliotheca (y) a Novatianis Alexandriæ Sancti Eulogii tempore (ideoque anno

for-

(*) tom. 7. pag. 526.

(t) 3. stroma. pag. 552. editio: Potteri n. 13.

(*) Tatianus sane *Encratitarum Patriarches* dicitur a Hieronymo in præf. Comment. in Epist. ad Tit.

(u) Vide quæ diximus disser. 2. cap. 3. §. 3.

(x) cap. 20. libri primi *hæreticarum fabularum*, in quo quidem capite de *Tatiano*, *& de Hydroparastis*, *& Encratitis*, *seu Encratitis agit*.

(y) cap. 280. pag. 1617. cap. 282. pag. 413.

fortasse 580.) morantibus Martyres fuisse contemptos; & prohibitos populos, ne eorundem Martyrum reliquias colerent. Porro ii, qui Martyres temnunt, prohibentque, ne eorum reliquiis honor deferatur, facile adduci poterunt, ut eorundem etiam Martyrum imagines aversentur, vetentque honorem illis, cultumque adhiberi.

IX. Qui Arianos inter Iconoclastarum antecessores enumerant, respexisse videntur vel ad eam epistolam, quam Eusebius Cæsareensis (inter Arianæ hæreseos principes in Nicæno II. Concilio enumeratus) aut revera ad Imperatricem Constantini Sororem scripsit, aut certe scripsisse creditur; vel potius ad Eunomium, & Eunomii discipulos, & consectatores, quibus (ut alibi vidimus) Sanctis adhibita veneratio displicuit mirum in modum. Facile enim Sanctorum imagines odisse hi potuerunt, præsertim quum ad Sanctorum cultum eæ deducant. Num alii Ariani Eunomio, & Eunomianis minus improbi sacras imagines fuerint aversati, an non, me ignorare fateor. Multi sane ex Arianis cultum Sanctis detulere, ideoque propterea Sanctorum imagines non improbarunt, quod per eas ad Sanctorum cultum Christiani facile deducerentur. Quin etiam Baronius Vir sane, si quis alius, in veterum auctorum lectione detritus (z) tradidit Ecclesiam S. Agathæ Gothorum a Ricimere Ariano ornatam, picturis etiam ab eodem Ricimere fuisse decoratam. At, ne quid dissimulem, hac in re hallucinatum fuisse Baronium nos docet Baldinus accuratus, & elegans Scriptor. (aa) Et revera Hadrianus Romanus Pontifex ad Carolum Magnum scribens Gregorio M. indicat fuisse factas picturas illas, quas Ricimeri Baronius tribuit. (1) Tamen sacras Imagines omnino, ut arbitror, non oderunt; adhibitum tamen iis cultum improbasse severiores saltem Arianos ex Philostorgii deinceps allegandi verbis nonnulli eruunt. At reliquos prosequamur.

(z) ad annum Christi 472.

(aa) in annotationibus ad Anastasium Bibliothecarium, ad sect.113.to.4.pag.2.

X.

(1) *Post miraculum, quod in eodem Ecclesia factum est, diversis historiis ipse B. Gregorius pingi fecit eam, tam in musivo, quam in coloribus, & venerandas imagines ibidem erexit, & a tunc usque hactenus venerantur.* Hadrianus Papa in Epistola ad Carolum Mag. to. VIII. Concil. pag. 1592.

X. Num Petrus Gnafeus ipfum imaginum genus, ideoque Sanctorum etiam effigies ære, aut tabula expresfas oderit, an non, haud fatis fortafse liquet. Profecto inter eos potiffimum locum obtinuit, qui utramque in Chrifto naturam agnofcere noluere. Mira etiam illius cum Xenaja (de quo mentionem mox faciam) animorum concordia, & fententiarum affinitas fuit, adeo ut valde probabilis eorum fit opinio, qui putant, ficut reliquos errores ii habuere communes, fic etiam fummo utrumque in facras imagines odio exarfiffe.

XI. Indubitatum eft porro, & Theophanis, atque Anaftafii Bibliothecarii teftimonio compertiffimum, ftuduiffe Xenajam, feu (ut vertit Anaftafius) Xenochiam perditiffimum hominem, dum Zeno Imperium obtinebat, ut Chrifti, Sanctorumque imagines omnes delerentur, & perderentur. *Xenajas Satanæ mancipium, Domini Sanctorumque imagines profcribendas, & amoliendas docebat*. (inquit Theophanes. (*bb*)) *Xenochias* (ait Anaftafius) (*cc*) *fervus Satanæ, Dominicam, & Sanctorum dicebat non recipiendam imaginem*. Hujufce Xenajæ opinionem paulo latius explicat Joannes Diacrinomenus (*dd*) in fua ecclefiaftica hiftoria: En quæ doceat ille interprete Anaftafio Bibliothecario ,, (*ee*) ,, Non enim afferebat Xenajas, Angelos, cum incor- ,, porei fint, corpora facere, & quafi in humanis ,, formis exiftentes corporeos formare, fed nec illud ,, exiftimare, honorem, aut gloriam impendere Chri- ,, fto imaginem ei per picturæ artem (*) effice- ,, re: effe autem illi folam acceptabilem noffe *in fpi-* ,, *ritu, & veritate adorationem* ,, Et poft alia ,, Noffe ,, autem dicit & illud, effe puerilis fenfus, fingere in ,, columbæ idolo fanctiffimum, & adorandum fpiri- ,, tum: præfertim cum evangelicæ nequaquam tradant ,, litteræ, quia factus eft columba fpiritus, fed quia ,, in fpecie columbæ apparuit aliquando: quia vero ,, difpenfatorie, non fubftantialiter femel oftenfus eft, ,, non ideo aptum piis eft corporis idolum faciendi. ,, Hoc Philoxenus docens, una cum doctrina etiam ,, opus patrabat. Crebro namque Angelorum imagi- ,, nes quidem deponens delebat; eas vero, quæ Chri- ,, ftum figurabant, in abditis locis occultabat.

XII. Xenajam hunc (quem Manichæorum dogmati

(*bb*) Pag. 115. editio. Parifien. 92. Venetæ.

(*cc*) In hiftoria ad annum Incarn. 482. pag. 15.

(*dd*) Ideft fegregatus: fic enim vocabantur, qui Synodum Chalcedonenfem non recipiebant ex Leontio de *Sectis*.

(*ee*) tom. VIII. Concil. pag. 1019. actio. V. Concilii 2. Nicæni.

(*) effectam.

addictum fuisse testatur Theophanes) *(ff)* adjutorem fuisse novimus Anastasio ad *extirpandam sanctam synodum Chalcedonensem*, aliorumque gravium malorum auctorem, ob quæ a Justino postea in exilium est actus. En quis fuerit is, quem Iconoclastarum antecessorem, & antistitem præcipuum nonnulli appellarunt.

XIII. Imagines confractas fuisse a Sereno illo Massiliensi Episcopo, ad quem nonnullas epistolas scripsit S. Gregorius Papa, comperta res est. Atqui dum Serenum reprehendit Gregorius, propterea imagines confregisse eum ait, quia easdem imagines adorabant populi: quod cum fieri Serenus nollet, imagines propterea is sustulit, & confregit. Dum porro Gregorius illum redarguit, jubet quidem, ne deinceps imagines perdat, neque prohibeat eas a populis fieri: (*Atque indica* (inquit Gregorius (*)) *quod non tibi ipsa visio historiæ, quæ pictura teste pendebatur, displicuerit: sed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita* .... *Et si quis imagines facere voluerit, minime prohibe: adorari vero imagines modis omnibus veta.*) at nihil dicit de falsa aliqua persuasione, qua Serenus detineretur.

XIV. Porro gravissimum tum sacræ imagines subiere discrimen, quum Leo Isauricus (Conon antea dictus) imperium est assecutus. Scilicet, (quod valde probabilia veterum historicorum monumenta testantur) *(gg)* ut fidem exsolveret, qua se cum impostoribus Judæis obstrinxerat [pollicitus nempe, si, quod prædixerant illi, imperium assecutus is fuisset, sacras imagines se perditurum] imperium adeptus, re vera perdere sacras imagines studuit, omnemque adhibuit curam, ne ullas in sua ditione esse sineret, obsistentibus illi aliis quidem multis, sed præsertim Germano Constantinopolitano Patriarcha, & Gregorio II. Romano Pontifice, qui sæpe, sed frustra monitum, convocato demum Romæ Concilio, eum anathemate perculit, Italosque (nisi Virorum optimorum opinio nos fallit) ab illius dominio exemit. *(hh)* Eo mortuo regnavit Constantinus ille, quem *Copronymum* (id est *stercorarium*) dixere, propterea quia stercore sacras aquas, dum baptizaretur, infecit, qui paternam impietatem non modo æmulatus est, verum etiam superavit: sacras nempe imagines, &

(ff) Vide Theoph. pag. 131. Pari. edi. Venetæ 105. Rursus vide Theoph. pag. 182. Pari. edi. Venetæ vero 102. Vide etiam quæ idem tradit pag. 141 Pari. edi. Ven. 113.

(*) lib. IX. Epist. 9. aliàs XI. Epist. 13.

(gg) Vide lib. XV. Anna. Zonaræ cumulatissime hoc de argumento disserentis: De quo ipso agunt Cedrenus, Theophanes, Anastasius Bibliothecarius, aliique veteres.

(hh) Vide quid hoc de argumento tradant viri illi doctissimi, qui Anastasium Gregorii II. vitam describentem comentarjs illustrarunt: atq. in primis quæ tradunt Baldinus, & Sommier. Obsistunt autem huic opinioni Natalis Alexander, aliique Galli scriptores.

& reliquias execratus, harum multas conjecit in aquas, aut sterquiliniis abdidit ad contumeliam, nihilque omisit, quod ad easdem tum imagines, tum reliquias, earumque defensores perdendos conferre posse arbitraretur. Concilium propterea multorum Episcoporum eâdem fęce infectorum coegit, à quibus statutum est sacras imagines minime honorandas esse, imo neque faciendas: En quæ tradiderint Episcopi de Christi imagine (ii) *Si quis Dei Verbi naturæ, & carnis inseparabilem per subsistentiam factam unitionem .... in imagine pingere tentat, nominans eam Christum [Christi autem nomen Deum, & hominem significat; ac per hoc confusionem duarum naturarum portentose fingens] anathema. Si quis dividit unitam verbi Dei subsistentiæ carnem, in sensu puram eam habens, & ex hoc pingere illam in imagine studens, anathema.*

(ii) Referuntur hęc verba sub finem -ctionis sextæ Concilii Nicæni 2. to. 8. pag. 1170.

XV. Generatim vero nullas Sanctorum imagines exprimi sinunt his verbis. (kk) *Si quis universorum Sanctorum effigies in imaginibus inanimatis, & surdis ex materialibus coloribus titulari studuerit, nullum profectum ferentes [vanum enim est commentum, & diabolicæ argumentationis inventio] & non magis horum virtutes per ea, quæ in scripturis de illis insinuantur, veluti quasdam animatas imagines in se depingit, & ad similem illis ex hoc erigitur zelum, quemadmodum divini patres nostri dixerunt, anathema.*

(kk) Ibidem pag. 1175.

XVI. Constantinum Copronymum in imperio subsecutus est Leo filius ejusdem Constantini, minus quidem Patre impius, non tamen a Patris, & avi hæresi alienus. Eo quinquennio post vita functo, imperare cœpit Constantinus cum matre Irene. Horum opera adnitentibus quidem in primis Tarasio ad Constantinopolitanum Episcopatum nuper promoto, & Hadriano Romano Pontifice, qui statim legatos misit, in Nicæna Urbe ea Synodus coacta est, quæ septima generalis est appellata, confirmataque in ea vetusta pietas, quæ fingendas, honorifice retinendas, venerandasque sacras imagines statuit.

XVII. At non propterea desiit error ille, qui provincias jam multas, populosque infecerat. Carolo Magno imperante Claudius Taurinensis Episcopus inter sacrarum imaginum hostes merito enumeratus est. Ut is subjectos sibi populos ab earundem imaginum cultu

averteret, eas comminuit, & confregit, ne crucibus quidem ipsis parcens, quas tamen perdere, confringereque ausi non sunt ii ipsi, quos Iconoclastas appellavit antiquitas. Hæc discimus ex Jona Aurelianensi in (*ll*) ipso fere libri primi initio (*mm*) id attestante: ex cujus quidem verbis, quænam fuerit circa sacras imagines Claudii sententia, manifesto liquet: deinceps vero (*nn*) quantum Crucis venerationem improbaret, his verbis, quibus Catholicos sugillat, apertissime indicat; *Sed dicunt isti falsæ religionis, atque superstionis cultores. Nos ob recordationem Salvatoris nostri crucem pictam, atque in ejus honorem imaginatam colimus, veneramur, atque adoramus . . . . Contra quos respondendum est: quia si omne lignum schemate Crucis factum volunt adorare pro eo quòd Christus in Cruce pependit, & alia multa illis convenit adorare, quæ Christus egit per carnem . . . . Adorentur ergo puellæ Virgines &c.*

(*ll*) To. 4. Bibliothecæ Parif. anno 1644. p. 1. col. 536.
[*mm*] nempe pag. 530. & 540.
(*nn*) pag. 551. & subsequentibus.

XVIII. Dum Romanæ Ecclesiæ præerat Benedictus III., & imperium Lotharius haberet, impius presbyter Anastasius, qui a Leone Pontifice *excommunicatus*, & *depositus* cupiit Benedicto vero Pontifice ejecto Romanus Pontifex fieri., „ Is ingrediens (ut verbis Anastasii Bibliothecarii utar [*oo*]) Urbem Apostolorum, repente, quam non debuerat, Principis introire Basilicam, Dei parvi pendens judicium, audacter invasit, tantaque, ac talia infaustæ operationis mala peregit, qualia nec Saracena in ea perficere manus præsumpsit, vel arbitrata est. Imagines enim confregit, ignique concremavit, & Synodum, quam supra Sanctuarii januas beatæ memoriæ Leo pingi Papa jusserat, destruxit, Dominique Jesu Christi, ejusque semper Virginis Genetricis iconam bipenni, quod non debuerat, ad ima dejecit; pro quo detestabili opere orthodoxæ cuncti cultores fidei lacrymas fundentes, ingemiscebant, & tristitia replebantur, ac mœrore. „ Num id ausus fuerit odio in imagines ipsas, an ut Pontificis Leonis, a quo excommunicatus, & depositus (ut nuper diximus) fuerat, memoriam, ac monumenta aboleret, aliorum judicium esto.

(*oo*) in Benedicto III. secti. 561. pag. 397. to. I.

XIX. At certo odio, quo sacras ipsas imagines prosequebantur, permoti sunt ii qui Luthero ipso fortasse invito,

vito,

vito, ac reclamante eas effregerunt, combusseruntque, quod ante omnes præstitit Carlostadius: (pp) subsecuti sunt vero deinceps tum alii non pauci, tum plurimi Calvinistæ, qui ut idololatriæ causas [eorum quidem sententiâ) abolerent, vetera sacra monumenta, ac præcipue Sanctorum reliquias, & imagines effregere, & flammis combussere, effractas vero incensasque perdidere. His addite eos omnes, qui imagines quaslibet, ideoque etiam sacras Christianis eodem ipso præcepto interdictas esse ajunt, quo sculptilia facere vetamur: quo sane præcepto Christianos etiam obstrictos esse asseverant. Porro horum seriem texere opportunum minime est. Consule si libet, quæ hoc super argumento disputant adversus nos Protestantes.

XX. Hic mirabitur fortasse aliquis, cur de Severo illo, cujus meminere illi Siciliæ Episcopi, quorum in Nicæno Concilio prolata verba allegavimus, nihil diximus, neque illum inter Iconoclastarum antecessores enumeraverimus. Consulto tamen eum omisi. Nisi virorum clarissimorum opinio nos fallit, is est Severus, quem reprehendit Synodus Constantinopolitana anno 536. celebrata. Scilicet actione quinta Synodi illius describuntur querelæ Cleri adversus Severum Antiochenum Episcopum [qq] *qui columbas aureas, & argenteas in formam Spiritus Sancti super divina lavacra, & Altaria appensas una cum aliis sibi appropriavit dicens non oportere in specie columbæ Spiritum Sanctum nominare:* (rr) Quod testimonium allegatum est actione V. Nicænæ II. Synodi. (*) At fortasse Severus iste cupiditate potius, quàm improba aliqua persuasione, qua putaret columbæ specie exprimi non posse Spiritum Sanctum, neque effici posse imagines sacras, permotus est, ut columbas aureas, argenteasque ab Ecclesia submoveret, sibique compararet. Quod sane indicare videtur Taraiius, dum hæc subdidit. *Sed credite, quia & Anastasius, qui Constantinopolitanis præfuit, aureas, & argenteas iconas fraudavit in proprios usus, quod & Severus fecit.* Cupiditatem ergo suam, atque avaritiam obtegere studuit, quæ ne appareret, neque videretur temere prorsus, & impudenter easdem pretiosas columbas auferre ab Ecclesia, addidit non oportere *columbas nominare Spiritum Sanctum.* Et revera Angelos pingi permisit, & tantum cupiit, ne purpureis, sed albis

(pp) Vide Alphonsum a Castro ad verbum *imago*.

(qq) tom. V. col. 1130.

(rr) id est (ut alii vertunt) exprimere, & repræsentare.

(*) to. VIII. col. 1022.

albis veſtibus exprimerentur: *multitudini perſuadere tentabat .... quod non purpurea Angelis veſtimenta conveniant, ſed alba &c.* Et de iis, quibus imagines fieri diſplicuit, nolo plura.

XXI. Aliquid ergo de iis dicamus, qui non imagines ipſas ſunt averſati, ſed eas in templis collocari, aut cultum iis adhiberi minime paſſi ſunt. Atque ut a primis incipiamus, Serenus ille Maſſilienſis Epiſcopus, quem confregiſſe ſacras imagines diximus, illeque ipſe presbyter Anaſtaſius, qui optavit ejecto Benedicto III. Pontificatum Romanum accipere, in horum numero fortaſſe ſunt: quippe ideo ſacras imagines effregerunt, quia in templis poſitæ eum honorem accipiebant, quem iiſdem imaginibus adhiberi conveniens (horum quidem judicio) non erat. Sed, quidquid veteres hac de re ſenſerint, indubitata res eſt, pleroſque ex iis, qui ſe Proteſtantium, & Reformatorum vocabulo honeſtant, tametſi in privatorum ædibus retineri permittant, prohibere tamen, quominus in templis retineantur. De quorum ſententiis multa tradunt Optimi, doctiſſimique fratres de Walemburch. (*)

(*) To. 2. pag. 252.

XXII. Multo plures tamen fuere, qui fingi, retinerique, & in templis etiam exponi permittentes imagines ſacras, ſtudium non leve impenderunt, ne colerentur. Arianos ab iiſdem imaginibus colendis abhorruiſſe affirmant multi, apertiſſimo (ut iis quidem videtur) teſtimonio innixi. En illud. „ (ss) Hic etiam impius Dei hoſtis (*Philoſtorgius*) Chriſtianos accuſat, quòd imaginem Conſtantini in porphiretyca columna ſtantem ſacrificiis placarent, & lucernis accenſis, ac ſuffitibus honorarent: vota etiam facerent ut Deo, & ſupplicationes ad depellendas calamitates peragerent. „ Sed ſi vera narrat Philoſtorgius, (cui ſane fides in multis demitur) ſuperſtioſus is erat cultus, qui ſtatuæ Conſtantini deferebatur ab iis, quos reprehendit idem Philoſtorgius; Quamvis porro accuſandi non eſſent, propterea quia *lucernis accenſis, ac ſuffitibus* (eam ſtatuam) *honorarent:* (hæc enim honoris argumenta Creaturis adhiberi interdum poſſunt; ideoq; eorum ſtatuis, & imaginibus, coram quibus, ſi Sancti ii ſunt, ideoque e cœlo audiunt, ſupplicationes etiam facere poſſumus) in eo tamen accuſandi ſunt, quod Conſtantini imaginem *ſacrificiis placarent*, *illique vota* (accepta ſcilicet in rigoroſa ſignificatione voce

(ss) Sub finem libri 2. n. 17. Valeſio interprete.

hac

hac votum) *vota, inquam, illi ut Deo facerent.* Quam ob rem donec apertius afferatur argumentum, quo constet, quænam hac in re Arianorum fuerit consuetudo, ac sententia, nihil prorsus pronunciare audebo. Jam ad reliquos me converto.

XXIII. Ac de veteribus quidem Iconoclastis nihil dico, quos non pauci arbitrantur propterea fregisse imagines, non quo eas ipsas odissent, sed quod longa docti experientia noverant per earum aspectum deduci Fideles ad eas venerandas; quod dum fieri metuebant, imagines abolevere. At profecto Galli, qui definitioni Nicænæ Secundæ Synodi obstiterunt, non imagines ipsas fingi vetuere, neque iis displicuit in templis servari; at venerationem ipsis adhibitam haud probavere: de quorum sententia cum copiose alibi, commodiusque simus disputaturi, hic agere omittimus. At deinceps tum Galli, tum ii ipsi Orientales, qui Nicænæ Synodi decretis statim non paruerant, non modo cum honore servandas, verum etiam colendas esse decrevere imagines sacras. Immo si fidem præstamus iis, qui Græcorum templa invisere, ritusque discere commode potuere, adeo effusi nunc sunt in sacrarum imaginum cultum Græci, ut majorem his, quàm Eucharistiæ honorem, cultumque deferre videantur.

XXIV. Ab eo tempore sacrarum imaginum cultui obstitere ii omnes, qui earum prototypis cultum adhiberi vetuere, quos quidem cum alibi recensuerim, hic eorum seriem texere non est necesse. Num præter eos usque ad Waldensium, & Wiclephitarum tempora extiterint aliqui, qui peculiariter sacras imagines coli vetuerint, prorsus ignoro.

XXV. Porro Waldenses, & Wiclephitas imaginum cultui obstitisse tradit Alphonsus a Castro (*tt*) iis verbis. *Hunc errorem post multa tempora suscitarunt Waldenses, quibus (ut aliàs semper) consentiunt Wiclephitæ.* At Witclephum, & Joannem Hus Witclepho addictissimum sacrarum imaginum venerationem haud improbasse tradit doctissimus Jacobus Benignus Bossuet, cujus verba posita num. 156. & 164. libri XI. Historiæ Variationum consule. At certe imaginibus nullum deferri posse cultum asseverant ii, qui *Protestantium*, & *Reformatorum* titulis gloriantur. Vide

(*tt*) **ad Vocem Imago.**

Vide obſecro, quæ de horum opinione, dictiſque tradant Optimi Fratres de Walemburch. (*uu*) Et de his quidem ſatis.

(*uu*) capitibus 32. & ſubſequentibus duobus libri illius, quem de *Sanctorum imaginibus* inſcripſere pag. 256. & ſeq.

CAP. III.

Diſputatur, num quas imagines Hebræi exprimere, & retinere potuerint. Recenſentur potiſſimæ, quæ hac de re feruntur ſententiæ.

I. PErſpecta notione imaginis, & quantum inſtituto noſtro ſatis eſt, diviſione etiam, cui eædem imagines ſubduntur, & hoſtibus, a quibus ſacræ imagines ſunt impetitæ, enumeratis, aggrediamur eſt opus diſputationem ipſam, ideoque conſuetudinem fingendi, ac retinendi ſacras imagines. Quam quidem diſputationem pro veteri more ab antiquitate exordiemur. In hoc porro argumento Theologi diſputant: num ea conſuetudo ad Eccleſiæ tempora coarctari, num vero repeti ab Hebreis etiam poſſit: (neque enim deſunt qui tradant Hebræos non modo a ſacris, verum etiam a quibuslibet aliis imaginibus effingendis, & retinendis fuiſſe prohibitos.) Hic itaque ſtatim quærimus. *Num quas imagines exprimere, & retinere Hebræi potuerint.* Porro ad tria ſuprema capita revocari poſſunt celebriores ſententiæ. Tradit prima omnes omnino imagines interdictas fuiſſe Hebræis a Deo, adeo ut nullas prorſus, aut fingere, aut retinere ii poſſent. At ii ipſi qui ſententiæ huic adhærent, diſputant adhuc num præceptum, quod ab imaginibus fingendis, retinendiſque arcebat Hebræos, perpetuum fuerit, an eo tantum modo temporis ſpatio perſtiterit, quo periculum imminebat, ne ab imaginibus ad Idololatriam inducerentur Hebræi: quod periculum ſi ſubmoveretur, tum demum permitterentur imagines. Altera ſententia vult licuiſſe quidem Hebræis fingere, ac retinere imagines reliquas: at non eas, quæ Deum, ſive illum verum, & unicum, quem adorabant, ſive alios falſos repræſentarent. Falſos autem deos quum nominant, tum eos indicant, qui jam

pro

pro diis habebantur, tum eos omnes, quos hominum improbitas deos facere potuisset. Hinc imagines quaslibet, quas *ad adorandum* aut facerent, aut facturi fuissent homines, Hebræis interdictas fuisse ajunt.

II. Inter has autem, quas extremas appellare sententias poteris, interjectæ nonnullæ sunt. Volunt scilicet aliqui non omnes quidem imagines Hebræis fuisse interdictas, at neque permissas omnes, tametsi neque verum Deum, neque falsum quempiam exprimerent: nonnullas quippe interdictas affirmant, tametsi nihil divinum exhiberent. At hi ipsi differunt, dum imagines, quas Hebræis interdictas putant, designare student. Ajunt alii præscriptum fuisse Hebręis, ne Angelos efformarent: quia scilicet nimis Deo Angeli accedunt. Itaque si expressissent Hebręi Angelorum imagines, facile in idololatriam inducti essent, adorassentque Angelos cultu aliquo, qui Deo tantum deferri deberet, aut certe in falsam sententiam incidissent, putassentque corporeos Angelos, qui corporis expertes sunt. Docent alii humanas imagines Hebræis fuisse interdictas, quia scilicet sub forma humana plerique Gentium dii (atque in primis Baal) fingebantur. Itaque, si his auctoribus credimus, humanę imagines si retentæ fuissent, impulisent quodam modo Hebręos ad deorum, atque in primis ad Beli seu Balaami cultum, aut certe scandalum tum Hebręis eas inspicientibus, tum Gentibus finitimis eæ imagines peperissent, quippe illæ credere potuissent ab Hebræis humanas servari imagines, quòd ab iis diligerentur nationum Dii, & præsertim Baal. Atqui interdictas fuisse etiam aliarum rerum imagines, in quibus idem scandali periculum inerat, quod in humanis imaginibus, alii censent. Cur scilicet ab humanis imaginibus effingendis, & retinendis arcerentur Hebręi, si non a reliquis arcebantur, quarum intuitus a veri Dei cultu eos facile avertere potuisset? Hinc crocodilorum, quos venerabantur Ægyptii, monstrorum quorumdam, quæ vel Ægyptii, vel nationes Philistinorum adorabant (horum quidem Scriptorum judicio) imagines non permittebantur Hebræis. Iisdem fere rationum momentis ii innituntur, qui subsistentes rerum imagines Hebręis interdictas fuisse ajunt, non item si appendices (sic enim appellant) & ornamenta rerum forent. Itaque Leunculi ii, qui in Salomonis throno *stantes erant super sex*

(*) 3. Re. 10. 20.

gradus hinc, *atque inde* (*)(horum quidem ſententiâ) Hebræis interdicti non fuerant: neque etiam interdicebantur malogranatorum imagines, quæ in templo erant, & reliqua hujus generis ſane multa: quippe ornamenta erant vel throni, vel templi, vel alterius cujuſpiam: ideoque omnino non apta ut proponerentur *ad adorandum*. Contra fuiſſent ad id apta, ſi ſeorſum, & veluti ſubſiſtentia expreſſa fuiſſent.

CAP. IV.

Quærimus, num interdictæ Hebræis fuerint imagines omnes: Cenſemus porro minime præſcriptum fuiſſe eis, ne aliquam minime periculoſam facerent, aut retinerent imaginem rerum indifferentium.

(a) in 3. par. diſp. 104. cap. 2.

(b) in opuſculo quod ad hunc modum inſcripſit *de cultu ſacrarum imaginum*. Inſcribiturque *controverſia* 26. quæſt. ac §. 1. pag. 583.

I. PUtaſſe præſtantiſſimos viros interdictas fuiſſe Hebræis imagines quaslibet indubitatum reor; Hos omnes enumerare alieniſſimum a conſuetudine mea, ac propoſito eſt. Conſulat, ſi vult, Lector Vaſquem, (a) & Capiſuccum (b) quamvis hos ipſos interdum reprehenſos viderim, quod probe aliorum ſententias non expoſuerint.

II. Porro quæcunque alii ſenſerint: arbitror ego minime præſcriptum fuiſſe Hebræis, ne ullam facerent, aut retinerent imaginem. Aſſertio noſtra negativo argumento innititur. Oportet nempe, ut præceptum, quo impeditos Hebræos ajunt, indicetur. At nos in iis, quæ deſignantur, locis, tale præceptum minime conſpicimus, neque conſpiciunt ii omnes, quorum teſtimonia in rem noſtram deinceps allegabimus. Quid? Quod aliquarum rerum imagines ab Hebræis tam etſi ſanctiſſimis, ideoque iis, in quibus crimen ſuſpicari non potes, fictas fuiſſe, facile intelliges ex iis, quæ edocemur 1. Macha. XIII. (c) Nonne ibi traditur conſtructum fuiſſe a Simone optimo, & in lege Domini haud imperito Pontifice ſepulcrum magnificentiſſimum Patri,

(c) v. 28. & 29.

tri,

tri, & Fratribus suis, in quo arma, & pyramides, & naves sculptæ essent? His adde, si vis, ea, quæ de sepulcris Regum Juda viri fide haud indigni tradunt: egregiis scilicet anaglyphis ea esse ornata: quæ quidem minime passi fuissent aut Reges ipsi, quorum plerique a cultu Dei minime alieni fuere, aut populi post Machabæorum præsertim tempora præceptis legis addictissimi. (2) Et sane consuevisse Hebræos anaglyphis aliquibus, aut pictutis licet non admodum frequentibus, iisque ipsis ad Religionem spectantibus sepulcra sua decorare, ex aliis quidem monumentis fortasse assequimur; at (me quidem judice) haud contemnendum est illud, quod subministrat Aringhus, (d) hæc de quodam Judæorum cœmeterio Romæ reperto narrans. „ Structura interim ejusdem Cœmeterii ad„ modum rudis, ac bina tantum in eo cubicula, par„ va tamen, & satis rudia, ne dicam rustica, repe„ riri contigit. Cœmeterium vero omni quidem ex „ parte incultum; in eo quippe haud ulla, ut in re„ liquis, Christianæ religionis indicia, ac signa appa„ rebant: Mosaici tamen Candelabri figura coloribus „ expressa, & in ipsomet viæ cujusdam termino mi„ ræ utique magnitudinis, depicta hunc in modum, „ intuentibus se offerebat. Lucernæ quoque fictiles „ ibidem numero haud paucæ, quæ tamen omnes fe„ re confractæ, una duntaxat excepta, quæ Cande„ labri ejusdem imaginem, quam hic subjicimus, af„ fabre figuli manu effictam exhibebat „.

(d) Roma subter. li. 1. cap. 18. pag. 166 & 167.

III. Nonne etiam procul dubio in templo a Salo-

C 2 mo-

(2) Placet porro ea verba ad paginæ calcem rejicere, quæ mihi præclarum Boldeti volumen legenti hoc super argumento nuper occurrerunt (*) „ Quanto a i sepolcri de i Re„ di Giuda, parte de i primi sono nel monte Sion, e „ parte vicino la porta di Effraim per di fuora della Cit„ tà &c. Per di dentro è l' Edificio molto sontuoso, „ e grande come un chiostro circondato tutto intorno da „ 48. camerelle, nelle quali vi sono separatamente 48. „ sepolture bellissime adornate di diverse scolture. „ quæ quidem verba idem præclarissimus Boldetus se transcripsisse affirmat ex *Odoardo Flandro* S. Sepulcri Equite: rejicit autem (in calce paginæ) Lectorem ad ea quæ tradit *Bernardinus Amicus* de sacris *Terræ Sanctæ* ædificiis cap. 46. pag. 60.

(*) pag. 359.

mone Dei jussu, & architectatione constructo malogranata expressa erant, (e) immo leones, & boves? (f) His junge, si vis, ea quæ de serpente æneo deinceps dicemus.

IV. Conjecturæ porro valde probabiles opinioni huic nostræ mirum in modum favent. Inter ea vitra in romanis cœmeteriis reperta, quæ præclaris commentariis illustravit eruditissimus Philippus Buonarroti, unum extat, (g) quod Hebraicis hieroglyphicis refertum est: tabernaculo scilicet, leonibus ad illud excubantibus, candelabris, cornubus, aliisque etiam vel ad Judaici templi ministerium spectantibus, vel quæ notissima forent rei alicujus apud Hebræos symbola (veluti sunt cornua Sacerdotalem, Regiamque potestatem exprimentia, & palma.) Quod quidem vitrum ab Hebræo aliquo elaboratum, aut certe ad illius usum fuisse effictum tuto asserit idem clarissimus Buonarroti. Cujus quidem opinioni plerique Scriptores subscribunt. Quis enim putet aut Idolorum cultores, aut Christianos vitrum effinxisse, in quo non aliud prorsus, nisi quod ad Judaicam legem pertineret, exhiberetur? Christianus sane pro veteri more aut Christum, aut saltem Crucem, aliamve similem suæ religionis notam aliquam apposuisset, quod tamen cavisse Hebræos novimus; ideoque hoc quidem argumento se Hebræum prodidit, quisquis hoc vitrum aut elaboravit, aut elaborari jussit.

(e) 3. Rc. 7. v. 18. 20. & 42.

(f) ibid. v. 29.

(g) Vid. figu. seu imagi. 5. tabulę II. & commentaria, quibus eadem pictura illustratur pa. 19. & sequen. Eadem imago habetur etiam in Boldeti volumine pag. 201.

CA

C A P. V.

Ea recensemus argumenta, quibus sententiam nostram oppugnari mos est.

I. RES profecto admirabilis videri poterit, quem ad modum a Doctoribus etiam nostris tam vehementer exagitetur opinio, quæ & valde probabilibus monumentis innititur, & communem Catholicorum causam adversus Protestantes plurimum (meâ quidem sententiâ) adjuvat, promovetque. Tamen procul dubio impetitur maxime. His porro argumentis eam evertere student. An dubitas, num præcepto aliquo prohiberentur Hebræi imagines quaslibet facere? En continuo afferimus præceptum ipsum. Versiculo quarto capitis vicesimi Exodi hæc ait Dominus: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.* In his sane verbis duo præcepta extant. Horum primum non modo vetat fieri sculptile, verum etiam fieri vetat imaginem cujuslibet rei vel in cœlis, vel in terris, vel sub terris positæ. Vetat præceptum alterum adorari, colive sculptile, vel imaginem quamlibet. Adest itaque præceptum Hebræos avertens a faciendis, adeoque retinendis imaginibus. Id vero compertum fuisse Hebræis declarant crebra Josephi, & Philonis, immo Patrum monita. An non narrat Josephus (a) Herodem, cum alia multa adversus Judæorum leges pertentasset, demum Aquilam auream prægrandem supra majorem templi portam collocasse? quam tamen aquilam nonnulli juvenes Magistris hortantibus palam evertere, ac dejicere ausi sunt; tum hæc idem Josephus subjicit, in defensionem scilicet eorum audaciæ. *Prohibet enim lex erectiones imaginum moliri: aut quorumcumque animalium effigies collocari, velut anathemata iis, qui ex illius præscripto vitam suam componere voluerint.*

(a) lib. 17. antiqui, cap. 8.

Et

Et alibi (*b*) hanc ipsam historiam narrans hęc ait: *Nefas enim* (inquit) *est in templo imagines, aut cujuslibet animalis cognomine opus constitui.* Quin etiam libro octavo cap. 2. *antiquitatum* Salomonem violatæ legis incusat, quod æreas boum effigies basi maris (id erat labrum ingens) adjecerat, & Leonum in trono posuerat: *Nefas enim* (inquit ille) *erat ista facere.* (*) Philo quoque Judæus in libro de *Legatione* pictoriam, & similes alias artes, quibus imagines fierent, inter noxias artes enumerat. Etiam in libro de *Gigantibus* edocet per Moysen *speciosas illas, ac magni pretii artes* [statuariam, ac picturam] fuisse amotas a populo. Similia tradunt Justinus, & Clemens Alexandrinus, quorum testimonia allegat Petavius, (*c*) aliique etiam, quorum meminit Vasquez. (*d*) Experientia etiam ipsa id declarat. Nonne adeo abhorrebant ab imaginibus Hebręi, ut quum nummos cudere permissum Simoni fuerit, (*e*) non admodum multos cuderit; tum ab iis cudendis omnino destiterit: quoniam scilicet videbat species rerum aliquas in iis debere repræsentari? Id discimus ab egregio viro Calmet in Hebraicis ritibus peritissimo, [3] (*f*) cui propterea Lector fidem facile adhibebit. Porro hujus adversus imagines odii non aliam afferre poteris causam, nisi præceptum aliquod illis a Deo impositum, illudque versiculo quarto capitis vicesimi Exodi, quod nuper allegavimus, expressum, aut aliud quodpiam, quod vetusta nobis ademit oblivio. Hactenus disputantes adversarios audistis. En continuo, quid ad eorum dicta sit reponendum.

(*b*) Cap. XXI. libri primi *de Bello Judaico.*

(*) pag. 221. editio. Gelen. Basileæ an. 1567. Hæc & subsequentia testimonia græce conscripta in pagine calce allegat Petavius, ad quem Lectorem rejicio.

(*c*) lib. XV. de incarnatione cap. 6. n. 6. & 7.

(*d*) disputat. 104. cap. 2. & 3. tom. I. in 3. partem D. Thomæ.

(*e*) 1. Macha. 15. 6.

(*f*) dis. *de moneta signata vetustate* pa. LXIII. tom. 1. editio. Lucen.

CA-

(3) „ Hinc conjecturam capere licet, quare Simon ab in„ cepto cudendæ monetæ destiterit. „ Calmet loco nuper desiterit allegato.

CAP. VI.

Argumenta superiori capite adducta dissolvimus.

I. STatim autem sic primum diluo. Non pauci, fateor, ex Doctoribus nostris duplex præceptum impositum fuisse putant Hebræis, in illis Exodi verbis, quæ modo retuli, quorum primum imagines quaslibet fieri, vetet alterum eas adorari. At mihi sane eorum opinio non displicet, qui unicum præceptum in verbis illis agnoscunt, prohibens scilicet imagines fieri, ideoque etiam servari ad *adorandum*: id est prohibens ita fieri, servarique, ut cultus illis, divinusque honor deferatur. Valde probabili ratione, & auctoritate adducor ad opinionem hanc approbandam. En porro rationem primam. Cur prohibuisset Deus, veluti novum præceptum adjungens, imagines adorari, si nullas omnino fieri aut retineri permiserat? Quod non extat, adorari sane non potest. II. Si duo esse vis ea præcepta, non unum, continuo augetur numerus præceptorum, & cum omnes decalogi nomine complexionem intelligant decem præceptorum, quæ in monte Synai tradidit Deus, suoque digito in lapideis tabulis insculpsit, decem esse desinent, fientque undecim: quod nemo tradidit. III. Etiam ordinem eum hic Deus pervertisset, quem in reliquis decalogi partibus servat. An non in reliquis præceptis recensendis primum quidem graviora, tum minora præcepta enumerat? quod facile ostenderem, nisi inductione id liqueret: hic vero secus fieret. Præter quam quod, si peculiare esse vis præceptum versiculo quarto descriptum, & a præcepto versiculi quinti sejunctum, inconveniens videtur illud esse cum ea ratione, quæ a Deo ipso affertur, ut æquissimum esse ostendat præceptum istud. En illam. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta*

cepta mea. Num Dominus esse desinet, si aliquæ imagines fiant, aut dominium illius non agnoscit, qui indifferentes aliquas effingit formas? Convenit vero, & aptissima est ratio illa, si unicum præceptum agnoscas, quod vetet, ne fiant, serventurque imagines ad *adorandum*: quippe honorem illi adhibendum hæ adimunt. Neque vero nova est in scripturis ea figura, quam *hendiaden* Rhetores appellant (qua scilicet unum in duo dividitur, seu ut alii definiunt, qua unum est *per duo*: veluti est notissimum illud

aurum frenosque momordit

id est frenos aureos.) An nescis (*a*) hæc a Deo ipso fuisse dicta? *sint* (Sol, & Luna) *in signa*, *&* *tempora*, *&* *dies*, *&* *annos*: id est sint in signa temporum, dierum, & annorum. An non etiam hæc dicit Paulus? (*b*) *Videte ne quis vos deducat per Philosophiam*, *&* *inanem fallaciam*, (id est per philosophiam, quæ sit inanis fallacia:) quasi diceret: non qualemcunque condemno philosophiam, sed eam tantum, quæ inanis fallacia est: particula enim *&* hoc in loco vim exegeticam, seu explicativam habere videtur. Tanto vero animosius id ajo, contendoque, quanto certius novimus [quod animadvertit Grotius ad locum hunc] abesse particulam hebraicam respondentem latinæ *&*, & græcæ καὶ a Deuteronimii 5. præceptum hoc repetente, & a Chaldaica interpretatione: quæ res mirum in modum opinionem nostram confirmat, idest non duo præcepta, sed unum verbis hisce comprehendi. Neque interpretatio hæc rara est, aut Protestantibus omnibus invisa. Sane ille idem Grotius, cujus nuper memini, quique eruditione, ac studio suo magnum sibi comparavit nomen, hæc mox eloquitur. (*c*) „ Hoc certe loco, ut jam ex Deuteronomio, & „ Chaldæo interprete ostendimus, credam de iis (*picturis*, *aut formis animantium*) non agi. Nec „ omnes picturas fuisse vetitas argumento sint vexilla Hebræorum præferentia hominem, taurum, „ leonem, aquilam. Sunt tamen quædam vetitæ, sed „ aliis locis. Nimirum omnes illæ, quibus idololatræ „ ad cultum suum utebantur. Levi. 26. 1. & Num. „ 33. 52. in Hebræo: quibus accensendas putem illas „ figuras incisas, per quas adhibitis etiam verbis magicis arceri hostes, scorpiones, leones, serpentes „ cre-

(*a*) Genesis 1. v. 14.

(*b*) Colos. 2. v. 8.

(*c*) pag. 41. col. 1. editio. Basi. 1732.

„ credebantur, quarum meminit Maimonides parte 3. „ c. 37. *ductoris dubitantium* „.

II. Sed cur Grotium in rem meam adduco, quum faveat Augustinus? Ecce vero quid S. Doctor apertissime docet. (*d*) *In illis igitur decem præceptis, excepta Sabbati observatione dicatur mihi, quid non sit observandum a Christiano sive de non faciendis, colendisque idolis, aliisque ullis Diis, præter unum Deum.* Quod si peculiare præceptum continebitur in versiculo quarto, extabit procul dubio in decalogo præceptum, quod non sit a Christiano observandum. Simile quodpiam eruere potes ex iis, quæ alibi (*e*) tradit idem Augustinus. Nec dissentire videtur Irenæus, (*f*) quem consulas, opto.

III. His adjungo D. Thomam virum sane præclarissimum. Hic nempe monet non imaginem quam libet fuisse Hebræis interdictam, sed imaginem tum falsi Dei (ne hunc scilicet Gentilium more adorarent) tum veri Dei, ne hunc, qualem corporea aliqua imago fingeret, talem esse putarent. Audite S. Thomam ipsum hæc docentem (*g*). „ Ad primum ergo dicendum, „ quod non prohibetur illo præcepto facere quamcun„ que sculpturam, vel similitudinem, sed facere ad „ adorandum: Unde subdit. *Non adorabis ea, neque* „ *coles.* Quia, sicut dictum est, idem est motus in „ imaginem, & in rem, eo modo prohibetur adora„ tio imaginis, quo prohibetur adoratio rei, cujus „ imago est. Unde ibi intelligitur prohiberi adora„ tio imaginum, quas Gentiles faciebant in veneratio„ nem Deorum suorum, id est dæmonum, & ideo „ præmittitur *non habebis deos alienos coram me*. Ipsi „ autem Deo vero, cum sit incorporeus, nulla imago „ corporalis poterat poni, quia, ut inquit Damascenus, „ (*h*) insipientiæ summæ est, & impietatis *figurare* „ *quod est divinum.* „

Quod si ad augendum huic solutioni robur, alios afferri vis, alios facile afferam, eos scilicet præclarissimos viros, quos allegant Ivenin, (*i*) & Vasquez (*k*). Nec pœnitebit legisse Petavium præclare hoc de argumento disserentem (*l*), & Jansenium Iprensem, (*m*) quos omnes præivere antiquissimi, & doctissimi Patres Tertullianus, (*n*) Augustinus (*o*) aliique etiam.

(*d*) num. 23. aliàs cap. 14. libri, quem inscripsit de *spiritu*, & *littera*.

(*e*) cap. 12. aliàs n. 22. epistolæ ad Januarium olim 119. nunc 55.

(*f*) cap. olim 31. nunc 16. n. 5. libri 4. *adversus hæreses*.

(*g*) 3. par. de Salva: quæst. 25. ar. 3. ad primum.

(*h*) lib. 4. cap. 15.

(*i*) tom. 4. institu. disser. 6. cap. 4. ar. 1.

(*k*) in III. partem disp. 104. cap. 1.

(*l*) li. 15. de incarn. cap. 6. n. 8. 9. & 10

(*m*) in commentariis ad locum hunc.

(*n*) lib. 2. contra Marcio. cap. 22.

(*o*) quæst. 71. in Exodu n. 2.

IV. At extent, ut libet, in objectis Exodi verbis duo præcepta, seu, ut aptius dicam, duæ unius præcepti partes; non propterea me deterres. Scilicet vetat Deus in primo illo præcepto, seu (si appellare ita finis) prima præcepti parte: vetat, inquam, coli aliam quamlibet rem, quæ Deus ipse non sit, ideoque amovet illud idololatriæ genus, quod sine simulacris, & imaginibus exercetur; vetat porro secundo præcepto, seu (si ita appellas) secunda præcepti parte illud idololatriæ genus, quod imaginibus, & simulacris, seu per imagines, & simulacra adhibetur. Præit porro in hac solutione idem ille D. Thomas, quem nuper allegavi. Nimirum hæc tradit (p). „ Cultus alienorum „ Deorum dupliciter apud aliquos observabatur. Qui„ dam enim quasdam Creaturas pro Diis colebant abs„ que institutione imaginum: unde Varro dicit, quod „ antiqui Romani diu sine simulacris Deos coluerunt: „ & hic cultus prohibetur primò cum dicitur: *non* „ *habebis Deos alienos*. Apud alios autem erat cul„ tus falsorum deorum sub quibusdam imaginibus, & „ ideo opportune prohibetur etiam ipsarum imaginum „ institutio, cum dicitur *non facies tibi sculptile*, & „ ipsarum imaginum cultus, cum dicitur *non coles* „ *ea*. „ Ad confirmandam explicationem hanc afferri facile ea poterunt, quæ tradit Augustinus libro 2. quæstionum in Exodum, (q) quibus adjunge ea, quæ diximus ex Petavio. (r) Et de objecto Exodi loco hactenus.

(p) 2. 2. quæst. 122. ar. 2. ad 2.

(q) quæst. 71.

(r) libro XV. de *incarnatione* cap. V. num. 3.

V. Expendamus itaque, oportet, objecta Philonis, Josephi, aliorumque historicorum, atque etiam Patrum loca, quibus testatum sit ab imaginibus quibuslibet tum fingendis, tum retinendis prohibitos fuisse Hebræos. Sunt qui respondeant minus aptos ad fidem faciendam esse Josephum, & Philonem, ideoque alios, qui his innituntur. Scilicet Philo ex iis Judæis erat, qui extra Judæam degebant, ideoque in Judaicis consuetudinibus minus versatus erat: & sane quod ad Judaicas consuetudines attinet, illius auctoritas summa non est. Josephum vero quæsivisse ajunt causas aliquas defensionis gentis suæ, quæ Romanos, ideoque eorum vexilla, & imagines summum in modum oderat, & harum causâ tumultus in Præsides concitaverat. Probabilem vero purgationem is afferebat, vetustis, ac patriis legibus prohibitos dicens contribules

suos (quos iisdem legibus vivere Romani permiserant) a retinendis imaginibus; ideoque hac in re merito obstitisse Præsidibus, qui sensim hac ratione eos in idololatriam inducere nitebantur.

VI. Respondent alii, tam etsi non omnes imagines interdictæ fuissent Hebreis, potuisse tamen sine mendacio Josephum indefinite dicere fuisse illis imagines interdictas, quia pleræque earum, quas Romani, & Græci faciebant, interdictæ erant; vel scilicet falsorum numinum imagines hæ erant, vel quæ certe proponi consueverant *ad adorandum*, vel saltem periculosæ erant. Vis fortasse non levis responsioni huic adjungitur tum a prioribus Judæorum exemplis, quæ palam ostendunt facillime in idololatriam prolabi consuevisse Hebræos: (qui propterea si vidissent coli a Romanis militibus idola, aut alias imagines, potuissent eo exemplo decipi, deducique in nefarium cultum, & in errorem) tum etiam ex eo, quod aliunde noverimus exquisivisse Romanos a subditis, ut deorum suorum, Romanæque Urbis imagines summis, sæpe etiam divinis honoribus afficerent. Has ergo imagines [ideoque eas, de quibus potissimum, Josephus agit] dicere rectissime Hebræi poterant sibi esse interdictas; interdictæ enim Hebræis erant non modo deorum falsorum imagines, verum etiam periculosæ quævis; eæ vero præsertim, quibus metui jure meritoque poterat, ne (præeunte præsertim eorum, qui illis imperabant, exemplo) facile in idololatriam deducerentur. Quis vero prohibere Josephum poterat, ne Rhetorum licentia usus, per Synecdochen quandam diceret, imagines fuisse Hebræis interdictas, quum non omnes, sed aliquæ tantum, sed certe pleræque earum, de quibus tum erat sermo, interdictæ fuissent Hebræis?

VII. At non vereor ego fateri Josephi, & Philonis ætate nullas prorsus ab Hebræis imagines fuisse habitas; putabant scilicet hoc modo se diligentius observare legem, aut certe tutius evitare periculum Idololatriæ. Sed hunc morem, quem fortasse (ut mox dicam) Judaici Senatus, aut Pontificum approbavit auctoritas, non admodum antiquum fuisse puto: nam certe sculpendi artem, ideoque alteram ex iis artibus, quas exulasse ajunt a Judæorum provinciis, Salomonis tempore quàm florentissimam

fuisse constare arbitror ex iis verbis, quæ Para. 2. cap. 2. v. 7. ad Hiram scripsisse dicitur Salomon. „ Mitte ergo mihi virum eruditum, qui noverit operari „ in auro, & argento, ære, & ferro, purpura, coc- „ cino, & hyacintho, & qui sciat sculpere cælaturas „ cum his artificibus, quos mecum habeo in Judæa, „ & Jerusalem, quos præparavit David Pater meus „. In his sane verbis apertissime edocemur, supremo quodam, atque excellentissimo opifice, qui ceteris præesset, eguisse tantummodo Salomonem, cui aliorum minime ineptorum artificum copia non deerat. Minus vero probabile est, hos quoque ex exteris regionibus fuisse conquisitos: neque id aliquo Scripturæ loco indicatur: cum tamen minime puduerit Salomonem ad Hiram scribentem palam fateri, quibus in artibus vincerentur ab exteris Hebræi (4). Quid? quod non defuere, qui traderent hunc ipsum Hiram, quem exquisivit Salomon progenie Hebræum fuisse, aut certe ex Hebræa matre genitum. Et matris quidem Hebræę manifesto Scriptura meminit: (f) at ex Hebræa gente ortum ait Josephus capite secundo (*) libri octavi antiquitatum: ibi scilicet ex Israelitis oriundum appellat.[*]Hieronymus vero (seu alius, quisquis is est, sub Hieronymi nomine latens) audet etiam Hebræum patrem illi tribuere hæc in traditionibus, seu quæstionibus Hebraicis elocutus. (t) „ Hiram in Malachim (id „ est *in libris Regum*) dicitur fuisse de Tyro, & filius „ mulieris viduæ de tribu Nephtalim, patre Tyrio. „ Sciendum, quod de tribu Nephtalim pater ejus „ fuerit, quo mortuo, uxor ejus, quæ hic mulier vi- „ dua scribitur, eundem Hiram in Tyrum misisse do- „ cendi gratia dicatur; & a quo doctus in Tyro fuit, „ pater ejus Tyrius vocatur. Idcirco patre Tyrio „ fuisse dicitur, quum utique pater ejus de tribu Ne- „ phtalim fuerit. „ Ex quibus quidem verbis clarissime intelligis putasse scriptorem hunc minime illiteratum, eas ipsas, quas Philo noxias artes vocat, potuisse

(f) 3. Reg. 7. 13.

(*) aliàs 3.

(*) *habentem Patrem Uriam generis Israelitici*. Ruffi.

(t) ad librum tertium Regum. tom. III. appendice II. col. 788.

(4) *Pracipe igitur, ut pracidant mihi servi tui cedros de Libano, & servi mei sint cum servis tuis: mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcunque petieris: scis enim, quo modo non est in populo meo vir, qui noverit ligna cadere, sicut Sidonii.* (3. Reg. 5. 6.)

ſe a Judæis diſci: neque id quidem crimini Hiramo vertit. Hieronymi (ſi Hieronymum eum eſse vis) opinioni adhæſiſse viſi ſunt Spondanus, (u) & Joannes Mariana: (x) neque ea diſplicuit egregio Viro P. Calmet, dum Commentariis illuſtrans verſiculum quartumdecimum capitis ſeptimi libri tertii Regum hæc ait. ,, Ad alterum, quod objicitur (id eſt, qui fieri potuerit, ,, ut una eademque mulier mater Hiram tum ad tribum ,, Dan, tum ad tribum Nephtali pertineret) non una ,, eſt reſponſio . . . . . Malunt alii mulierem hanc ,, originem duxiſſe e tribu Nephtali, ſed ad Danitas ,, ob domum prioris viri ſui tranſiſſe: niſi malueris, ,, virum, cui tunc nupta erat, Danitam fuiſſe, quamvis ,, cognomen Tyrii ſibi adſciverit, quod ad Tyrios mi- ,, graverit, ſervata ſemper priſtina Iſraelitarum religio- ,, ne ,,. Eidem etiam opinioni adhæret Eminentiſſimus Gotti. (y) Hoc ſane habet commodi hæc opinio, ut criminis expertem faciat mulierem illam Hirami matrem, criminis expertem minime fortaſſe futuram, ſi viro gentilium errore detento nupſiſſet: facile quoque conciliat duo Scripturæ loca, quæ invicem adverſantia videntur eſſe: verſiculum ſcilicet quartumdecimum nuper allegatum, & verſiculum quartumdecimum capitis ſecundi libri II. Paralipomenon: ubi hæc locutus Rex Tyri dicitur. *Miſi . . . tibi Hiram patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius*: quo loco ex filiabus Dan fuiſſe dicitur mulier illa, quum tamen in libris Regum adſcribi videatur tribui Nephtali. *Hiram filius mulieris viduæ, de tribu Nephtali*. Vel ſcilicet ad tribum Nephtali pertinebat illa propter prædia in ea tribu poſita, antea ſpectantia ad virum ſuum, ideoque ad filium ſuperſtitem, cujus bona adminiſtrabat: Vel, ſi vis, non ad eam referuntur verba illa *de tribu Nephtali*, ſed ad filium, qui ex tribu Nephtali (item ut Pater, & Majores ſui) erat. Sed hæc obiter dicta ſint, neque enim iis indigemus ad ſententiam noſtram comprobandam.

VIII. Ex alienis ſane provinciis minime deductos novimus artifices eos, qui ſepulcrum magnificentiſſimum a Simone parentibus, & fratribus ejus erectum, conſtruxerunt: (z) in quo arma, naves, & pyramides fingi juſſit, ideoque (niſi probabilis conjectura nos fallit) homines etiam; quis enim putet nullas hominum imagi-

(u) ad annum Mundi 3020. n. 12.

(x) in ſcholiis ad caput ſeptimum lib. III. Regum.

(y) in eo Opere, quod ad hunc modum inſcribitur *La vera Chieſa di Criſto dimoſtrata &c.* tom. 2. par. 2. de imaginibus ar. 16. §. 15. num. 87. pag. 464. editio. Bononienſis, ſeu potius Romanæ anni 1719.

(z) Machab. 13. 27. & ſubſequentibus.

imagines fuisse sculptas in navibus illis, nullam hominis arma gestantis, aut similem aliam effigiem fictam fuisse in trophæis, præsertim cum Græcorum more videatur sepulcrum illud fuisse ædificatum? Et sane in navibus remiges extent, ideoque expressi fuerint, oportet, ut verarum navium speciem referrent.

IX. Itaque si eo, quo Christus vivebat tempore, immo, si vis, extremis Judaici Regni temporibus, ab imaginibus aut fingendis, aut retinendis abhorrebant Judæi, propterea id fuit, quia Pharisęorum, quorum summa apud populum erat existimatio, exemplo, monitisque commoti, diligentes adeo solertesque in ceræmonialibus præceptis observandis erant, ut ea non modo exsequerentur, verum etiam augerent. Nonne Christi discipuli vehementer reprehensi sunt, quod fame compulsi tritici grana manibus confricata, & evulsa comederent in die Sabbati? *(aa)* Nonne etiam reprehensi iidem discipuli sunt, quod manibus minime lotis cibum caperent? *(bb)* Quin etiam Dominus ipse sæpissime accusatus est, quod Sabbato sanaret ægros: quum tamen nulla lex foret, quæ hæc vetaret. Hinc ii, qui mentam decimabant, philacteria dilatabant, aliaque id genus religionis argumenta exteriora adhibebant, ad quæ minime adigebat divina lex neglectâ culturâ animi, sæpe objurgati a Christo sunt, monitique ne fucatam, & fictam, sed ut veram pietatem assequerentur. Atqui nemo prohibet, quo minus inter hujus modi exteriora argumenta eam alienationem ab fingendis retinendisque imaginibus quibuslibet colloces, quam tum habuisse Hebræos probabilibus testibus novimus. Et eam quidem alienationem si Synedrii, aut Sacerdotum decreto aliquo confirmatam dices, roboratamque, rem valde probabilem dices. Nemo sane ignorat quędam esse Hebræorum Præsidum decreto firmata, quæ lex prorsus non statuerat: quænam vero, et quot hæc fuerint, divinare omnino non possumus: sed aliqua certe extiterunt, id indicante, ne cuncta enumerem, loco illo 1. Machabæorum. *(cc)* *Et omnes dies solemnes . . . , & dies decreti*: ad quæ verba hæc tradit Hugo Grotius procul dubio Protestantibus minime suspectus. *Sic vocat dies festos populi instituto, quales sunt dies fortium, Encæniorum, & dies interfecti Nicanoris;* Hanc porro solutionem didici ex Emin. Capisucco. (*)

X.

(aa) Luc. 6. 1. 2. Marc. 2. 23.

(bb) Matth. 15. 1.

(cc) 1. Mach. 10. 34.

(*) de *Cultu Imagin.* §. 3. pag. 588., ubi Tirinum allegat *in Exod.* 20.

X. At ii, qui extra Judæam degebant, hac de re non æque ſolliciti fuiſſe viſi ſunt. Profecto quæ de vitris quæ in Romanis Cœmeteriis reperta ſunt, ea quoque, quæ de picturis, quæ item Romæ in Hebræorum cœmeterio ſe ſe videndas præbuerunt, antea dixi, manifeſto oſtendunt jam pridem Hebræos extra Judæam degentes picturas quaslibet ideoque cælaturas odio non habuiſse. Vide §. 2., & 4. capitis 4. hujuſce diſſertationis.

XI. At quodcumque olim fuerit Judæorum adverſus imagines odium; multum ſane, referente Petavio, (*dd*) minus antiqui Hebræi de iſta ſeveritate remiſerunt. „ Primum enim exiſtimant non omnes effigies in- „ terdici precepto illo Decalogi, ſed tantummodo „ prominentes, quas vocant בילטות hoc eſt extantes „ & protuberantes. Deinde, ornatus gratia, li- „ cere putant quaslibet effigies habere, etiam pro- „ minentes rerum omnium, una excepta hominis figu- „ ra. Tertio planas, ac depreſſas imagines, ſive tex- „ torio opere factas, ſive pictas, etiam humanas li- „ citas eſse, dum tamen citra cultum, & idololatriam „ habeantur. Hæc Rabbi Moyſes Capite tertio de „ de Idololatria. „ Hactenus Petavius. Cui ſententiæ robur addere, ſi vis, facile id potes tum ex iis, quæ jam diximus, tum maxime ex eo loco, quem ex quæſtionibus, ſeu traditionibus Hebraicis paulo antea allegavimus; putant enim Viri minime indocti ab Hebræo ſcriptore, qui octavo fortaſse Eccleſiæ ſœculo vixit, eas fuiſse exaratas. (*ee*) Porro in traditionibus, quæ ceremonialia præcepta ſpectant, retinendis, conſtantiſſimos fuiſſe Hebræos, indubitata res eſt. Minime itaque putavere Hebræi ſibi interdictas fuiſſe a lege imagines omnes. Cur vero Clementem Alexandrinum, alioſque & Patres, & hiſtoricos objicis, quibus quidem haud difficilis adhiberi poteſt reſponſio? Vel eadem ſcilicet ipſa, quam Joſepho, & Philoni dedimus: vel ea, quæ recentioribus nonnullis magis arridet: deceptos ſcilicet a Joſepho, & Philone hæc tradidiſse Patres, & hiſtoricos. Potuiſse vero in iis rebus, quas *de facto* appellari mos eſt, a prioribus iisque haud imperitis ceteroqui Scriptoribus eos decipi nemo, ut arbitror, negare audebit. Hæc ad ea reponimus argumenta, quibus aſſertionem noſtram poſitive, & directe impetunt.

(*dd*) XV. de incarnat. cap. VI. n. 6.

(*ee*) Vide præfationem in librum hunc pag. 753.

CAP. VII.

Expendimus illa argumenta, quibus assertionem nostram oblique, atque indirecte impetunt.

I. EXpendamus etiam oportet ea, quibus oblique, atque indirecte sententiam nostram impetunt, ideoque solutiones eas, quas nostris probationibus adhibent. En illas.

II. Num imagines aliquæ ab Hebræis factæ sint, nemo disputat. Tantum in dubitationem vertitur, num laudabiliter, aut saltem sine crimine eæ factæ sint. Porro adducta exempla vel id non probant, vel si forte id probarent, generalis consecutio deduci ex iis omnino non potest. Non probant, inquam, quia necesse non est, ut omnia Sanctorum gesta ab errore aliena dicamus. Et sane alienus a crimine in imaginum constructione non fuit Aaron piissimus ceteroqui, & in sacris ritibus valde peritus Pontifex. Hinc Josephus, (*a*) aliique etiam Salomonem violatæ legis accusare non sunt veriti, propterea quia æneas bobum effigies mari magno supposuerat, & Leones finxerat, vetante lege. Quod si expertem criminis non facimus Salomonem, necesse non est, ut undique innoxium dicamus Simonem Pontificem magnum, quem nemo inter Judaicæ legis sanctos viros enumerat, immo aliqua ei etiam crimina jure, meritoque objiciuntur, veluti Principatus, & magni Pontificatus a Principibus assecutio, & possessio. At fac tum Salomonem, tum Simonem Pontificem a crimine remotissimos. Extraordinarium Dei præceptum illos excusat; quippe ille idem Dominus, qui legem tulerat de non condendis, retinendisque imaginibus, etiam legem tulit de aliquibus paucissimis condendis, non tollens scilicet legem, sed eam leniens, aut imminuens. Id vero si de reliquis apte dices, & commode, de Serpente æneo aptissime dices, & commodissime. Etenim veteres Doctores nostri palam ajunt

(*a*) lib. 8. antiquit. cap. 8. aliàs 7.

hac

hac in re a lege generali antea ſtatuta nonnihil receſſiſſe Deum. Id ſane Tertullianus palam edocet hiſce verbis. (*b*) „ Si quis autem diſſimulat illam effigiem
„ ærei ſerpentis, ſuſpenſi in modum, figuram deſignaſ-
„ ſe Dominicæ Crucis, a ſerpentibus, ideſt ab Ange-
„ lis diaboli liberaturæ nos, dum per ſemetipſam dia-
„ bolum, ideſt ſerpentem interfectum ſuſpendit, ſive
„ quæ alia figuræ iſtius expoſitio dignioribus revelata
„ eſt, dummodo Apoſtolus affirmet omnia tunc figu-
„ rate populo accidiſſe: bene quod idem Deus, qui
„ lege vetuit ſimilitudinem fieri, extraordinario præ-
„ cepto ſerpentis ſimilitudinem indixit. Si eumdem
„ Deum obſervas, habes legem ejus, *ne feceris ſimili-*
„ *tudinem*. Si et præceptum factæ poſtea ſimilitudi-
„ nis reſpicis, & tu imitare Moyſen, ne facias adver-
„ ſus legem ſimulacrum aliquod, niſi & tibi Deus juſ-
„ ſerit. „ Porro, uti videtis, generalis conſecutio ex pauciſſimis iſtis exemplis erui minime poteſt, aliàs liceret ex legis diſpenſatione, generalem conſecutionem adverſus eandem legem eruere: quod nemo dicet.

(*b*) In libro de Idolatria cap. 5.

III. Is autem, quem nuper allegavimus, Tertulliani locus, diſſolvit plane probationem ex ſerpente æneo per Moyſen conſtructo deſumptam, ideoque integra adhuc permanet illa exceptio, quam Vaſquez, aliique Viri Optimi (*c*) hac in re approbarunt, anteceſſoribus recentioribus Hebræis (referente Petavio, (*d*) cujus nuper verba allegavimus) interdictas ſcilicet fuiſſe Hebræis imagines extantes, minime vero reliquas; quæ exceptio aliis quidem multis argumentis innititur, ſed præſertim auctoritate Tertulliani in libro ſecundo contra Marcionem cap. 22. ibi ſcilicet apertiſſime tradit potiſſimam rationem, cui propoſita ſententia fidit: nempe imagines rerum extantes non poſſe fieri, nec retineri, quia ad idololatriam deducunt, & veluti invitant; contra non extantes, cum ſint appendices, & ornamenta rerum, nullo modo intuentium oculos ad ſe trahunt, ſed diriguntur iſti ad rem præcipuam, cui illæ appendices veluti inſerviunt. En verba ipſa Tertulliani. „ Sic & Cherubim, & Seraphim aurea, in
„ arcæ figuratum exemplum certe ſimplex ornamen-
„ tum accommodata ſuggeſtui, longe diverſas habendo
„ cauſas ab idololatriæ conditione, ob quam ſimili-
„ tudo

(*c*) Lorinus in caput 17. Actor. v. 29. &c.
(*d*) 15. de Incarnat. cap. 6. n. 6.

„ tudo prohibetur, non videntur similitudinum pro-
„ hibitarum legi refragari, non in eo similitudinis sta-
„ tu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur.

IV. At ad hæc vos reponite, ex hactenus dictis innotescere non prohibitos fuisse Hebræos ab imaginibus probis, & indifferentibus faciendis, retinendisque. Hinc neque Salomonem, neque Simonem legem transgressos novimus. Sane nemo ex doctoribus nostris hos accusavit, sicut merito accusatus est Aaron, qui aut vitulum fecit ad *adorandum*, aut certe permisit, ut eum populus adoraret. (e) Quamquam autem necesse non est cuncta Sanctorum opera criminis expertia facere, quod tamen attinet ad rem præsentem, Salomon procul dubio non erravit, sed voluntati Domini paruit: quippe Dominus ipse accuratissime rationem, qua construerentur partes templi omnes vel perexiguæ, & minusculæ, tradidit. Id intelligimus ex lib. 1. Para. cap. 28. (f) in quo describuntur thesauri, quos Salomoni dedit David, ut eos in templi constructione, atque ornamentis, & apparatu insumeret: v. autem 19. hæc adduntur. *Omnia* (inquit David) *venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris*.

V. Venio ad Simonem. Is a populo electus est dux. (g) Porro sacerdotium magnum merito assumpsit, ut potentis, cui dignitatem hanc satis amplam, & honestissimam avita familia, & patris, ac majorum natu fratrum mors tribuebat, (h) & populus ipse id approbavit. Itaque Principes exteri Sacerdotium Simoni non detulerunt, sed tantum non obstitere, & pacificæ possessionis jus (ut cum Juristis loquar) addiderunt. Quid tu improbi ea in re detegis?

VI. Me porro objecta Tertulliani auctoritas non deterret. Etenim primo illius testimonio facile adhibere alteram ex iis solutionibus poteris, quas Justino, & Origeni adhibui. At de Tertulliano mox iterum dicam.

VII. Interdictas fuisse extantes, minime vero reliquas imagines difficile ostendes. Si quis diligentius perpenderit ea, quæ antea attuli, videbit, ut arbitror, nullas prorsus rerum indifferentium imagines Hebræis fuisse interdictas. At sane quod spectat ad postremum Tertulliani testimonium, (i) (judice Petavio) ex eo ipso, si illius superiora verba addantur, erui facile poterit interdum placuisse Tertulliano sententiam nostram, eam scilicet, quæ censet non omnes imagines fuisse a Deo interdictas, sed

(e) Exod. 33. 4. &c.

(f) v. 11. 17. 18. &c.

(g) 1. Macha. 13. 8.

(h) 1. Macha. 10. 21.

(i) desumptum scilicet ex lib. 2. adversus Marcionem cap. 22.

ſed illas tantum, quæ ad idololatriam deducant, ſeu quæ proponantur ad *adorandum*. Criminationibus ſcilicet iis occurrens, quibus Marcion veteris legis diſtringebat auctorem, utpote (Marcionis quidem ſententiâ) adverſantem ſibimetipſi, & iis quæ ſtatuerat, contraria præcipientem, ubi venit ad *contrarietatem* ab imaginibus deſumptam; nempe cum ſimilitudinem omnem lex Moſaica fieri prohibuiſſet, ſerpentem tamen æneum fieri præceperat Deus: reſpondet non ab omnibus prorſus imaginibus fingendis retinendiſque fuiſse prohibitos Hebræos, ſed ab iis tantummodo, quæ fierent, ut colerentur. „ Proinde & ſimilitudinem vetans fieri omnium, quæ „ in cœlo, & in terra, & in aquis, oſtendit & „ cauſas, idololatriæ ſcilicet ſubſtantiam cohibentes. „ Subjicit enim *non adorabitis ea*, *neque ſervietis illis*. „ Serpentis autem æenei effigies poſtea præcepta Moyſi „ a Domino non ad idololatriæ titulum pertinebat, „ ſed ad remediandos eos, qui a ſerpentibus infeſtabantur. Et taceo de figura remedii. Sic & Cherubim, & Seraphim aurea in arcæ figuratum exemplum certe ſimplex ornamentum accommodata „ ſuggeſtui, longe diverſas habendo cauſas ab idololatriæ conditione, ob quam ſimilitudo prohibetur, non videtur ſimilitudinum prohibitarum legi „ refragari, non in eo ſimilitudinis ſtatu deprehenſa, „ ob quem ſimilitudo prohibetur. „ His recitatis: „ hic „ aperte (inquit Petavius) contra quam ſuperioribus in locis ſtatuerat, negat abſolute vetitum „ eſſe imagines fieri legis edicto: ſed ejusmodi ſolum, quæ ad Deum aliquem exprimendum elaboratæ eſſent, aut ad adorandum expoſitæ.

CAP. VIII.

Interdictum quidem putamus Hebræis, ne periculosas imagines facerent: at in harum numero extantes quaslibet ponere non audemus.

I. COnvenit sane inter eruditos minime permissum fuisse Hebræis imagines qualescunque fingere. Aliquas scilicet facere procul dubio vetabantur: sed quænam eæ forent, acriter disputatur. Illud generatim statuo, interdictas fuisse illis periculosas imagines: at ut ad particulares descendere incipiam, in eorum opinione non sum, qui extantes quaslibet in periculosarum numero collocant. Porro prior assertionis nostræ pars iis probationibus innititur, quibus generatim ostenditur pericula nobis fugienda esse, esseque reum criminis, qui periculosas occasiones minime evitat. Itaque dum periculosæ non erant extantes imagines, retineri eæ poterant; si per se forent, aut si fierent periculosæ, ab iis fingendis, retinendisque prohibebantur Hebræi. Hinc serpens æneus, quem Moyses construxit, dum ei adhibita non fuit adoratio, laudabiliter retentus est: (ad memoriam scilicet miraculi) cum idololatriæ cœpit esse occasio, merito a piissimo Rege Ezechia comminutus est. (*a*)

II. At suscipienda est postremæ partis assertionis nostræ defensio, ostendendumque, cur dixerimus in periculosarum imaginum numero non audere nos quaslibet extantes ponere. Quis enimvero in periculosarum imaginum numero recensere illas audeat, quas aliquando Deus ipse fieri præcepit, & palam proponi? Porro æneam, ideoque extantem serpentis imaginem (cujus nuper meminimus) Dei jussu factam, totique populo ad conspiciendum fuisse propositam, ex capite primo & vicesimo Numerorum (*b*) discimus; ad quem locum Severianus Gabalorum Episcopus (*c*) hæc eloquitur interprete

(*a*) 4. Reg. 18. 4.

(*b*) v. 8. &c.

(*c*) In Sermone in *Dedicationem Crucis*, quem allegat, inseritque in primam & tertiam *Orationem de imaginibus* S. Joannes Damascenus.

terprete Patre Le-Quien. (*d*) „ Sed quid ad ingratum „ populum hæc loquor? Ediſſere, quæſo, fideliſſime „ Dei miniſter; Quod aliis vetas, cur ipſe facias? „ Quod evertis, illud ſtatuis? Qui præcipis, non facies tibi ſculptile, qui conflatilem vitulum comminuiſti, ſerpentem ex ære tu ipſe conficis? Quin „ illum non clam, ſed palam omnibus conſpiciendum „ præbes? At illa, inquit, mandavi, quo materiam „ impietatis exſcinderem, & ab omni defectione, & „ idololatria populum avocarem. Nunc autem ad „ aliorum utilitatem ſerpentem conflo, ad præſignandam videlicet veritatem. Et quemadmodum tabernaculum compegi, & ea quæ in ipſo ſunt; Cherubim quoque inviſibilium rerum ſimilitudinem referentia, ut ſancta adumbrarent, expandi, in ſignum figuramque futurorum: ſic & ſerpentem ad „ populi ſalutem erexi, ut ejuſmodi ſignorum experientia aptiores fierent ad Crucis imaginem, crucifixumque Salvatorem, & Redemptorem excipiendum. „

III. Haud itaque temere, ſi Clariſſimis Calmet, & Maffejo (*e*) fidem adhibemus: (cur porro non adhibebimus viris integerrimis, ac litteratiſſimis?) haud, inquam, temere Simon Machabæus in Siclis, quos facta ab Antiocho cudendæ monetæ poteſtate cudit, extantes imagines fieri juſſit: palmam ſcilicet in iis palam conſpicimus, calices, racemos, & folia vitis, & fortaſse ſpicarum etiam manipulos, lilium, aut potius virgam Aaron flores proferentem, quas extantes figuras nemo eſſe negabit. Intelligebat ſcilicet Vir ſacrorum rituum peritiſſimus nulla lege impediri ſe, quo minus hæc cuderet, ideoque nemine, quem noverimus, reprehendente, cudit. Et hujus quidem Viri exemplum ſatis eſſe poteſt ad eos revincendos, qui extantes figuras omnes Hebræis interdictas fuiſse ajunt. An id ignorare poterat Sacerdos ſummus? An ſi eum id ignoraſse non putas, legis contemptorem audebis facere? Sed tu age, quod libet. Minime ſane tam præſtantem, & pium virum inter legis prævaricatores equidem enumerabo. Et de hoc quidem argumento dicta ſint hactenus; nam quæ adverſus a nobis propoſita objici conſuevere, ſuperiori capite prævenimus.

(*d*) In Zini editione extat hoc teſtimonium pag. 25. & repetitur pag. 74.

(*e*) Vide quinque priores Siclos Samaritanos deſcriptos in tabula appoſita pag. 272. tom. 5. Operis illius, quod inſcripſit *Oſſervazioni litterarie*. Vide etiam, quæ annotantur in Dictionario Calmeti ad vocem *Siclus*.

CAP. IX.

Ostenditur nullo, quod noverimus, præcepto impeditos fuisse Hebręos, quo minus aliquam Angelorum imaginem effingerent, retinerentque: dissolvunturque quædam huic persuasioni adversantia argumenta.

I. COnsentiunt sane ii ipsi, qui nullo generali præcepto impeditos fuisse ajunt Hebræos, quominus aliquas extantes imagines facerent, ab aliquibus tamen faciendis, retinendisque fuisse impeditos. At quænam hæ sint, difficillimum est indicare. Angelorum præsertim, & hominum imagines Hebræis interdictas Viri doctissimi tradidere. Quorum opiniones hic expendere operę pretium reor. Porro cum primis arbitror nullo ab Angelis exprimendis præcepto impeditos fuisse Hebræos. Ubinam scilicet extat præceptum istud? Indica, obsecro, dummodo non ea alleges loca, in quibus monemur imagines omnes Hebræis fuisse interdictas, nam loca hæc alibi commodius sunt illustrata. (*a*) Innititur itaque hæc mea persuasio negativo argumento, seu solutione objectionum. Sed tamen positivo etiam non destituitur. Nonne ex versiculo 18. capitis vicesimi quinti Exodi intelligimus, *ex utraque Oraculi parte Cherubim aureos, & productiles fuisse positos?* *Duos quoque Cherubim aureos* (en verba Domini ad Moysem) *& productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca, in qua pones testimonium, quod dabo tibi.* Horum vero Cherubim vocabulo Angelos significatos fuisse valde probabilis virorum doctissimorum sententia est. Et sane Damascenus (*b*) hæc eloquitur. „ Eccur ergo „ hominum manu fabrefactis Cherubim obumbrari „ propitiatorium jubet? An non quia Dei, utpote „ qui

(*a*) cap. 6. & 7.

(*b*) n. 15. orationis primę *de imagin.*

„ qui nullatenus circumscribi, nec repræsentari potest,
„ imago ulla fieri nequit, nec cujuspiam quasi Deus sit,
„ ne latriæ cultus tanquam Deo creaturæ attribuatur?
„ Idcirco Cherubim, quia circumscripta sunt, divino-
„ que solio ministrorum more assistunt, imagines con-
„ fici mandat, quæ famulorum gerentes habitum, pro-
„ pitiatorium obumbrent. „

II. At audite, quid adversus hactenus dicta afferant. Cherubinorum imagines, quas tu putas Angelorum fuisse imagines, non Angelos referebant, sed vel monstra quædam quadruplici vultu constantia, aut fortasse ita composita, ut hominem referrent vultus, manus, & crura erecta: Leonem referrent jubæ super pectus, & humeros defluentes: aquilam alæ: vitulum pedum ungues: vel aliud quodpiam exprimerent ab Angelis remotissimum. Neque vero desunt, qui moneant voce hac *Cherub* interdum ornamenta tantum modo significari. Ad hæc: abditæ prorsus erant, & omnium oculis subductæ imagines istæ, ut pote arcam abditam prorsus, & omnium oculis subductam obtegentes. Id vero nos vetat, quo minus dicamus eas retentas fuisse ab Hebręis. Quis enim retineri ab aliquo dicet id, quod neque servat apud se, neque inspicere potest, tametsi enixissime id cupiat?

III. Sed facilis est ad ista responsio. Pauci fortasse erunt, qui eam assignent Cherubinis arcam obumbrantibus formam, quæ a te describitur. Etenim tam prope tum accederent Ægyptiorum monstris, ut ab his sejungi vix possent. Ea vero momenta, quibus fidis, dum hanc Cherubinis tribuis formam, egregie refelluntur ab ingenioso, & docto Vasquesio, (c) ad quem lectorem amando. At age: fac qua vis forma; mihi satis est, si Angeli in iis referantur: hos tamen referri valde probabilis, uti dixi, & a viris Clarissimis laudatissima sententia est. Quam ob rem de illius τȣ̃ Cherub propriissima significatione disputare nunc nihil attinet.

(c) dispu. 104. in III. partem D. Thomæ cap. 6. n. 36. 37. 38. & 39.

IV. Erant vero, fateor, abditæ, & a popularium oculis subductæ imagines istæ; at non propterea ignotæ. Etenim illarum formas si oculis intueri non poterant Hebræi, mente tamen assequi, si vellent, poterant, quod diligenter describerentur in sacris libris, nemoque jam foret, qui eas in Templo, veluti in totius nationis Sacrario, retineri nesciret. Et sane notas fuisse is fatebitur, qui postquam etiam

ab

ab Hieremia propheta ex omnium oculis subducta est Arca, (d) illius tamen expressissimam speciem in triumpho Titi Romam delatam fuisse, tum in Triumphali eidem Tito erecto Arcu delineatam etiam nunc conspici putet. Ceterum (quod alibi dixi) negativo potius, quàm positivo argumento ego quidem innitor.

(d) 2. Macha. 2. 5. &c.

C A P. X.

Eorum rejicitur opinio, qui putant quaslibet humanam speciem referentes imagines Hebræis fuiße interdictas.

I. SEd non defuere, qui Cherubinorum, ideoque Angelorum imagines minime fuisse interdictas Hebræis faterentur, at interdictas affirmarent eas omnes extantes imagines, quæ humanam speciem referrent. (a) Quam quidem opinionem ut amplectar, minime adduci possum. Arbitror enim nullo præcepto fuisse impeditos Hebræos, quo minus aliquam humanam imaginem effingerent, retinerentque. Innititur hæc mea persuasio negativo argumento. Donec scilicet afferant probationem aliquam, quam commode solvere non possimus, constanter censebimus nullo re vera præcepto hac in re Hebræos fuisse obligatos.

(a) Vide §. 11. cap. 6.

II. At aliqua adhuc argumenta habeo, quæ positivas probationes appellare fortasse poteris, & quæ ego ipse conjecturis potius, quàm firmis, validisque argumentis annumero. Primum mihi præbet Michol, quæ simulacrum quoddam, hominis similitudinem adeo referens, ut Davidem exprimere posset, in lecto posuit, ut ea ratione Saulis satellites falleret. (b) *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum.* Aliquod ergo ea in domo erat Davidis simulacrum, seu statua, aut certe aliquid, quod Davidis imaginem, & similitudinem haberet. Argumentum aliud subministrat titulus ab Absalone sibi erectus (c). Putant scilicet multi, inter quos recensendus est Josephus Hebræus, (d) (nec temere, ut arbitror, putant) titulum hunc aut simulacrum quoddam fuisse, quod Absalonis referret effigiem, aut arcum quendam, vel aliud affine monumentum, in quo insculpta esset Absalonis effigies. Tertium denique argumentum fortasse subministrabunt non-

(b) 1. Re. 19. 13.

(c) 2. Re. cap. 18. v. 25.

(d) 7. *antiqui.* cap. 10. editio. Rufi.

nonnulli Regum Asmonæorum nummi; in iis quippe excusi apparent eorundem Regum vultus. Didici id ex Calmeto (e) hæc inquiente „ Reges tamen Asmonæi, „ qui filio ipsius Simonis Joanni Hircano successerunt, „ ab hac avi religione recedentes, monetas cum ima- „ gine suâ, adjecto in posticâ parte emblemate fertili- „ tatem Judææ significante cuderunt; qui deinde mos „ usque ad excidium Judææ sub Vespasiano obtinuit.

III. Nemo porro prohibere me potest, quo minus eà afferam, quæ nuper reperi in Eminentissimi Capisucchi libris, quibus id, quod agimus, præclarissimorum virorum auctoritate confirmatur. En illa. (*) „ Immo „ Cardinalis Paleottus (f) observat ex Sandero (g) „ quod cum Genes. 28. Jacob post visionem scalæ, „ quæ pertingebat Cœlum, tulit lapidem, quem sup- „ posuerat capiti suo, & erexit in titulum, &c. hoc „ secundum ipsos Hebræos intelligendum sit, quòd Ja- „ cob erexit statuam; atque ita Sanctes Pagninus (h) „ & alii rerum Hebraicarum periti, verba illa, erexit „ in titulum, legunt „ erexit statuam. „ Et Eustatius „ author Græcus (i) dicit, lapidem ceu columnellam „ erexit, visionis monumentum, exprimens pro viri- „ bus imaginem ejus personæ, quæ sibi apparuerat.

IV. Addi consuevere & hæc. Si Petrus in Domini transfiguratione Moysen, & Heliam agnovit, an incredibile putas, propterea eos agnovisse, quòd eorum vultus, & lineamenta ex imaginibus nota haberet? Quo modo enim agnovisset, si nullæ eorum extitissent effigies? Quod si Moysis, & Heliæ imagines fingere, & retinere Hebræi poterant, cur reliquas, quæ humanos vultus exprimerent, eis interdictas censebis?

V. Ad hæc: ex Evangelio constat, Cæsaris effigiem in nummis fuisse expressam. (k) Porro in Judæa cusos fuisse nummos eos, propterea adducor, ut credam, quod Romani Imperii provinciis monetam cudere cum Imperatoris imagine jus esset. At si nummi ii cusi in Judæa non fuerunt, certe illis utebantur Judæi, qui propterea retinere illos poterant. Has tamen postremas probationes quanti ego quidem faciam, deinceps manifestius aperiam.

(e) In disquisi. *de vetustate moneta signata* ad versicul. 16. capitis XX. Genesis. Tom. 1. Commentario. pag. 57. sed hæc verba respondent pag. 63. editio. Lucensis.

(*) *controv. sele. De cul. Sacrar. imagi.* quæst. 1. §. 3. pag. 588. edit. Rom.

(f) lib. 1. de Imaginibus, cap. 17. pag. 79. edi. Ingol. 1594.

(g) de Imag. lib. 2. cap. 3.

(h) cap. 28. Genes. v. 17. aliàs 18.

(i) in Catena Græca in Genes. cap. 28. apud eundem Palæotum.

(k) Lucæ 20. 24.

CAP. XI.

Iis occurrimus argumentis, quibus hactenus dicta impetuntur.

I. AD nostra tamen dicta eludenda, refellendaque sic primùm directe disputant. Humanæ effigies ad idololatriam perinde induxissent Hebræos, atque eos induxissent falsorum numinum effigies. Interdictæ itaque, si non ob aliam causam, certe propter periculum tam grandis criminis, fuere Hebræis. An ignoras idololatriam ab humana imagine originem habuisse, & per eam diffusam propagatamque fuisse? Id nos porro docet auctor libri Sapientiæ (a) hæc elocutus. „ Acerbo enim luctu dolens pater, „ cito sibi rapti filii fecit imaginem; & illum qui „ tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam „ deum colere cœpit, & constituit inter servos suos „ sacra, & sacrificia. Deinde interveniente tem- „ pore, convalescente iniqua consuetudine, hic er- „ ror tamquam lex custoditus est, & tyrannorum „ imperio colebantur figmenta. Et hos, quos in „ palam homines honorare non poterant, propter „ hoc quod longe essent, e longinquo figura eo- „ rum allata, evidentem imaginem regis, quem ho- „ norare volebant, fecerunt: ut illum, qui aberat, „ tamquam præsentem colerent sua solicitudine. Pro- „ vexit autem ad horum culturam & hos, qui igno- „ rabant, artificis eximia diligentia. Ille enim vo- „ lens placere illi, qui se assumpsit, elaboravit arte „ sua, ut similitudinem in melius figuraret. Mul- „ titudo autem hominum abducta per speciem operis, „ eum, qui ante tempus tamquam homo honoratus „ fuerat, nunc deum æstimaverunt. „

(a) cap. 14. v. 15. & subsequentibus.

II. Facile vero per humanas imagines idololatriam propagari posse, & diffundi, tum fateberis, quum ad numina ipsa, & simulacra veterum deorum, adverteris animum. An non humano vultu membrisque exprimebantur Isis, Jupiter, Neptunus, Mars, Mercurius, Venus, & reliqui hujus generis

ñeris Dii mortalium omnium ſcandalum, & periculoſiſſima illecebra?

III. Quid? quod Baal, ſeu Belus, a cujus cultu cavendum erat maxime Hebræis, (quippe qui nequiſſimis finitimarum gentium exemplis hac præſertim in re perverti poterant) non aliud erat, niſi ſimulacrum quoddam hominis imaginem referens. Baalis itaque ſimulacrum faciebant quicunque hominis imaginem faciebant. Porro diximus Hebræos fuiſſe prohibitos a ſimulacris faciendis, retinendiſque. Et ſane quantum ab humanis imaginibus abhorrerent Hebræi, multis quidem argumentis intelligere poſſumus, ſed iis præſertim, quæ præbet Joſephus libro 18. antiquitatum: (*b*) tumultuaſse enim docet ille Judæos, mortem potius ſubire paratos, quàm ferre Tiberii, & Caligulæ Imperatorum imagines, quas Pilatus, & Petronius Judææ præſides erigere nitebantur. Monet etiam idem Joſephus, (*c*) omnino non toleraſſe Judæos imagines Cæſaris in militaribus ſignis expreſsas. Ad hæc: Herodes cum trophæa ſtatuiſſet, non prius iram, tumultumque populi ſedavit, quam quum iis detectis oſtendit nullas in eis Cæſarum effigies extare. Porro hoc tam admirabile adverſus humanas imagines odium vel poſitivo aliquo præcepto innitebatur, vel certe communi quadam, & quæ jam omnium animos ceperat, perſuaſione, qua putabant Deo id diſplicere quàm maxime.

IV. Sed nihil horum cogit nos, ut ab eis, quæ propoſuimus, recedamus. Num idololatriæ primam prorſus originem deſcripſerit auctor libri Sapientiæ, an eam, quæ apud Hebræos notior erat, illiſque periculoſior, Beli ſcilicet, ſeu Baal, diſputant multi. At age: fac revera primam prorſus Idololatriæ originem, propagationemque eum deſcripſiſſe. Si rem penitius inveſtiges, deteges ex humana effigie occaſionem erroris deſumpſiſſe artificem, & populos per ſummam dementiam eam adorantes, minime vero illam per ſe præbuiſſe impii, inſanique cultus originem, aut occaſionem. At quis id continuo improbum dicet, ex quo aliquis per ſummum ſcelus occaſionem mali ſumit? Properemus ad alia.

V. Num plerique veterum Dii humanâ formâ expri-

(*b*) cap. 15. Vide etiā quæ tradit idem Joſephus lib. 2. de Bello Judaico, cap. 8. & 9.

(*c*) cap. 5. libri decimi octavi.

primerentur, ignotum eſt. Sane Ægyptii Deos ſuos monſtris ſimillimos, canis etiam, aliorumque animantium effigie exprimebant. Vitulum quoque, & Crocodillos, aliaſque animantes, fortaſſe etiam arbores, & olera divinis afficiebant honoribus; hinc *latrator Anubis* a Poeta irridetur. Ii quoque irridentur, quibus *Dii naſcuntur in hortis*. Si quid ergo virium tuum habet argumentum, facile evincet canum, & animantium quarumcunque, & monſtrorum effigies interdictas fuiſſe Hebræis: Quibus etiam ſi vel remotiſſimas idololatriæ occaſiones interdictas fuiſſe vis, interdictos fuiſſe dices vitulos, & canes, & nemora, & arbores; quibus ſcilicet iidem Hebræi viderant divinos honores ab aliis nationibus adhiberi. At quæcunque fuerit veterum deorum forma, aut genus, non propterea humana effigies ad cultum numinibus deferendum adducere ſapientes poterat. Immo humana effigies ab hujus modi cultu abduxiſſet, ſi rem diligentius inveſtigaſſent. Quis enim deos ſui ſimiles merito colet? Et ſane Belum non fingebat quiſquis hominis effigiem formaſſet, ſed is tantum, qui hominis effigiem ideo efformaſſet, ut Deum ab Aſſyriis cultum repræſentaret.

VI. Sed orationem denique convertamus ad argumentum illud, quo potiſſimum innituntur, teſtimonium ſcilicet, atque auctoritatem Joſephi. At monitos eſſe vos volo, non modo teſtari Joſephum humanas effigies diſplicuiſſe Judæis, ſed eos a quavis imagine abhorruiſſe; quo in argumento nos diu immorari neceſſe non eſt, cum ſuperioribus capitibus copioſe de eo egerim. Et hoc quidem reſponſum habent eæ objectiones, quibus directe nos impetunt.

VII. Sic porro alio argumentorum genere, ideſt ſolutione noſtrarum probationum diſputare adverſus nos pergunt. Cur probationibus, quæ jam adductæ ſunt, inniteris? quum ſi diligentius ad eas adverteris, leves ſtatim, & futiles ſis declaraturus? Profecto primam probationem hoc modo ſolvis. Rudem aliquam imaginem confercierit Michol, dolum minime malum juvantibus tenebris, auctoritate Regiæ Principis, & veſtibus, quibus imago, quæcunque ea fuerit, tegebatur, continuo habes, quidnam oret ſimulacrum illud, cui tu fidis. Secundam quo-

que

que probationem eludis, si dicas, aut triumphalem arcum, aut monumentum aliud, quod Absalonis memoriam perennem facere posset, sine ulla Absalonis effigie, fuisse titulum illum: conspicimus enim triumphales Romanis Imperatoribus erectos arcus sine ulla ipsorum effigie. (*d*) Verum age: fac effigiem Absalonis aliquam in eo monumento fuisse expressam. Num dicere prohiberis contemptam hac quoque in re ab improbo Principe fuisse divinam legem tum fortasse alibi, tum certe numero ipso primo capitis vicesimi sexti Levitici his verbis significatam? *Ego Dominus Deus vester: non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra.* Etenim titulorum nomine indicantur statuæ, quæ a Gentilibus ad sui memoriam in posteros traducendam erigebantur. Id sane edocent, si Vasquesio credimus, (*e*) Isichius, & Rodulphus Flaviacensis, & apertissime omnium Josephus cap. 9. libri septimi antiquitatum. Reliqua prosequamur. Num Asmonæos Reges vere exprimant ea numismata, quæ ab iisdem Regibus putantur cusa, dubitatur a multis, nec temere fortasse dubitatur. Quin etiam dubitatur, num conficta ea sint, an sincera. Sed nolo ea de re disputemus: fac vere ab iisdem Regibus fuisse cusa, eorumque vultus in iis exprimi: quid si dicam extra Judæam fuisse illa cusa? Quid si reposuero a veterum Religione defecisse eos Reges, & ab iis contemptas patrias leges? Hæc tamen dici commode possunt. Cur porro per Moysis, & Heliæ imagines in populo superstites eosdem Moysen, & Heliam agnitos fuisse ais? Num agnosci ii a Petro non poterant per interiorem Spiritus Sancti inspirationem, quod docet Tertullianus? (*f*) vel ex lineamentis illis, & vestibus, atque apparatu, quibus eos viros sacri libri exprimunt? Potuit etiam ex Christi sermone eos alloquentis id assequi. Si enim *apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo* (Christo) *loquentes*, (*g*) credibile est Christum illis aliqua reposuisse, & nominibus propriis eos compellasse. Imaginem vero Cæsaris, quam nummi referrent, cudere potuere Romani in Judæa siti, vel Judæi ipsi, qui aut nullos nummos cudere poterant, aut eos tantum, qui Cæsaris effigiem

(*d*) Videas opto, quæ ad locum hunc edocet Optimus P. Calmet.

(*e*) disputa. 104. in III. partem cap. 3. n. 12.

(*f*) cap. 22. libri quarti contra Marcionem.

(*g*) Matth. 17. 3.

figiem haberent. Quod si vis propterea ab iis approbatas fuisse imagines, etiam Crucis, Domini Jesu, & Virginis Deiparæ imagines approbatas ab iis dices: neque enim tantum modo utuntur nummis, quos Christiani Principes cudunt, in quibus hæc exprimuntur, verum etiam sæpe ii ipsi cudunt, dum iisdem nummis cudendis, & publico ærario præsunt, quod Principum indulgentia quadam sæpe fit. Sane quum illis permisere Principes, ut monetam, qua iis liberet, forma cuderent, sine ulla imagine cuderunt. Id palam conspicis in Siclis, quos Samaritanos vocant, & quorum formam exhibent Viri eruditi. Hactenus adversarii, quorum impetus sic retundo.

VIII. Quum statuæ Davidis memini, & reliquarum probationum, quas reprehendere, infirmareque student adversarii, illarum memini rerum, ex quibus argumentum veri simile procul dubio conficitur. Ceterum statuam illam re vera simulacrum aliquod fuisse, indicare videtur vox ipsa *Theraphim*, quæ simulacrum fere redditur. Quamquam porro putant nonnulli, referente Calmet, (*) idolum aliquod fuisse illud, quod domi servaretur sive ad ornamentum, sive ad profani cultus opprobrium: tamen ut candide, quæ sentio, eloquar, minus probabile id redditur ex iis, quæ deinceps tradam. Et fortasse ex ea re occasionem damnandi Davidis sumpsisset Saul, quasi fuisset David profani cultus amator.

(*) ad locum hunc.

IX. Ais titulum sibi ab Absalone erectum ejusdem Absalonis effigie caruisse. Ad hanc tuam difficultatem lubenter fateor, si tu vis, explicari aliter posse, atque ego explicavi verba illa 2. Reg. 18. 18., ideoque tantum tribui explicationi huic meæ, quantum conjecturæ, & probabili argumento tribui consuevit, & nihil amplius. Ceterum titulos quoscumque erigi non vetat lex adducta ex Levitico. Quippe arbitror non toleraturum fuisse Davidem veri Dei cultorem, illiusque cultus mirum in modum sollicitum, palam à filio suo erigi monumentum illud, quod Deus erigere prohibuisset, neque Saul titulum sibi erexisset; quippe novimus Saulem ab Idolorum cultu alienum. Eos itaque titulos tantummodo interdictos fuisse Hebræis puto, qui *ad adorandum* erigerentur. Lege versiculum ipsum

ſum, & id manifeſto intelliges. Libet autem confirmationis causâ commentaria optimi, atque eruditi interpretis Calmet in locum hunc referre. En illa. „ *Nec titulos erigetis*. Hebrȩum *Matzebah*, „ ſignificat columnam, vel ſtatuam, vel lapidem „ quemcumque, ſeu erectum aliud monumentum. „ Cavet Moyſes, ne monumenta illa in regione e„ rigantur, diſcrimen omne idololatriæ ſubmoturus. „ Jacob, Joſue, & ipſe pariter Moyſes erexerunt „ monumenta, ſed eo tantum conſilio, ut perennem „ largitionum divinarum memoriam ſervarent: vel „ mera eſsent publica monumenta, nihil ſacri refe„ rentia, nihil quod allicere poſset incautos in ſu„ perſtitionem; quare legis hujus ſanctione non com„ prehendebantur. Monumentorum hujuſmodi varia „ genera notant Pagani. En locum Apuleii, *in* „ *Floridorum initio*, paucis pleraſque ejuſmodi ſuper„ ſtitiones amplectentem. *Neque enim juſtius Reli*„ *gioſam moram viatori objecerit, aut ara floribus re*„ *dimita, aut ſpelunca frondibus inumbrata, aut quer*„ *cus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata*, „ *vel etiam colliculus ſepimine conſecratus, vel trun*„ *cus dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine humiga*„ *tus, vel lapis unguine delibutus*. Non diſſimi„ lia his monumenta in idololatriam, & ad corrum„ pendum genuinum Dei cultum propellentia, præ „ oculis habuiſſe Moyſes non immerito crederetur. „ His adjunge annotationem ejuſdem Calmet ad verba ſubſequentia, id eſt ad ea: *nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra*, ad quam te rejicio.

X. Quum porro vultus Regum Aſmonæorum in eorum nummis expreſſos dixi, id dixi, quod vir præclariſſimus Calmet me docuit. Is ſane quum hæc tradidit, conſuluit (ut puto) Scriptores multum in hoc argumento verſatos. Ceterum ſi ea tibi probatio diſpliceat, quis te cogit, ut eam amplectaris? An hac una innitimur, quum humani vultus imaginem Judæis minime interdictam diximus? Jam poſtremum aggredior.

XI. Probationes ex Evangelio deſumptas cur infirmare niteris, quando ego quidem minime illas adduxi? Agnovi ſcilicet, veriſimiles, ſi vis, eſſe illas, at ſi ſeorſim ab aliis ſumantur, non multum roboris in iis ineſſe puto. Eum tamen, qui iis uteretur, minime

ego

ego quidem reprehenderem. An nescis multa verisimilia argumenta, si conjungantur, a viris etiam ingeniosis in pretio haberi, atque honore? Vetustum sane, & laudatissimum monitum tradidisse putatur Ovidius, quum hæc ait.

Et quæ non prosunt singula, multa juvant.

C A P. XII.

Interdictas fuisse Hebræis tum expressas veri Dei, (de symbolicis enim, & ænigmaticis illius imaginibus incerti sumus, quid pronunciemus:) tum quaslibet falsorum numinum Imagines.

I. VEniamus tandem ad eas imagines indicandas, quas ne facerent, prohibiti sunt Hebræi. In harum numero tantum colloco imaginem expressam Dei veri, & quaslibet falsorum numinum. Profecto ab expressa veri Dei imagine efficienda fuisse prohibitos, haud obscure indicatur capit. 4. Deuteronomii (*) his verbis. „ Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis; ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel feminæ, similitudinem omnium jumentorum, quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium, atque reptilium, quæ moventur in terra, sive piscium, qui sub terra morantur in aquis: ne forte elevatis oculis ad Cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.„ Ad quæ verba hæc eloquitur Theodoretus (a) *Ceterum hæc dicit, instruens eos, ne simulacrum ullum fabricent, neque unquam tentent divinam imaginem effingere, cum Archetypi speciem minime viderint.* Et Damascenus ad hæc ipsa verba (b) *Neque enim formam ipsius vidistis* hæc eloquitur. „ Proh Sapientiam legislatoris! quod visibile non est, quanam effingatur imagine?

(*) v. 15. & seq.

(a) in quæstionibus selectis in Deuter. pag. 60. edit. anni 1573.

(b) n. 8. in editione Zini pag. 8. orationis primæ *adversus oppugnatores imaginum*.

„ gine? Quænam ejus efformetur effigies, quod nec „ conjectari possit? Qua ratione delineetur, quod „ quantitate, mole, & termino caret? Quo modo „ illius, quod formæ est expers, forma adumbrabi- „ tur? Quibusnam tandem, qui corporeus non est, „ coloribus describetur? „ Et mox. „ (c) Quapropter „ Deum olim, ut corporis, ac figuræ expertem, imago „ nulla referebat. Nunc vero postea quàm in carne „ visus est Deus, & cum hominibus conversatus est, „ qua parte conspiciendum se præbuit, Dei imaginem „ efformo. „ Indicat autem his verbis eam, quam Theologi nostri rationem hujusce divini mandati afferunt: scilicet propterea prohibitos fuisse Hebræos, quo minus expressam aliquam veri Dei imaginem facerent, quia rudis ille populus quacunque sub formâ cum expressisset, putasset veram illam esse Dei formam, & sic in errorem turpissimum fuisset inductus: neque alios finitimos populos, qui deos corporeâ formâ expressos colebant, ea animi securitate reprehendere potuisset, qua revera reprehendit. At aliam etiam hujus præcepti rationem iidem Theologi adducunt: nimirum, ut Hebræorum exemplo nationes reliquæ, quæ Deum corporeum & arbitrari, & colere consueverant, a turpi consuetudine recederent, unumque materiæ cujusque, & formæ expertem Deum discerent adorare.

(c) n. 16.

II. Huic præcepto potissimum paruisse extremis Judaici Regni temporibus Hebræos, multis quidem argumentis discimus. Placet interea testimonium Cornelii Taciti (d) adducere. „ Judæi (*inquit ille*) mente sola, „ unumque Numen intelligunt: Profanos qui deûm „ imagines mortalibus materiis in species hominum „ effingant.

(d) li. V. histo. cap. 5. aliàs 21. anna.

III. Porro ex his facile conjicimus non modo interdictum fuisse Hebræis, ne formarent, verum etiam fuisse interdictum, ne ab aliis formatam, quam putarent veri Dei imaginem, retinerent. Nimirum testatur Deus se propterea vetuisse, ne omnino efformarent, quia quamcunque tribuerent formam, corporeum sane illum finxissent, & facile putassent etiam. At qui formatam ab aliis, quam putaret veri Dei imaginem, corporea aliqua forma expressam, retinuisset Hebræus, (præter quam quod approbare videretur temeritatem illius, qui, Deo id vetante, fingere tamen illum voluit) aut re vera putas-

ſet corporeum eſse eundem Deum, aut certe facile in eum errorem induci potuiſset: Itaque fictam etiam ab aliis veri Dei imaginem retinere prohibebatur.

IV. At num arcam fœderis, quæ divinitatis formam aliquam aut potius leviſſimam umbram, ideoque ſymbolicam, & ænigmaticam imaginem habere videbatur (quatenus Dei ſolium, quod circumſtarent, & velarent Cherubim, utcunque exhibebat) exprimere Hebræi poſſent, an non, neque affirmare audeo, neque affirmani obſiſtere pertinaciter vellem. Sane imaginem veræ arcæ, quæ ab Hieremia repoſita deinceps latuit, ab Hebræis fuiſſe formatam cenſent viri doctiſſimi, atque ab ea expreſſam fuiſſe ajunt illam, quæ in arcu Titi ſculpta conſpicitur. Ad hæc: nullum imminebat periculum, ne, ſi eandem arcam picturâ, aut ligno, aliâve ratione exprimerent, veri Dei formam corpoream eſſe putarent: nulla quippe expreſſa Dei ſpecies, aut forma in eadem arca referebatur, ſed tantum remotiſſima ſpecies illius throni: quem ſi ſimilem Arcæ fœderis mente concepiſsent Hebræi, ruditati eorum indulgendum fortaſse fuiſſet, extollendaque eorum mens ab imperfectâ hac, & leviſſimâ imagine ad præſtantiſſimum ſolium illud, quo Deus circumſtantibus, ac ſe præ timore, ac veneratione proſternentibus Angelorum millibus, ſedet. Num porro eam re vera expreſſerint, neſcio: ab affirmante tamen expoſco, ut eam ipſam, quam putat a Judæis expreſſam, indicet; quæ enim in Titi arcu expreſſa eſt, a Gentilibus expreſsa eſt, eam fortaſſe delineantibus ex ea Arcæ deſcriptione, quam ſacri libri tradunt. Ea vero, quæ in antiquis vitris reperitur, & ab aliquibus creditur quædam Arcæ imago ab Hebræis formata, Arcam (meo quidem judicio) non exhibet, ſed armarium Legis libros continens, ad quod quidem Leones excubent. Hæc porro imago ſubſtituta fortaſse eſt ab Hebræis veteri formæ Arcæ, item fere ut nomini illi Dei, quod *innominabile* appellabant, nomen *Adonai* ſubſtitutum ab illis eſt. (*) (5)

(*) Vide quæ tradit Cla. Philip. Bonarota in eo libro, quem ad hunc modum inſcripſit: *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti*, tab. 2. fig. 5. &c. pag. 20.

V.

(5) „ I quali Ebrei può eſſere che abbiano preſo dall' „ Arca l' uſo di queſto tabernacolo per conſervare le „ divine Scritture in varj volumi, e perciò lo chia- „ mano

V. Sequitur pars assertionis altera, ostendimusque Scripturarum, & Sanctorum Patrum testimonio, probabili quoque ratione evinci interdictum fuisse Hebræis, ne falsorum etiam numinum imagines fingerent, aut retinerent. His porro momentis ea innititur. Versi: 4 capitis XX. Exod. hæc Deum præcepisse edocemur. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quę in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea, neque coles.* Nimirum vocabulo hoc *sculptile*, seu, ut vertunt alii, *simulacrum*, significatur idolum, id est falsi numinis imago. Imaginem ergo falsi numinis facere Hebræi non poterant divino jussu impediti. Eadem vero causa, quæ Deum movit, ut vetaret fieri ab Hebræis simula-

---

„ mano collo stesso nome dell' Arca *Aron*, o perche „ credessero, che l' Arca antica avesse una simil forma, onde Cosma Indicopleuste, che visse verso il „ mezzo del sesto secolo, porta per figura dell' Arca „ un simile armadio (a); o pure perche in questo „ tutta la sacra Scrittura conservano, siccome nell' „ Arca di Moisè si custodivano le due tavole, compendio di tutta la legge, per la qual cosa ella era „ chiamata Arca della Confederazione, e del Testamento. E' probabile però assai, che questo loro „ tabernacolo abbia avuto l' origine più immediata „ dall' uso del secondo Tempio, in cui essendo perduta l' Arca, avranno in vece di quella tenuto nel „ Sancta Sanctorum un simile armadio co' sacri volumi, giacchè anticamente questi si conservavano vicino all' Arca di Moisè (b), e chiamarono forse „ anche questo armadio Aron, ed Arca del Testamento; ed a questo costume del secondo Tempio, „ avranno avuto riguardo S. Epifanio (c), e il Damasceno, (d) i quali, parlando de' Libri apocrifi, „ dicono, che non erano tenuti nell' Arca, o nell' „ Arca del Testamento; e quindi ne sarà venuto l' uso, che tanto fosse appresso gli Ebrei l' essere nel „ Testamento, quanto appresso di noi nel canone delle scritture; poichè avanti il secondo Tempio propriamente dir ciò non si potea, giacchè, come notano gli Eruditi, i sacri volumi non si conservavano „ nell' Arca della Confederazione, o del Testamento, „ ma vicino alla medesima, come si è detto.

(a) app. il P. Montfaucon in collect. nova T. 2. p. 298.

(b) Deut. c. xxxi. 26.

(c) De Pond. & mensur.

(d) Orthod. c. 18.

lacra, ſeu deorum falſorum imagines, eadem quoque illum movit, ne ſineret ab iis retineri. Etenim juſſit Deus, ne Hebræi falſorum numinum ſimulacra facerent, quòd videret facile amanda, & colenda ab iis fore: præſertim quum inclinati maxime eſſent, & proclives ad idololatriam. Cum ergo amaturi etiam eſſent, & culturi, ſi ea retinerent, eâdem ipſâ juſſione, qua prohibiti ſunt ea facere, prohibiti ſunt etiam ea retinere.

VI. At proferamus, ſi vis, Scripturarum teſtimonium, quo manifeſte aſſequaris, interdictum fuiſse Judæis, quo minus eas, de quibus agimus, falſorum Deorum imagines retinerent. En illud. Primo Regum libro (*) „ ait Samuel ad univerſam domum Iſrael „ dicens: Si in toto corde veſtro revertimini ad Do- „ minum, auferte Deos alienos de medio veſtri, Baa- „ lim, & Aſtaroth, & præparate corda veſtra Domi- „ no, & ſervite ei ſoli, & eruet vos de manu Phili- „ ſthiim. Abſtulerunt ergo filii Iſrael Baalim, & A- „ ſtaroth, & ſervierunt Domino ſoli. „ Nonne his verbis jubentur a Samuele Hebræi, (ut oſtenderent Deum ab iis coli) jubentur, inquam, auferre Deos alienos de medio ſui? Id ſi exequerentur, tum liberandos fore eos de manu Philiſthiim. Erant ergo præcepto obligati, ne eos retinerent, illeque minime colebat Deum, neque peculiaria illius beneficentiæ argumenta experturus erat, qui retineret, ut pote criminis reus.

(*) cap. 7. v. 3. & 4.

CAP.

C A P. XIII.

Tolluntur leves quædam difficultates, quæ adversus superiori capite proposita objiciuntur.

I. SEd quo magis appareat nostræ verisimilitudo, firmitasque sententiæ, ea producere volo argumenta, quibus eam impetitam vidi. Porro adversus primam assertionis nostræ partem (in qua scilicet diximus prohibitos fuisse Hebræos, quo minus veri Dei imaginem fingerent, aut retinerent) pauca, &, si vis, etiam levia, at a nobis minime negligenda objiciuntur. En illa. Non adeo perspicua, expressaque est ea jussio, quæ vetet fieri, retinerique ab Hebræis veri Dei imaginem, ut indubitate eos ab eadem jussione obligatos dicere compellamur. Sed fac prohibitos fuisse eos, quo minus expressam, veramque, quam putarent, Dei imaginem fingerent, retinerentque. Non propterea ab ænigmatica quapiam Dei imagine aut formanda, aut retinenda fuisse prohibitos allegatis Deuteronomii verbis ostendis, quum tamen generatim enunciatum sit ab imagine veri Dei aut fingenda, aut retinenda eos fuisse prohibitos. Licet nempe Christianis (quos jussio illa etiam afficit, id indicante Augustino, (*) dum hæc ait. *In illis igitur decem præceptis, excepta Sabbati observatione, dicatur mihi, quid non sit observandum a Christiano, sive de non faciendis, colendisque idolis?*) specie aliqua ænigmatica, & per symbola Deum exprimere: immo etiam licet exprimere eâ, qua ille interdum apparuit formâ, & specie. Hoc modo columbæ, ignisque sub forma Spiritum Sanctum exprimimus, quia sub his formis apparuit. Itaque si non vis eâ, qua Deus Moysi apparuit, specie, repræsentari illum potuisse, (id enim vetare videntur allegata ex Exodo verba) cur prohibitos dices Hebræos ab eo sub ænigmatica aliqua forma exprimendo?

(*) in libro *de Spiritu, & litt.* cap. 14. aliàs n. 23.

II. At primum sic dissolvite. Perspicua sunt ipsa præcepti verba, & clariora adhuc fiunt sanctorum Patrum auctoritate, & communi quadam conspiratione,

ne, ex qua intelligimus (si Arcæ imaginem ad summum excipias) re vera prohibitos fuisse Hebræos, quo minus ullam tam etti ænigmaticam veri Dei imaginem fingerent. Nobis vero licet Deum per symbola, & ænigmatice, aut sub aliqua earum formarum exprimere, qua ille apparuit, quia longe absumus ab eo periculo idololatriæ, falsæque persuasionis, cui subdebatur rudis Hebræorum populus in idololatriam, ac superst.tionem propensus; mirum quantum! Sic porro nostram sententiam confirmat auctoritate sua Damascenus „ (*) Judæis quidem, quoniam ad idola colen„ da propensiores erant, hæc injuncta fuerunt. Nos „ autem, quibus, ut cum Theologo loquar, datum est, „ ut evitato superstitionis errore, & agnita veritate, „ cum Deo pure versemur, eique soli servientes per„ fectas divinæ scientiæ divitias assequamur . . . . . „ non sumus amplius sub pædagogo: quippe qui dis„ cernendi facultatem, & habitum consequuti, illud „ sciamus, quid imagine exprimi possit, quidve delinea„ re non liceat. „

(*) ora 1. adversus imaginũ oppugnatores n.8. in editio. Zini pag. 8.

III. Augustini testimonium mox expendam, illustraboque. Facile vero eam explicationem, quam tum præbebo, adhibere hic, aliqua saltem ex parte, poteris. Nunc quasi in antecessum aj› interdictum quoque esse Christianis Deum exprimere sub forma aliqua, qua divinam ipsam substantiam contendamus exprimere: interdictum etiam esse ænigmaticam quamlibet illius imaginem facere, si illud Idololatriæ periculum immineat, quod Judæis tunc imminebat. Illud si removeas, (nunc vero remotum esse quis neget?) ænigmaticas veri Dei imagines facere possumus.

IV. At dissolutis iis, quæ adversus primam assertionis partem objici consuevere, agite, proferamus ea, quibus partem alteram impetunt. En statim illa. In eo Exodi loco, qui paulo ante allegatus est, non dicitur absolute: *non facias*, aut non *non retineas sculptile*, sed tantum dicitur non *facias tibi*: id est ne facias tibi esse sculptile, aut simulacrum, seu idolum; id est si forte expresseris, aut retinueris imaginem filii Dei, cave, ne eam colas, faciasque tibi ex ea idolum, sicuti faciunt sibi ex ea idolum nationes finitimæ. Hic quoque allegant eum ipsum Augustini locum, quem nuper allegavimus: quo posito sic disserunt. Itaque docente Augu-

Augustino æque obligabantur Hebræi decalogi præceptis, ac nunc obligantur Christiani. Porro Christiani minime prohibentur facere, aut retinere idola, aut simulacra gentium, sed tantum prohibentur facere sibi, seu retinere, ea diligendo, & colendo. Igitur id tantum impositum Hebræis erat.

V. Ut hæc dissolvas, adversarios mone, ita a Patribus verba illa Exodi accipi, ut omnino prohiberentur Hebræi Deorum inanium simulacra facere, aut retinere; ne scilicet in iis occasionem periculi haberent, aut approbare viderentur finitimarum gentium improba exempla. Porro Patrum consensio veram Scripturarum interpretationem subministrat, & ex eâ intelligimus idem futurum fuisse Hebræis facere hujus modi simulacra, ac *facere sibi*. Fortasse etiam additur particula illa *sibi*, ut nosent Hebræi non modo interdictum fuisse eis simulacra sculpere, aut facere, verum etiam sculpta, aut facta sibi comparare.

VI. Sed Augustinum objicis monentem, eâdem lege (quod ad idola attinet) adstringi nos, atque Hebræos. At adhuc ajo, contendoque idem fuisse Hebræis *facere*, ac *facere sibi*, idola, ac simulacra; minime vero idem esse Christianis, iis saltem, qui ab Idololatriæ periculo semoti vivunt. Et fortasse Augustinus, & alii eorum temporum Patres innuunt morem ætatis suæ: neque enim tum Christianis licebat inanium Deorum imagines facere, (fortasse etiam retinere iis non licebat) & ex Ecclesiastica historia discimus martyrium subiisse nonnullos statuarum artifices, quòd inanium Deorum simulacra fingere noluerint. Nostris temporibus statuas inanium Deorum, & fingimus, & retinemus, quia scilicet jam agnoscimus nullius numinis esse imagines, neque ulla scandali occasio aut nobis, aut aliis provenit: paucis: non *facimus* nobis Deos, aut idola, si statuas veterum numinum facimus, & domuum ornamenta esse volumus. Olim etiam prohibebantur Christiani in sermonibus, aut juramentis mentionem facere Deorum inanium. (& sane Judæos reprehendit Deus, quòd jurarent in Melchom. (*)) Quis vero vetat nunc, ne quasi per jocum, aut certe nihil addendo roboris dictis nostris, per Dianam juremus, aut Bacchum? Desiit quippe & periculum, & scandali occasio, quæ olim aderat.

[*] Sopho. 1. 5.

CAP.

C A P. XIV.

DE CONSUETUDINE FORMANDI, RETINENDIQUE SACRAS IMAGINES APUD CHRISTIANOS.

Eam vetustissimam esse pronunciamus.

I. IN illum tandem campum sumus ingressi, qui multo plures contra imagines pugnacissime certantes exhibet. Nimirum ne ullam Catholicorum consuetudinem irreprehensam relinquant nonnulli Protestantes, eas etiam vehementer accusant, quas olim condemnare non sunt ausi, ideoque nos redarguunt, non modo quia veneramur, atque honoramus imagines, non modo quia eas collocamus in templis, verum etiam quia eas efformamus; non quo imagines omnes ii condemnent; retinent enim Majorum suorum, Magistrorum, Principum, atque amicorum imagines; sed quod illis sacræ, ideoque Dei, Virginis, ac Sanctorum imagines displiceant: profani nimirum cultus, atque idololatriæ (ut eorum verbis utar) occasiones, immo certæ origines, & excitamenta. Desipere porro illos, qui hæc effutiunt, ac valde errare, subsequentibus capitibus copiose ostendemus. Nunc eam consuetudinem, qua sacras imagines efformamus, vindicemus oportet ab eorum calumniis, qui recentem prorsus, & nuper in Ecclesiam (imprudentia, ac temeritate quorundam) inductam ajunt, ejusdemque consuetudinis antiquitatem adstruamus. Quis porro, nisi prorsus impudentissimus ille sit, & adversus manifestam veritatem mendacissimus, negare audeat antiquissimum esse sacrarum imaginum in Ecclesia usum, cum nullum earum efformandarum designari possit exordium, & earum veluti jam pridem efformatarum mentio fuerit facta a vetustissimis Scriptoribus nostris? multæque nunc etiam extent, quas tribus prioribus sæculis fuisse efformatas, Viri in antiquis monumentis dignoscendis detriti judicent? Hinc in antiqua veluti possessione collocati Catholici, cum ab ipsis exposceretur, quandonam cœperint imagines in Ecclesia efformari, aut in quanam Synodo constitui, haud obscure responderunt

nullam earum inveniri poſſe inſtitutionem, originem nullam: extitiſſe illas jugiter in Eccleſia; proindeque iis, qui negant, incumbere, ut probent, quanam Eccleſiaſtica editione ſint illæ aut inſtitutæ, aut reprobatæ: quod ſi non fecerint, haud obſcure indicari, tum vetuſtiſſimas, tum jugiter in Eccleſia uſitatas, approbataſque fuiſſe ſacras imagines. Ne hic recentiores Theologos memorem id adteſtantes, clariſſimorum virorum ſententiâ, præſtantiſſimus Pontifex Hadrianus I. id innuit, dum Caroli Magni adverſus Nicænam II. Synodum querelas his verbis refutat: (*a*) „ Nos quidem infra „ ſcientes facimus, ſicut jam fecimus, quia & in veteri, & in novo teſtamento, ſive in ſex Synodalibus „ Conciliis ſemper venerandæ faciunt (*b*) ſacræ imagines, & factæ inter Sancta Sanctorum titulabantur. Nam illi nobis dicere debebant, in quali „ de ipſis ſex Synodalibus Conciliis reprehenſæ ſint ſacræ imagines. &c.

II. Quod ſi poſitiva etiam, eaque expreſſa monumenta expoſcis, quibus hujuſce moris antiquitas comprobetur, facile obſequar, oſtendamque deinceps (cum ſcilicet de unoquoque imaginum genere articulatim diſputabo) ab ipſis Eccleſiæ exordiis cœpiſſe ſacras imagines efformari, & retineri. Porro id poſtulari interea poterit; compellique debebunt adverſarii, ut, ſi quid adverſus hæc habent, ſtatim proferant.

(*a*) In epiſtola ad Carol. M. pro Synodo Nicæna II. par. 3. cap. 19. tom. 8. Concil. pag. 1591.

(*b*) id eſt *fuerunt*, quod in margine ſubſtituitur.

CAP. XV.

Primum quidem adversus Sacrarum Imaginum antiquitatem objiciuntur, tum illustrantur quædam Clementis Alexandrini testimonia.

I. ANnuunt porro monitis nostris iidem adversarii, magnumque instruunt adversus propositam sacrarum imaginum antiquitatem argumentorum apparatum; quibus consisi inusitatas veteribus, ignotasque fuisse ajunt sacras imagines. Quoniam itaque multa parant, seorsim illa, ac sejuncte proponere conveniens puto. Evitabimus scilicet hac ratione eam confusionem, quam aggesta rerum multitudo efficere solet. Præeant porro ea argumenta, quæ a veterum auctoritate, ac monumentis expromunt. Omissa vero auctoritate Scripturæ, ac potissimum quidem Exodi 20. (nam ea de re satis alibi (*) est disputatum) multa Patrū testimonia conglomerant; at hic non omnia quidem enumerabo, sed aliò rejectis iis, quæ quamquam commode spectare huc possunt, expressius tamen capita alia disputationum nostrarum impugnant, veluti est illud, quod ex Concilio Eliberitano, & ex Epiphanio desumitur; ea tantum recensebo, quæ peculiariter proxime superiori capiti obsistunt. Primas inter eos, quos hic nobis objiciunt, tenet Clémens Alexandrinus; quippe qui (a) Moysis edictum, quo removentur imagines, cum Pythagoræ edicto comparans, hæc subjungit. ,, Moyses multis ante sæculis aperte legem ,, sanxit, nullam oportere sculptilem, vel fusilem, vel ,, fictam, vel pictam imaginem, simulacrumve facere, ut sensilia minime attenderemus, sed ad ea trans- ,, iremus, quæ percipiuntur intelligentiâ. Ut Dei ,, enim Majestas vilis, & contempta reddatur, efficit frequens videndi consuetudo: & quæ intelligentiâ percipitur, essentiam colere per materiam, ,, est eam per sensum vilipendere. ,, Et rursus alibi: (b) ,, Quemadmodum ergo (*inquit*) qui ,, aliena furatur, cum magnam faciat injuriam, in ea

(*) cap. 6.

(a) lib. 5. Stromat. n. 5. pag. 662. edit. Potteri.

(b) 6. Stromat: pag. 816. edit. Potteri.

,, quæ

„ quæ meretur, mala merito incidit: ita qui divina „ opera sibi vendicat per fingendi, vel pingendi artem „ &c. „ Generatim autem in Protreptico, seu cohortatione ad Gentes: (*) „ Nobis enim (ait) est „ aperte vetitum artem fallacem exercere. *Non* „ *facies enim* (inquit Propheta (*)) *cujusvis rei si-* „ *militudinem eorum, quæ sunt in cælo, & quæcunque* „ *sunt in terra infra.* „ Hactenus adversus imaginum vetustatem ex Clemente Alexandrino deprompta sunt argumenta.

(*) pag. 54. edit. Potteri.

(*) Exo. 20. 4.

II. Quid ad hæc reponi possit, statim habete. Suspicatur Petavius (nec temere suspicatur) de Deorum imaginibus in testimonio primûm objecto (*) locutum fuisse Clementem Alexandrinum. *Verum fieri potest* (inquit Petavius (*)) *ut hic solas Deorum effigies a Moyse probibitas intellexerit, quarum ex Pythagora mentionem fecerat.* Sed re vera de Deo expresse loquitur, cum hæc ait: *Ut Dei enim Majestas vilis, & contempta reddatur, efficit frequens videndi consuetudo: & quæ intelligentia percipitur, essentiam colere per materiam, est eam per sensum vilipendere:* quasi diceret: Deprimimus, dejicimusque Divinam Majestatem, si jugiter in promptu nos habere putemus illius in annulo imaginem, & is, qui putat materiam subjectam sensibus Deum repræsentare, valde fallitur: quippe nulla sensilis res Deum exprimit, neque ejus speciem corporeæ res repræsentare possunt. Hinc Ægyptios, qui Minervæ ædem sub dio constituerunt, immo etiam Hebræos laudat, qui nullam veri Dei (cui templum erexerant) in templo ipso imaginem haberent: at ita laudat, ut eos improbare non videatur, qui in cælestium Orbium efformata imagine Deum colerent, adumbratum scilicet per cælestium Orbium pulcritudinem, veluti per imaginem, aut umbram quamdam. Quin idem Clemens id tacite approbare videtur, dum monet, hominem quoque Dei imaginem esse: quasi diceret: quandam Divinæ excellentiæ, & pulchritudinis umbrã, & imperfectam imaginem cælos fateri non recuso, qui novi, fateorque, Dei imaginem esse hominem. At verba ipsa, uti in latinam linguam conversa reperi in editione Danielis Heinsii, & Potteri, audiatis volo. (*) „ Quocirca Ægy- „ ptiorum quoque Sacerdotum sapientissimi Minervæ

(*) idest 5. Strom.

(*) 15. de incarn. cap. 6. §. 6.

(*) pag. 662. edit. Potteri.

„ ædem sub dio esse constituerunt, ut Hebræi, qui tem-
„ plum posuerunt absque simulacro. Sunt autem qui
„ Deum colentes, facta cœli effigie, quæ astra conti-
„ net, eum adorant; cum nostra quidem dicat Scri-
„ ptura, (*) *Faciamus hominem ad imaginem & simili-*
„ *tudinem nostram*. Operæ precium autem existimo,
„ Eurysi quoque Pythagorei vocem adducere, quæ sic
„ habet: nam cum in opere *De fortuna* dixisset, *Opi-*
„ *ficem seipso exemplari utentem, fecisse hominem*, sub-
„ junxit: *Corpus autem est reliquis simile, ut quod fa-*
„ *ctum fuerit ex eadem materia: a præstantissimo au-*
„ *tem effectum est artifice, qui ipsum est fabricatus,*
„ *seipso usus archetypo*. Porro verbis proxime præ-
cedentibus aliquam Dei, (remotam tamen) imagi-
nem exprimi posse, in qua quidem, veluti in effe-
ctu præstantissima causa, videatur, atque adore-
tur, ostenderat. Hic tamen addam, non
fuisse alienum ab imaginibus omnibus efformandis Py-
thagoram, quem in eadem, atque erat Moyses, circa
imagines sententiâ fuisse affirmat Clemens Alexandri-
nus, sed tantum cavisse tum ab idolis, tum a vero i-
pso Deo fingendo, atque in marmore, aut in alia quavis
materia efformando. Et sane ab imaginibus omnibus mi-
nime abhorruisse Pythagoram, ex variis conjicimus Py-
thagoram ipsum exprimentibus simulacris, quorum
unum Bononiæ in celebratissimo scientiarum institu-
to servari nos docuit Clarifs. Andruccius. (d) Sci-
licet aut ipse efformari voluit imaginem suam, aut
certe ut efformaretur, indulsit discipulis, qui cum
Magistri documentis addictissimi essent, eum tam-
etsi mortuum exprimere ausi non fuissent, si imagi-
nes omnes is habuisset exosas. Et de primo qui-
dem Clementis Alexandrini testimonio disputavimus
satis.

III. Venio ad secundum. Porro quæcunque alii tra-
dant, arbitror Clementem Alexandrinum de iis loqui, qui
ausu temerario se veluti auctores faciunt eorum operum,
quorum auctorem tantummodo Deum fateamur, oportet:
nam licet partem eorum aliquam interdum homines
habeant, temere tamen ea demis Deo; quippe qui
non modo auctor est omnis *doni perfecti*, verum etiam (*)
omnis *dati optimi*, & is est, *in quo vivimus, movemur, & su-*
mus

(*) Gen. 1. 26.

(d) in eleganti, eruditaque explicatione trium inscriptionũ Græcarum in eodem simulacro sculptarum.

(*) Jacob. 1. 17.

mus. (*) Hic certe planus, expeditusque mihi videtur esse non objectorum tantum verborum, sed & proxime præcedentium, & subsequentium etiam sensus. En illa. (e) „ Post hoc autem sequitur de furto „ præceptum. Quemadmodum ergo qui aliena furatur, cum magnam faciat injuriam, in ea quæ meretur mala, merito incidit: ita qui divina opera sibi vendicat per fingendi, vel pingendi artem, & „ dicit se esse effectorem animantium & plantarum: „ & similiter qui veram imitantur philosophiam, sunt „ fures. Sive fuerit quis agricola, sive pater filii, „ est minister dejectionis seminum: Deus autem præbens omnium augmentum & perfectionem, adducit „ ea, quæ gignuntur, ad id, quod cujusque naturæ convenit. Plurimi autem, una cum Philosophis, augmenta & mutationes tribuunt astris principaliter, „ quod in se est, universorum patrem privantes sua „ indefessa & inexhausta potentia. Elementa autem & astra [hoc est, potestates administrantes] ordinata sunt ad ea exequenda, quæ divinæ œconomiæ „ conveniunt, eaque parent, & aguntur ad ea, quæ „ sunt eis imperata, quo ea duxerit verbum Domini: „ quandoquidem divina potentia omnia occulte operari solet. Qui ergo dixerit, se aliquid excogitasse vel fecisse ex iis, quæ pertinent ad creationem, „ impii & nefarii incœpti dabit pœnas. „

(*) Act. 17. 18.

(e) pag. 816.

IV. At quid (inquis) respondebis ad ea, quæ ex *protreptico*, seu ex *cohortatione ad Gentes* objecta sunt? Respondebo procul dubio loqui Clementem Alexandrinum *de* obscenis, & falsorum Deorum *Imaginibus*, atque his fortasse factis *ad adorandum*. Præcedentia Clementis verba statim afferam, tum alia addam, illud ipsum testimonium, quod objecerunt, subsequentia, ut ex omnibus constet, an hæc sit hujusce Doctoris sententia. (f) „ Cæterum „ reliquæ vestræ imagines cujusmodi tandem sunt? Panisci quidam, & nudæ puellæ, & ebrii Satyri, & „ erecta pudenda, quæ quidem, licet ob libidinem reprehendi mereantur, tamen in tabellis nuda depingi „ solent. Quin etiam universas impudicitiæ figuras „ aperte descriptas publicitus intueri haud erubescitis; sed suspensas eò diligentius asservatis; quippe „ qui velut Deorum imagines has impudicitiæ columnas domi consecretis; nec minus solicite Philænidis

(f) pag. 53. editioi Potteri.

„ dis motus, quam Herculis labores curetis depingendos. Quarum rerum non modo usum, sed etiam aspectum, & auditionem esse jam penitus obliteranda, & memoriæ eximenda annuntiamus. Scortatæ sunt aures vestræ, oculi quoque stuprum fecerunt; & quod magis inauditum est, ipsi vultus ante concubitum commiserunt adulterium. O! qui humanæ naturæ vim intulistis, & quod in illa creatura divinitatis inest, dedecori atque probro, veluti primitias quasdam, obtulistis. Prorsus increduli estis, ut affectibus vestris obsequamini: & simulacris quidem fidem habetis, quod eorum intemperantiam sequi vobis propositum sit; eam vero Deo negatis, quia moderate atque continenter vivere haud sustineatis. Quo factum est, ut quæ sunt præstantiora, odio; quæ vero deteriora, honore prosequamini: & spectatores quidem virtutis, vitii autem pugiles sitis. Quocirca *soli felices sunt*, ut ita dicam, *illi omnes, unanimi consensu*, ut Sybillæ verbis utar,

Qui sibi visa licet Divorum templa negabunt:
Surdorum & lapidum, quæ sunt altaria sedes:
Ex lapide & manibus simulacra effecta virorum,
Cæsorum quæ sunt animato infecta cruore,
Quadrupedum, bipedum, volucrumque, & cæde ferarum.

„ Nos enim clare prohibemur, fallacem hanc artem exercere: *Non facies* enim, inquit Propheta, (g) *cujusvis rei similitudinem, eorum quæ sunt in cælo, & quæ sunt in terra infra.* Utrum vero Praxitelis Cererem, & Proserpinam, & Iacchum mysticum, an potius Lysippi artem, vel Apellis manus, quæ materiam ea forma ornarunt, quæ existimationem divinitatis ei præbuit, deos esse putemus? Sed vos quidem in id omnem vestram curam atque studium impenditis, ut statua fiat quam pulcherrima; parum interea solliciti, ne vosmet ipsi similes statuis per stuporem efficiamini. „

(g) Exo. 20. 4.

V. Ceterum ab imaginibus quibusvis efformandis, & palam deferendis minime abhorruisse Clementem Alexandrinum, sed tantum abhorruisse a Deorum imaginibus efformandis, retinendisque, ex iis liquet, quæ de anulis tradit: quæque proinde hic transcribere valde conveniens puto. (h) „ Sed neque est à viris

(h) lib. 3. Pædago. cap. 11. pag. 288. edit. Potteri.

„ anu-

,, anulus in articulo ferendus: hoc enim est mulie-
,, bre: sed in parvo digito, atque adeo in extrema
,, ejus parte est collocandus: ita enim erit manus ma-
,, xime ad operandum expedita in iis, in quibus ea
,, egemus; neque facile excidet sigillum, quod majore
,, articuli ligamento custoditur. Sint autem nobis
,, signacula, columba, vel piscis, vel navis, quæ ce-
,, leri cursu a vento fertur, vel lyra musica, qua usus
,, est Polycrates, vel ancora nautica, quam insculpe-
,, bat Seleucus: & si sit aliquis, qui piscetur, memine-
,, rit Apostoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur.
,, Neque enim idolorum sunt imprimendæ facies, qui-
,, bus etiam adhærere prohibitum est: sed nec ensis,
,, vel arcus iis, qui pacem persequuntur: nec pocula
,, iis, qui sunt temperantes. Multi autem libidino-
,, si nudatos habent amasios, vel amicas, ut ne si ve-
,, lint quidem, amatorias ex animo deponere pertur-
,, bationes possint, quod libido eis perpetuo in mentem
,, revocetur. ,, Quibus quidem positis, nemo, ut arbitror, dixerit Clementem Alexandrinum imagines quaslibet Christianis interdixisse, cum palam constet laudabiles iis permisisse, mysticasque (quales sunt columba, & piscis) commendasse: inhonestas vero tantum modo, superstitiosas, periculosasque vetuisse. Et de Clemente Alexandrino nolo plura.

CAP.

C A P. XVI.

Adversus eandem sacrarum imaginum antiquitatem nonnulla Tertulliani testimonia primùm quidem objiciuntur, tum illustrantur, explicanturque.

AT rursus adversus nos vehementer insurgunt; & quoniam in objiciendis Clementis testimoniis se parum profecisse agnoverunt, alios nobis objiciunt Patres; atque hic quidem nonnulla Tertulliani verba describunt, quibus sacrarum imaginum vetustatem maxime impeti putant. Audite quid tandem importent. Tertullianus (inquiunt) a Deo interdictas imagines omnes fuisse affirmat. Porro qui imagines omnes a Deo interdictas affirmat, nullam a Christiano formari, aut retineri posse arbitratur. Nullas ergo imagines formari, aut retineri posse a Christiano arbitratus est Tertullianus, ideoque etiam est arbitratus, nullam tam etsi sacram, formari posse, aut retineri. Ne vero quis putet hæc temere a Protestantibus fuisse dicta, Tertullianum ipsum, obsecro, consulamus, videamusque num hæc vere tradiderit, an non. „ Jam vero (*inquit* (*)) ipsum opus personarum, quæro, an Deo placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis suæ? „ Non amat falsum auctor veritatis: adulterium est „ apud illum omne quod fingitur. „ Rursus alibi (*a*) expressissime edocet, *Diabolum sæculo intulisse artifices statuarum, & imaginum, & omnis generis simulacrorum.* Et mox de Deo loquens: *Toto mundo* (ait) *ejusmodi artibus interdixit servis Dei.* Tum paucis interjectis (*b*) idem rursus inculcat, imagines omnes a Deo interdictas fuisse inquiens. *Si eumdem Deum observas,* (ait ille) *habes legem ejus, ne feceris similitudinem; si & præceptum factæ postea similitudinis respicis, & tu imitare Moysen; ne facias adversus legem simulacrum, nisi & tibi Deus jusserit. Si nulla lex Dei prohibuisset idola fieri a nobis, si nulla vox Spiritus Sancti fabricatoribus idolorum non minus quàm cultoribus comminaretur, de ipso Sacramento nostro interpretaremur nobis,* adver-

(*) cap. 23. libri *de spectaculis.*

(*a*) cap. 3. libri *de Idololatria.*

(*b*) cap. 5.

adversas esse fidei ejusmodi artes. „ At age, cetera prætereamus. Quo tandem pacto illud dissolves, quod ex capite primo libri *contra Hermogenem* desumitur: dum pingendi artem velut gravissimum crimen illi objicit? *Præterea* (inquiens) *pingit illicitè, nubit assidue: legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit: bis falsarius, & cauterio, & stilo, totus adulter, & prædicationis, & carnis.* An imagines ille apud Christianos vidit, qui criminis minime expertem pingendi artem esse dixit? Hæc adversarii.

II. Magnam (fateor) veritatis speciem hæc habent: tamen dilui hæc quoque possunt. An putas, eum nullam imaginem vidisse in Ecclesia, qui imaginum Christi sub boni pastoris specie apertissime meminit, (*) neque ullo unquam tempore illas reprehendit? An eum, qui (c) palam edocet, similitudines, & effigies rerum, si non sint institutæ ad earum cultum, ideoque ad idololatriam, non fuisse Hebræis ipsis divina lege interdictas? *En taceo &c.* (d) Porro nic ea Tertulliani verba non refero, quòd antea illa allegavi. Ceterum ne videar hæc dicere quasi evitandæ difficultatis causâ, expendo statim ea, quæ adversus nos objecerunt verba.

V. Tertullianus in objecto libri illius, quem *de spectaculis* inscripsit, loco, de eo similitudinum genere loquitur, in quo vultuum species, formæque ita immutantur, ut appareant longe diversi ab iis, qui re vera a Deo conditi sunt. Has immutationes & species, formasque a nativis adeo diversas Tertullianus a Deo reprobari ait: de similitudinibus ceteris omnino non loquitur. At integra Tertulliani verba referre placet, ut per se videat Lector, quàm candida hæc sit, & Tertulliani verbis adhærens responsio. „ An Deo placebit auriga ille tot ani-
„ marum inquietator, tot furiarum minister, tot sta-
„ tuarum; velut Sacerdos coronatus, vel coloratus ut
„ leno, quem curru rapiendum Diabolus adversus He-
„ liam exornavit? Placebit qui vultus suos novacula
„ mutat? infidelis erga faciem suam, quam non con-
„ tentus Saturno, & Isidi, & Libero proximam face-
„ re, insuper contumeliis alaparum sic objicit, quasi de
„ præcepto Domini laudet? Docet scilicet & Dia-
„ bolus verberandam maxillam patienter offerre: sic

(*) Vide, quæ de Christi imaginibus deinceps dicam.

(c) cap. 22. lib. 2. *contra Marcionem*.

(d) Consule Tertulliani verba descripta §. 7. capitis 7.

,, & tragœdos cothurnis extulit, quia nemo potest adji-
,, cere cubitum unum ad staturam suam: mendacem
,, facere vult Christum. Jam vero ipsum opus per-
,, sonarum quæro an Deo placeat, qui omnem si-
,, militudinem vetat fieri, quanto magis imaginis suæ?
,, Non amat falsum auctor veritatis: adulterium est
,, apud illum omne quod fingitur. ,, Accepit ita-
que vocem *similitudo* (*omnem similitudinem*) pro fi-
ctione, & dolo malo, eo scilicet [quod antea dixi] quo
vultus, & species hominum immutantur, & ii fingun-
tur esse, qui non sunt. Id ne ad sacras picturas con-
demnandas traduci posse arbitraris? At cetera pro-
sequamur.

VI. In capite tertio libri *de Idololatria* palam loquitur de artificibus falsorum numinū, quos si quis dixerit a Dæmone in Mundum fuisse inductos, statim annuam. Et sane de imaginibus omnibus tum loqui Tertullianum, neque Protestantes ipsi (ut arbitror) dicent: aliàs suas ipsas imagines, quibus sæpe oblectantur, oderint, oportebit, nec Tertullianus id dici sinet, qui, (ut alibi dicam (*) Christi imagines non condemnat. En integrā Tertulliani sententiam. ,, Idolum aliquandiu retro non erat. Priusquam
,, hujus monstri artifices ebullissent, sola templa, &
,, vacuæ ædes erant, sicut in hodiernum quibusdam lo-
,, cis vetustatis vestigia permanent. Tamen idolo-
,, latria agebatur, non in isto nomine, sed in isto ope-
,, re. Nam & hodie extra templum, & sine idolo
,, agi potest. At ubi artifices statuarum, & imagi-
,, num, & omnis generis simulacrorum Diabolus sæculo
,, intulit: rude illud negotium humanæ calamitatis, &
,, nomen de Idolis consequutum, & profectum, exin-
,, de jam caput facta est Idololatriæ ars omnis, quæ
,, idolum quoquomodo edit. Neque enim interest,
,, an plastes effingat, an cælator exsculpat, an Phrygio
,, detexat: quia nec de materia refert, an gypso, an
,, coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo
,, formetur Idolum. Quando enim & sine idolo
,, idololatria fiat: utique cum adest idolum, nihil in-
,, terest, quale sit, qua de materia, qua de effigie sit
,, consecratum. Ad hoc necessaria est vocabuli in-
,, terpretatio εἶδος, Græce formam sonat, ab eo per
,, diminutionem εἴδωλον, deductum, æque apud nos
,, formulam fecit. Igitur omnis forma, vel formu-

(*) deinceps, quum de Christi imaginibus differam.

,, la

„ la idolum se dici exposcit. Inde idololatria o-
„ mnis circa omne idolum famulatus, & servitus. „

VII. Capite quarto ejusdem libri idem argumentum prosequitur Tertullianus. Id nosces, si verba ipsa legas. En illa. „ Quanto præcedit, ut fiat quod
„ coli possit, tanto prius est ne fiat, si coli non licet.
„ Propter hanc causam, ad eradicandam scilicet mate-
„ riam idololatriæ, lex divina proclamat, *ne feceris*
„ *idolum*. Et conjungens, *neque similitudinem eorum*,
„ *quæ in cælo sunt, & quæ in terra, & quæ in Mari*,
„ toto mundo ejusmodi artibus interdixit servis Dei.

VIII. Objectorum ex capite 5. verborum interpretem eundem ipsum Tertullianum volo, non modo ob causas, quas antea retuli, verum etiam quia (obscure licet pro more suo) tamen, nisi fallimur, certo tradit, tanto validius interdictas fuisse effigies, & imagines rerum, quãto facilius & vehementius eæ ad idololatriam inclinant. Ex quo monito concludere sic licebit: Itaque eæ, quæ nullo prorsus modo ad idololatriam inclinant, omnino interdictæ non erunt. An ea de re dubitas? Repete ea Tertulliani verba, quæ nuper attulimus, & manifesto id innotescet. „
„ Idolum tam fieri, quàm coli Deus prohibet. Quan-
„ to præcedit ut fiat, quod coli possit, tanto prius est,
„ ne fiat, si coli non licet. Propter hanc causam,
„ ad eradicandam scilicet materiam idololatriæ, lex di-
„ vina proclamat, ne feceris Idolum. Et conjungens,
„ neque similitudinem illorum, quæ in cælo sunt, &
„ quæ in terra, & quæ in mari, toto mundo ejusmodi
„ artibus interdixit servis Dei. „ Jam vero postremum aggredior.

IX. Hermogenem (*) merito is carpit, eum notans, *quod legem in artem contemneret*: & quod bis esset *falsarius*, *cauterio*, & *stylo*: nempe legem arte sua contemnebat, falsos Deos pingens, quod lex vetabat; bis vero falsarius erat, cauterio scilicet, & stylo; cauterio quidem, quia cauterio suo pictorio discolores ceras ad exprimenda falsa numina adhibens, se falsarium prodebat: erat vero stylo falsarius, quia stylum in catholica dogmata exacuens, Scripturas sacras, & Ecclesiasticas traditiones depravabat.

[*] in ipso initio libri contra eum scripti.

X. Quamquam vero non est hoc loco propositum mihi de Tertulliani opinionibus, & scribendi

ratione subtilius, inquirere, sed tantum quædam solutionum capita summatim indicare, quibus ad objecta loca respondeatur; tamen quoniam de Tertulliano incidit sermo, continuo ostendo, consuevisse Tertullianum (cui merito cordi erat idololatriam ab hominum cordibus, quibus alte insederat, eradicare) quum sibi præfixerat aliquid eliminandum, non tantum reprehẽdere id, quod reprehensione censebat dignum, verum etiam id omne, ex quo (licet per *accidens*) illud provenire putabat. Hoc modo odit, insequiturque & Philosophos, & Philosophiam, & Logicam, & Aristotelem, quem putat ejusdem Logicæ auctorem, & modis omnibus exagitat: quia scilicet hæretici interdum Philosophiâ, & aliquibus Philosophorum placitis, & Aristotelis logicâ abutebantur. Quin etiam illum ipsum Platonem, quem miris modis commendat maximus Augustinus (*) (ex quo etiam intelligimus, affinia cum Christiana Religione dogmata eum tradidisse, & cujus de Deo sententiam alibi non damnat idem Tertullianus,) hæreticorum omnium *condimentarium* appellare non veretur. Hujus sententiæ nostræ fidem adductis in medium aliquibus, sed perspicuis Tertulliani testimoniis adstruere conabimur, ex quibus primum locum sibi vindicat illud Capitis septimi libri illius, quem inscripsit *de præscriptionibus hæreticorum*. Ecce, quæ dixi, Tertulliani verba. „ Ipsæ denique hæreses a Philosophia „ subornantur. Inde Æones, & formæ nescio quæ, „ & Trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus „ fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquil„ litate a Stoicis venerat. Et ut anima interire di„ catur, ab Epicureis observatur. Et ut carnis re„ stitutio negetur, de una omnium Philosophorum scho„ la sumitur. Et ubi materia cum Deo æquatur, „ Zenonis disciplina est. Et ubi aliquid de igneo „ Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eadem „ materia apud Hæreticos, & Philosophos volutatur, „ iidem retractatus implicantur. Unde malum, & „ quare? Et unde homo, & quomodo? Et quod „ proxime Valentinus proposuit, Unde Deus? scili„ cet de Ethymesi, & ectromate. Miserum Aristo„ telem! qui illis dialeticam instituit, artificem struen„ di, & destruendi, versipellem in sententiis, coactam „ in conjecturis, duram in argumentis, operariam con-

(*) *de Civitate* li. 8. ca. 5. & subsequentibus; quibus ea adde, quæ in libro *de vera religione* n. 3. & & subsequent. docet: ea quoque, quæ tradit n. 16., & subsequenti. epistolæ *ad Dioscorum* olim 56. nunc 118.

ten-

„ tentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retra-
„ ctantem, ne quid omnino tractaverit. Hinc illæ
„ fabulæ, & genealogiæ interminabiles, & quæstiones
„ infructuosæ, & sermones serpentes velut cancer, a
„ quibus nos Apostolus refrænans, nominatim philoso-
„ phiam contestatur, caveri oportere scribens ad Co-
„ lossenses: *Videte ne quis vos circumveniat per phi-*
„ *losophiam, & inanem seductionem*, secundum tra-
„ ditionem hominum præter providentiam Spiritus San-
„ cti. Fuerat Athenis; & istam sapientiam hu-
„ manam, affectatricem, & interpolatricem veritatis
„ de congressibus noverat, ipsam quoque in suas hære-
„ ses multipartitam varietate sectarum invicem repu-
„ gnantium.„

XI. Locum alterum allego ex capite 23. libri *de Anima*. „ Doleo bona fide, Platonem omnium hæ-
„ reticorum *condimentarium factum*. Illius est enim
„ & in Phædone, quod animæ hic euntes sint illuc,
„ & inde huc. Item in Timæo, quod genimina Dei,
„ delegatâ sibi mortalium geniturâ, accepto initio ani-
„ mæ immortali, mortale ei circumgelaverint cor-
„ pus. Tum quod Mundus hic imago sit alterius ali-
„ cujus.„ Quamquam indubitata res est, multo plures, fuisse hæreticorum errores, quos procul dubio neque a Platone, neque a Philosophis aliis hauserant illi. Porro quam de Logica, Philosophia, & de Philosophis differens ratiocinandi viam iniit, si quis dixerit tum etiam fuisse illum persecutum, cum de imaginibus sermonem habuit, me quidem judice non errabit.

CAP.

CAP. XVII.

Quædam Origenis, aliorumque Patrum Testimonia adversus stabilitam Sacrarum imaginum antiquitatem afferuntur, & ex parte illustrantur.

I. NOva arma adversus propositam de sacrarum imaginum vetustate sententiã parant, unoque veluti impetu Origenem, aliosque Patres objiciunt, eorumque testimoniis aut nullas, aut certe parum frequentes priscis temporibus in Ecclesia sacras imagines fuisse contendunt. Vetustus porro si fuisset earum usus, eas approbasset Origenes, tum alii deinceps; quibus tamen eas displicuisse haud obscuris monumentis sic ostenditur.

II. Enim vero Origenes, qui manifesto arbitratur, Hebræis fuisse imagines divina jussione interdictas, eodem ipso, quo obligabantur Hebrei, nos quoque præcepto obligari palam tradit, (*a*) hæc elocutus. ,, Non ergo hæc ad illos tantum dicuntur, qui de Egypto profecti sunt, sed multo magis ,, ad te, qui nunc audis ista, si tamen proficiscaris ex ,, Egypto, & Egyptiis ultra non servias, dicit hæc Deus: ,, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra ,, Egypti, de Domo servitutis. ,, Tum subjicit (*) duo esse præcepta priora in Decalogo, quorum primum est: *Non erunt tibi Dii alii præter me*: aliud; *Non facies tibi idolum, neque omnem similitudinem*. Et sane a trium priorum sæculorum Patribus reprobatas fuisse picturas omnes, ideoque eas ipsas sacras imagines, quas plurimi æstimant Pontificii, ex eo perspicue intelligis, quod potissima pars eorum momentorum, propter quæ figmenta, simulacra, & imagines Gentilium reprehendebant Patres, ad picturas, & imagines quaslibet transferri debet, veluti quod materiæ *sint sororis vasculorum, instrumentorumque communium; quod statuæ sint, & imagines frigidæ mortuorum, quas milvi, & mures, & araneæ intelligunt*: aliaque id genus, quæ in gen-

(*a*) hom. 8. in Exodum. n. 1.

(*) n. 2.

in Gentiles intorquet Tertullianus, (*b*) Minucius Fælix, (*) Lactantius, (*c*), aliique quorum testimonia in Pontificios urget Dallæus, (*d*) & ex eo refert Natalis Alexander. (*e*) Hactenus adversarii.

III. Absit enim vero, ut in hoc morem illis geramus; quin potius ad illustranda objecta testimonia, quibus fucum incautis faciunt, operam, & industriam convertamus. Ut ab Origenis testimonio exordiar, rectissime tradit ille, interdictum fuisse tum Hebræis, tum Christianis non modo colere falsos Deos, verum etiam eorum imagines facere, & quadrupedis, serpentis, avis simulacrum quodvis proponere *ad adorandum*. [*] Itaque non de imaginibus, quas indifferentes appellamus, loquitur ille, sed tantum (uti diximus) de imaginibus falsorum numinum, aut de periculosis vilium creaturarum imaginibus, quæ quidem similitudines proponerentur *ad adorandum*. Tædet me ad alia properantem multa ex ea Origenis homilia exscribere, sed sane si quis eam legerit, in nostram sententiam ire non recusabit. (*) Me verto ad Patres reliquos, quos objecerunt.

IV. Rectissime vero Patres reprehendêre Gentiles, quòd statuas colerent inanimes, & sensus cujusque expertes. Errabant scilicet turpiter, id agentes, tum quod falsa numina in iis colerent, tum quod præstantiam aliquam in iis simulacris inesse crederent, quæ marmora, & saxa vilia tantum erant, nihilque in eis inerat, quod coli mereretur. At nos, dum imagines sacras facimus, Sanctorum imagines facimus, ante quas dum prosternimur, & iis oscula figimus, non ipsis, sed ad eos, quorum imagines sunt, mentem nostram, & pium amorem, cultumque dirigimus. Sed hac de re commodius deinceps agemus, præsertim quum de genere, & qualitate cultus imaginibus delati disseremus. Reliqua, quæ a Dallæo objiciuntur, ex parte antea soluta sunt, ex parte deinceps solventur.

(*b*) cap. 12. Apologetici.
(*) in Octavio. pag. 286. editio. Lugdu. Batar. 1672.
(*c*) lib. 2. institu. cap. 2.
(*d*) in tractatu *de imaginibus* li. 1. cap. 5. pag. 33.
(*e*) sæcu. 8. disser. 6.

(*) Lege, obsecro, n. 3. 4. & 5. ejusdē homiliæ.

CAP.

C A P. XVIII.

Alia ejusdem Origenis, Arnobii quoque, & Minucii Felicis loca, quibus tradi videtur, nullas prorsus imagines apud veteres Christianos extitisse, expendimus, atque illustramus.

I. ILlis Patrum testimoniis, quæ hactenus objecta sunt, fatendum, atque testandum est [ut equidem arbitror] adversariorum causam (quidquid ii putent,) minime juvari. At id quoque de iis audeo dicere, quæ deinceps adversus nos objiciunt, ideoque de illis, quæ ex eodem Origene, ex Arnobio quoque, & ex Minucio Felice depromunt, quibus quidem expressissime traditum ajunt, alienissimos fuisse ab imaginibus quibuslibet Christianos veteres. Afferamus statim illa, ne ea contemnere videamur. Ecce quanam ratione loquatur Origenes. (*) *Objicit nobis Celsus, quod non habeamus imagines, aut aras, aut templa.* Id ipsum notavit Minucius Felix, dum hæc adversus Christianos disputat. (a) *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra?* Simulacrorum porro nomine non falsorum deorum delubra, sed imagines quaslibet a Minucio significari declarat haud obscure Arnobius, dum Minucium imitatus hæc eloquitur: *Accusatis nos, quod nec templa habeamus, nec imagines, nec aras.* Appellat nimirum *imagines* ea, quæ *simulacra* dixerat Minucius, vetusto scilicet more, quo simulacra imagines omnes, quòd similitudinem exemplaris referrent, dicebantur. Inepte porro ad hæc reponere consuevere Pontificii: falsorum deorum imagines hisce locis indicari. Quis enim id dicere audeat, postquam adverterit, *imagines* simpliciter, & generatim hæc dici, minime vero *Deorum* imagines? Et hanc quidem Christianorum ab imaginibus quibuslibet alienationem significat Lampridius vetustus, nec Pontificiis suspectus auctor, dum testatur, ab Hadriano Imperatore

(*) 8. *adversus Celsum*. n. 17.

(a) pag. 92. edit. Lugd. Bata.

Con-

Christianorũ morem imitante, erecta fuisse sine ulla imagine templa. (*) *Christo templum facere voluit* (Alexander Severus) *eumque inter deos recipere. Quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus Civitatibus sine simulacris jusserat fieri, quæ hodie id circo, quia non habent numina, dicuntur Hadriani.* Neque vero Lampridius hic imaginum deorum, seu numinum meminit, sed tantum simulacrorum: (*sine simulacris*) quo quidem vocabulo, (quod nuper diximus) veteres, præsertim Ethnici, imagines quaslibet intelligebant. Hactenus adversarii.

(*) in vita Alexand. Sever. n. 43.

II. Quibus ut gloriolam, quam ex his argumentis apud suos captare solent, adimamus, sic statim ea dissolvere aggredimur. De deorum simulacris, aut certe de superstitiosis imaginibus (quæcunque eæ fuerint) loquitur procul dubio Origenes, cujus mens aperte constabit, si subsequentia verba legeris. Id ipsum porro de Minucii verbis dicendum est. Neque vero Gentiles nosse poterant, num imagines aliquas apud se retinerent Christiani, an non, ideoque ex ea re adversus eosdem Christianos argumentum efformare non poterant; at probe noverant, alienissimos esse a Gentilium moribus Christianos, in aliis quidem multis a communi iis temporibus superstitione abhorrentes, at præsertim in eo, quod delubra, aras, templa, Deorum simulacra, aliaque his affinia, Gentilium delitias, & amorem, refugerent, & detestarentur. Atque hanc quidem alienationem veluti non leve crimen Christianis objicere Gentiles solebant; quasi ii communes mores, ritusque ac consuetudines jactantiâ quadam, aut potius odio aversarentur. Et hæc sane ad Origenem, atque ad Minucium, atque adeo ad Arnobium dicta satis esse possent.

III. Mirari tamen satis non possum, cur Minucii sententiam ex Arnobii verbis explicari præcipiant, cum potius ex Minucio, Arnobii fortasse æquali, ejusdem Arnobii mentem commode possimus assequi. An nescis, propositiones indefinitas tum restringendas esse, quum probabilis ratio, & loquendi genus, iis temporibus usitatum, significet, multo pressius intelligi eas debere, quàm ipsæ per se importarent? Porro sicut cum aris, & templis destitutes Christianos objecti scriptores ajebant, non altaribus prorsus, & templis eos destitutos dicere volebant,

sed tantum significare, iis aris, & templis destitutos, quibus utebantur Gentiles, ita quum imaginibus eosdem Christianos destitutos fuisse testantur, ad eas imagines eorum dicta respiciunt, quæ superstitiosæ imagines forent, deorum scilicet simulacra, unguine imbuta, solemnique Gentilibus ritu consecrata.

IV. Nec alio respiciunt Lampridii dicta. De iis quippe simulacris loquitur ille, quæ palam erigebantur, iisque adoratio, & sacrificia deferebantur. Et templa hujuscemodi delubris ornata neque priscis temporibus, neque deinceps habuere Christiani, a Gentilium superstitione remotissimi. Si his, quæ nuper diximus, ea jungas, quæ cap. 6. (*) dissertationis sextæ tradidimus, difficultatem, quam in objectis locis sitam esse putabas, prorsus (ut arbitror) submovebis. Recole itaque, quæ ad eadem argumenta alibi objecta, jam pridem dicta sunt. Juvabit etiam ea consulere, quæ Patres S. Mauri ad quædam sæpius objecta Origenis verba tradunt. (*)

[*] §. 4. 5. 6. & 7.

(*) n. 17. libri 8. *contra Celsum* pag. 754. & 755. to. 2.

C A P. X I X.

Nazianzeni, Chrysostomi, Amphilochii, & Theodoti Ancyrani testimonia adversus imaginum formationem primùm quidem referuntur, tum apta iis adhibetur solutio.

I. AT non minus in subsequentium etiam temporum Doctoribus vanam fiduciam collocant adversarii, quâm collocarint in Tertulliani, Origenis, aliorumque Patrum dictis jam allatis, & illustratis. Chrysostomum ergo, Amphilochium, Theodotum Ancyranum, aliosque etiam Patres quasi patronos causæ a Protestantibus defensæ adversus nos allegant. En illorum testimonia in latinum conversa. „ *Gregorius Deiloquus in carminibus suis dicit: Injuria est fidem habere in coloribus, & non in corde. Quæ enim in coloribus est, facile diluitur; quæ vero in pro-* „ *fun-*

(*) actio. 6. Concilii 7. generalis pag. 1130. & subsequentibus. tom. 8. Conci.

„ *fundo mentis, illa est mihi amabilis.* Joannes
„ Chrysostomus docet ita: *Nos per scripturas, San-*
„ *ctorum præsentia fruimur, non corporum eorum, sed*
„ *animarum imagines habentes. Quæ enim ab illis*
„ *dicta sunt, animarum ipsorum imagines sunt. Ma-*
„ *xima enim via ad opportunitatis inventionem* (San-
„ ctus ait Basilius) *meditatio est scripturarum divi-*
„ *nitus inspiratarum. In his enim & actuum com-*
„ *monitiones inveniuntur, & vitæ beatorum virorum*
„ *inscriptæ traduntur, veluti quædam imagines anima-*
„ *tæ conversationis, quæ in Deo est, imitatione operum,*
„ *quæ secundum Deum sunt, positæ.* Similiter & Am-
„ philochius Iconii: *Non enim in tabulis* (inquit)
„ *carneas personas Sanctorum per colores curæ nobis est*
„ *figurare, quoniam non his opus habemus; sed con-*
„ *versationem eorum virtutibus imitari.* Consona
„ vero istis & Theodotus Ancyranus, concertator
„ Cyrilli, de eisdem hæc ait: *Sanctorum vultus*
„ *non in imaginibus ex materialibus coloribus factis for-*
„ *mandos accepimus, sed horum virtutes per ea, quæ*
„ *de illis in scriptis indicantur, quasi quasdam anima-*
„ *tas imagines imitari didicimus, & ex hoc ad similem*
„ *illis zelum erigimur. Nam dicant hi, qui tales*
„ *erigunt formas, quali putas ex his perfruantur utili-*
„ *tate, vel in quam spiritalem contemplationem ducan-*
„ *tur per harum commemorationem? Sed manifestum est,*
„ *quod vana sit hujusmodi excogitatio, & diabolicæ ar-*
„ *gumentationis inventio.* „ Hactenus adversarii. (*)

III. Et hæc proponere, nobisque objicere audent ii, qui sæpe conqueruntur, quod temere, atque impudenter inter Iconoclastas a Pontificiis recenseantur, ii qui fatentur, se imagines aliquas efformare, atque adhibere? (*) Profecto si quid virium habent hæc testimonia, imagines omnes statim, ac prorsus a manibus Christianorum amovendas esse tradunt, *quoniam injuria est, fidem habere in coloribus, & non in corde.* = *Neque enim in tabulis carneas personas Sanctorum* (cur non magistrorum, eorumque omnium, quorum imagines ad virtutum excitamentum, atque imitationem Protestantes retinent?) *per colores curæ nobis est figurare, quoniam non his opus habemus; sed conversationem eorum virtutibus imitari.* = Eos itaque, si vis, in speciem juvant hæc testimonia, qui

(*) Aliqui tamen postrema verba, non Theodoti ipsius, sed Concilii Constantino Copronymo imperante coacti esse putant. Vide quæ tradit Dallæus *de imaginibus* lib. 2. cap. 5. pag. 244.

(*) Dallæus profecto qui hæc objicit (in tracta. *de imaginibus* li. 2. cap. 5. pag. 236.) libro 3. cap. 1. pag. 270. id insinuare non dubitavit, conquestus temere Protestantes inter Iconoclastas a Pontificiis recenseri.

qui exulare omnino volunt imagines, minime vero eos, qui facile eas permittunt, sed tantum vetant, ne in templis retineantur, aut cultu afficiantur. Sed re vera neminem horum juvant, cum neque difficilis, neque recens ad ea sit responsio. Objecêre hæc scilicet sibi Nicænæ II. Synodi Patres, utpote testimonia, quibus Iconoclastæ in eo Concilio, quod imperante Constantino Copronymo Constantinopoli egerant, maxime fidebant, eaque responsionibus valde aptis illustrarunt, explicaveruntque. Horum vestigiis magna ex parte innitar, ita tamen, ut si quid aptum aliunde invenero, illud, adiiciam. Ut a Gregorio Theologo incipiam, conquesti sunt iidem Nicæni Patres, quod variaverint aliquantum Iconoclastæ Gregorii sententiam. (*) Sed age: nulla fuerit in allegando Gregorii testimonio Iconoclastarum perversitas, aut vafrities. Sane non juvant Gregorii verba Iconoclastas; scilicet colorum nomine intelligit ille (quod recte animadverterunt iidem Nicæni Patres) mundanas istas, & fluentes res: (coloribus quippe comparantur) quæ tametsi speciem, & pulchritudinem habeant aliquam, qua se intuentes alliciant, fugitivæ sunt tamen, & facillime dilabuntur, & effluunt. Contra spirituales res (quæ *fidei* vocabulo designantur) permanentem, stabilemque pulchritudinem, vitam, & utilitatem habent, & sui amatoribus conferunt. Vide fusius expositam eam interpretationem a Patribus Nicæni II. (*)

(*) Vide pag. 1130.

(*) actione 6. pag. 1130.

V. Chrysostomi porro, & Basilii monita rectissima sunt. Quippe revera Scriptorum sacrorum volumina temporalem illorum imaginem, seu faciei, vultusque lineamenta tametsi non exprimant (quis enim ex epistolis Petri, & Pauli, faciem eorum noscet?) tamen animum exprimunt: nosco quippe, ideoque, si volo, describo Pauli, & Petri erga Deum caritatem, erga proximum mansuetudinem, patientiam, scientiam quoque agnosco, & reliqua id genus, ex quibus quædam veluti animi effigies exprimitur. Tanto vero animosius ad hanc solutionem inclino, quanto certius est, Basilium, & Chrysostomum sacris imaginibus & voce, & exemplo summum in modum favisse; quod aptius deinceps ostendam.

VI.

VI. Ad Amphilochium quod attinet, ea, quam alibi sæpe attuli, regula de comparationibus, quæ vocibus, locutionibusque absolutis significentur, aptissima hic est. Edocet itaque Amphilochius, multo magis juvari homines a virtutum cultura, & studio, quàm a simplici sacrarum etiam imaginum studio, parumque profecturum eum, qui sacras tantum imagines perquirit, seque ipsum ad imitationem eorum, quorum servat imagines, conformare non studet. Id etiam indicant Nicæni Patres, quorum verbis, quæ statim affero, repelli facile poterunt Iconoclastæ. (*) ,, Nam et si dicit: Non coloribus in tabulis carneas eorum personas curæ nobis est figurare: propter intentionem virtutis hæc ab eo dicta sunt; subinfert enim; sed conversationem eorum per virtutem imitari. Curæ quippe nobis est, virtutes bonorum virorum eligere, & actus eorum imitari, atque conversationem ipsorum æmulari. Præterea templa istis jugiter dedicare, aut in imagine istos erigere, illos qui virtutem ipsorum contemnunt, non est laudabile. Nemo plane laudaverit, si viderit hominem virtutes Sanctorum parvipendentem, de die in diem horum imagines commendantem, vel templa multa erigentem, aut vasa sacra patrantem, & suum ipsius templum deificis virtutibus non adornantem. Ait enim Deus per Isaiam Prophetam ad eos, qui erant hujuscemodi: (*) *Si obtuleritis mihi similam, vanum: thus abominatio mihi est. Et cum manus vestras extenderitis ad me, avertam oculos meos a vobis: & si multiplicaveritis deprecationem vestram, non exaudiam vos. Sed quid facietis? Lavamini, mundi estote, auferte mala ab animabus vestris in conspectu oculorum meorum: quiescite a malis vestris: discite benefacere: quærite judicium, liberate oppressum, judicate pupillum, justificate viduam.* Ergo cum ista correxerimus, tunc & ea, quæ a nobis offeruntur, apud Deum accepta erunt, sive sancta templa, sive sacrata vasa, sive venerabiles imagines sint. Sic ergo aptum est, ad memoriam Sanctorum nos virtutes horum, secundum quod pos-

(*) pag. 1135.

(*) Isa. 1. ex interpreta. 73.

„ poſſibile fuerit, imitari. Martyrum enim lau„ datio eſt, collectorum ad virtutem hortatio (ſicut „ Magnus ait Baſilius in Moralibus ſermonibus „ ſuis.) Cum his autem (ſicuti dictum eſt) etiam „ templa erigere, & imagines formare, & ſacra va„ ſa Deo offerre, laude dignum eſt: oportet enim „ & hæc facere, & illa non omittere, ut verus ſer„ mo nos docet. „ Et de Amphilochio hactenus.

VII. Luculenter porro oſtendunt iidem Nicæni Patres, perperam allatum eſſe ex Theodoto Ancyrano teſtimonium: quippe enumeratis omnibus illius libris, quos diligenter ſe cum multis perlegiſſe ait Epiphanius Diaconus, nihil horum, quæ objecerant, in iis extare docet. Suppoſitionis vero non leve argumentum innuit idem Epiphanius, dum monet, nullum librum, aut ſermonem indicatum fuiſſe ab objicientibus Iconoclaſtis, ſed tantum *ex ipſo teſtimonium protuliſſe, quum oporteret eos expreſſe indicare, ex quo ejus ſermone teſtimonium ſit aſſumptum.* (*) Ea reſponſio [dicat quod libet Dallæus (*)] valde probabilis eſt: tollit porro difficultatem omnem, quæ in eo teſtimonio poſita eſſe putabatur.

(*) Vide pag. 1143.

(*) *de imaginibus* li. 2. cap. 5. pag. 244.

CAP.

C A P. XX.

Rationes aliquæ, ac conjecturæ afferuntur, quibus quidem sibi persuasere adversarii, neglectam prorsus fuisse a veteribus Christianis pingendi artem, proindeque insuetatas iis fuisse imagines omnes, ideoque etiam sacras.

I. EXpressis veterum testimoniis, atque auctoritate satis hactenus pugnatum est. Redibit acrior pugna, quum de sacris imaginibus singillatim dicemus: rursus quoque cum de more collocandi in templis imagines, easque venerandi deinceps disputabimus: mitius nunc videntur nobiscum agere adversarii, quum sacrarum imaginum antiquitatem verisimilibus (ut illis quidem placet) rationibus, & conjecturis impetunt. Eas porro, né quid dissimulem, afferre libet. Hæc vero complectitur ex hoc capite desumpta argumentatio. Quis veteres, sapientissimos sane & cautissimos, pingendi, sculpendique, aliasque artes (si quæ sunt) quibus imagines efformamus, consectatos fuisse dicet, si omnino eas neque addiscere poterant, neque exercere? Ubinam scilicet eas edidicisse arbitraris? An ab Hebræis, qui illas oderant? An a Gentilibus? ideoque in iis officinis, in quibus idola, sacratæ Cæsarum imagines, aliæve Christianis maxime interdictæ, tantummodo efformabantur? Quos magistros proferes, per quos profecerint? Si veteres omnes, aut imaginum hostes novimus, aut si quos ingenium, longaque exercitatio doctos effecerat, in Deorum simulacris atque in obscenis tantummodo & turpibus imaginibus fingendis se se exercuisse etiam novimus. (*) At didicerint, si tu vis: an putas, aliquem inter Christianos, Dei, Sanctorumque (si id quoque vis) cultores eximios, in ea arte se exercere potuisse, quæ partem hominis meliorem omittit, deteriorem tantum sub oculos

(*) Vide quæ ex Clemente Alexandrino ca. 15. §. 4. tradidimus.

los ponit, nobisque servat? Vultus scilicet exprimimus, animos non exprimimus, quum tamen animus vera hominis, aut certe præstantior pars sit, vilior altera, & contemnenda. At honoris causa erga Sanctos, & propter incitamenta ad virtutem imagines factas dicis. Acute dictum! Sed age, amabo, ubinam formas virtutes, quibus ad imitationem accendimur? An in animo, qui omnino non exprimitur? An in vultu, quem scelestissimorum hominum vultibus simillimum sæpe habuere Sancti? Honoris porro causa erga Sanctos nemo, qui sapit, efformatas dicet imagines, quum potius per vehementem illam imaginum efformandarum cupiditatem despicere consueverimus eos, quorum summa esse debet existimatio. An non is despicit Dominum Jesum, illiusque Matrem, & Sanctos, qui illorum imagines in ipsis *cucurbitis vasculorum, quas vulgo saucomarias vocant*, adumbrat? (*) Sane non sineret Princeps tam vili loco, & materia se pingi. Tamen ad hæc facile deduceris, si imagines, ad quas convertaris, & invoces, ubique præsentes habere cupis. At levia sunt ista, si cum iis compares, ad quæ deducit imaginum efformandarum studium. Piget in vanis illis, monstrosisque imaginibus describendis tempus terere, in quibus delitias suas collocarunt Pontificii, postquam in imaginibus efformandis summam operam impendere cœperunt. Iis profecto solemne est, Virginem Mariam adolescentulam fingere, cum nupsit Josepho, quem contra veterum auctoritatem senem imbecillum, & edentulum coloribus suis exprimunt; virgam nescio quam illi addentes, quam tum floruisse volunt, quum Virginem in uxorem suscepit. Solemne est quoque, Bovem, & Asinum Christo nascenti adjungere; Theodorum cum dracone extincto ad pedes jacente temere fingere, Christophoro immania membra tribuere, aliaque id genus putida prorsus, & puerilia tabulis exprimere; quæ tamen cavere non possumus, si picturas amamus. Subducta nempe a communi consuetudine, sæpissime etiam conficta prorsus, & a veritate alienissima tantummodo consectatur lepidum Pictorum genus, cui proinde familiare est *delphinum in sylvis pingere, in aquis pinum*. Sed hæc, quæ mala *per accidens esse* respondebis, si forte evitabimus, illud certe non evitabimus, cujus rei causa ima-

(*) Hierony. in commentariis *in Jonam* ad verba illa capitis IV. *Et præparavit Dominus hederam &c.*

imagines omnes condemnavit Clemens Alexandrinus: scilicet qui efficit imagines, ut pote *materia expressas, rebus sensilibus adhærens, & veluti affixus, ad superas, & insensibiles minime transit*. (*) Porro Christiani veteres insensibilia tantum consectabantur, corporea vero hæc, & sensilia aversabantur. Aversabantur itaque id omne, quod ab insensibilibus eorum animos deducebat, atque ad sensilia inclinabat, ideoque imagines, & picturas omnes.

(*) 5. Stromat.

C A P. XXI.

Priora superioris Capitis argumenta dissolvimus, ea scilicet, quibus generatim pingendi artem impetunt.

I. AT hæc ipsa quamquam magnam, si vis, verisimilitudinem habere videntur, veritatem tamen minime habent. Id facile fateberis, si Catholicorum ad superiora argumenta responsionē expendes. Ab Hebræis, inquis, discere non potuere Christiani pingendi artem, & similes alias. Quàm id verum sit, ex iis, quæ capitibus IV., & sequentibus dixi, dignoscere lector potest. Sed fac, ab Hebræis Christianos eas artes discere non potuisse. Tibi, si vis, non repugno. An eas omnino discere non potuerunt? Nihil minus. Novi ego plures, qui naturâ veluti docente, prima pingendi rudimenta per se didicerunt, veterumque exemplorum inspectione, & studio, sine magistro, plurimum profecerunt. Donatus Creti, egregius Pictor, inter hos numeratur, eorumque numero facile addam D. Jacobum Rota, qui nullo magistro usus, plurimam in pingendo laudem sibi comparavit. (Utinam non minorem in negotiis pertractandis sibi comparet!) Aliquid ergo horum simile fieri potuit priscis Ecclesiæ sæculis, tantoque pronius in eam sententiam inclinor, quanto sum certior, vetustissimas, quas habemus, imagines sacras, rudes admodum esse, neque

 mul-

multum elaboratas. (6). Cæterum multi fortaſſe pingendi, ſculpendique, & affines alias artes didicerant, antequam Chriſtianæ fidei nomen darent: & de Sanctis Claudio, Nicoſtrato, Symphoriano, Caſtorio, & Simplicio, memoriæ proditum eſt, eos, cum eſſent ſummi ſculptores, nullo modo adduci potuiſſe, ut idolorum ſtatuas facerent. (*) Conſtat itaque, pictores ſuos, & reliquos formandarum imaginum artifices facile habuiſſe Chriſtianos veteres, quos quidem ab iis formandis avertiſſe non puto eas rationes, quas tu protuliſti, multique roboris eſſe putas. Levis enim vero eſt prima. Vultus ipſi non raro indices animi ſunt, pietaſque ex vultu ipſo ſæpiſſime emicat, & ad virtutem intuentes extimulat. A crimine (procul dubio) notiſſima Polæmonis effigies mulierem impudicam avertit, atque, ut arbitror, eam ad virtutem accendit; qua de re copioſe tum agam, quum de fine, atque iis rationum momentis, quibus ad formandas, retinendaſ-

(*) Vide Brevia: Roma. S. Novem.

---

(6) ,, Prima di dar compimento a queſta oſſervazione, non ,, iſtimo fuor di propoſito l' avvertire il lettore, che ,, l' eſſere, come dicemmo, le figure di queſti vetri ,, ſpiegati inſieme, così mal fatte, e quaſi le peggio-,, ri di tutte le altre, è un manifeſto argomento, e ,, una certa riprova della gran pietà degli antichi ,, Criſtiani; Concioſſiacoſache furono eſſi così geloſi, ,, e cauti di non macchiare con qualſivoglia, benche ,, piccolo neo la purità della Religione, che come ſi ,, ha da Tertulliano [*] ſtettero ſempre lontani da ,, quelle arti, colle quali aveſſero potuto correr peri-,, colo di contaminarſi coll' idolatria, e da ciò av-,, venne, che pochi, o niuno di eſſi ſi diede alla ,, pittura, e alla ſcultura, le quali aveano per ogget-,, to principale di rappreſentare le Deità, e le favo-,, le de' Gentili; ſicchè volendo i Fedeli adornare ,, con ſimboli divoti i lor vaſi, erano forzati per lo ,, più a valerſi d' artefici ineſperti, e che profeſſava-,, no altri meſtieri, i quali non pratichi del buon di-,, ſegno conducevano queſte figure, come dettava loro ,, il natural talento, e un' oſſervazione groſſolana del-,, la natura, la quale come ſeguì nel naſcimento del-,, la pittura, e della ſcoltura, additava ad eſſi ſola-,, mente le coſe più materiali, e così non diſtingue-,, vano bene le parti, e la buona diſpoſizione, e la ,, bellezza delle medeſime. ,, Hactenus litteratiſſimus Philippus Bonarota. (*)

(*) de idolo. cap. 8.

(*) pag. 84. libri illius, quem ad hunc modum inſcripſit: *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro ornati di figure &c.*

dasque Sanctorum imagines permoti Fideles sunt, diligenter disputabo. Hic tantum dicam, Pictorum quidem partes esse, ut veros Sanctorum vultus, quà possunt, diligentia exprimant; at ita etiam exprimant, ut discrimina addant, per quæ a reliquorum vultibus eos differre perspicias; (veluti radios Sanctorum caput illustrantes, & id genus alia) talesque exhibeant, quales eos exhiberi necesse est, ut eorum intuitu ad pietatem, atque ad imitationem accendamur. Porro, si Achillis imago Alexandrum ad similia gesta excitabat, quis dubitare merito poterit, num Martyrum historiæ, & vultus ipsi ad ferendos pro Christo cruciatus excitare nos facile possint, præsertim quum illiteratorum libri imagines dictæ sint, & procul dubio, a præclarorum virorum gestis ad similia facta veluti provocari, accendique consueverimus?

II. Et hæc quidem facile ostendunt, per has ipsas imagines honorari eos, quorum vultus picturà exprimere, retinereque studemus. Num levis tibi videtur honor, quum posterorum memoria retinentur excellentium virorum vultus, quorum aspectu ad eorum imitationem seri nepotes accendantur, & retrahantur a vitiis? Nec vero despiciuntur, si contempta materia, & vili vase exprimuntur. Non eas hic commemoro causas, ob quas in calicibus, & *cucurbitis vasculorum* Sanctos pictos fuisse putavit Vir Clarissimus Bonarota, quæ quidem causæ quantum probabiles sunt, tantum etiam ad illius moris commendationem maxime pertinent. (7) Tantummodo hic ajo, honori San-

[7] In calicibus, & vasculis vinariis, non solas Apostolorum, & Martyrum, sed & Adami, Hevæque imagines pictas fuisse a Christianis, indubitata res est: cujus quidem rei rationem hanc affert idem Clarissimus Bonarota. (*) ,, Niuna cosa si ,, poteva far dipigner meglio da' primi Cristiani in questi ,, antichi bicchieri, che l'immagine de' primi nostri Pro- ,, genitori, poiche avendo avanti agli occhi un sensibile ,, ricordo, che la gola era stata quella, che tolto loro ,, avea il Paradiso, si contenessero nelle mense con una ,, certa sobrietà, e con una moderazione cristiana; e ,, se noi vogliamo, che questo vetro fosse fatto pe' con- ,, viti, o per le Agape de' defunti, poteva anco servir ,, loro, passando col pensiero dal vecchio al nuovo Adamo, ,, per richiamare alla memoria la risurrezione di questo, ,, la

(*) pag. 8. in 2. & 3. imaginem tab. 1.

ri Sanctorum servando, nostræque pietati excitandæ satis esse, ut nec sordida materia efformetur, nec inconcinna, aut vili ratione exprimatur effigies sacra, tametsi ea merito, dignitatique exemplaris sui non respondeat. Sane, si non puduit Dominum Deum, a creatura, qualis Angelus est, referri, qui eum referens diceret: (*) *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*; cur Sanctis, atque adeo Domino Jesu invisum esse dicemus, ut eos creatura modo, quo potest, exprimat, seu, ut melius dicam, vultus illorum, lineamenta, atque ora exprimere studeat, quorum aspectu ad obsequia, & pietatem erga Deum, & Sanctos, & virtutes alias vehementer excitemur? Indulget etenim ille, *qui mortale*

[*] Exo. 20. 2. & alibi sæpe.

,, la quale fosse loro cagione di conforto, e di sollievo nella perdita de' parenti, o degli amici, e di speranza certissima della risurrezione de' medesimi. ,, Generatim vero de sacris imaginibus omnibus, quæ in iisdem calicibus, & vasculis pingi consuéverant, hæc eloquitur. (*) ,, Ma per finire co' nostri antichi ,, Cristiani, i divoti vasi de' quali sono stati l' oggetto principale di quest' Opera, ancor essi, come abbiamo potuto vedere a' suoi luoghi, ebbero l' istesso costume di farvi dipignere delle immagini adattate alle funzioni, per le quali doveano servire; ma di gran lunga più nobile, e più sublime fu il fine, che essi ebbero in far questo, poiche non come presso i Gentili, vi ebbe parte ne il lusso, ne la superbia, ne il desiderio di divertire il sentimento della vista, ne il rappresentare all' animo pensieri lieti, e mondani, ma l' unico scopo loro si era di tenere, come abbiamo detto a principio, in ogni occupazione della vita, avanti agli occhi, i misterj, e le massime della Religione, e dove i vani ornamenti de' vasi de' Gentili, tanto stimati dal cieco volgo, e tanto rinnomati, instillavano superstizione, ed erano cagione di dannosi allettamenti; que' rozzi de' Christiani spiravano religione, e virtù, e cagionavano nell' anima pensieri buoni, ed atti a render più perfetta, la parte più sublime dell' uomo, la cui vera perfezione fu dal volgo de' Gentili o affatto sconosciuta, o da essi trascurata, ed avuta in niun conto, e da' savj loro privi della divina, ed alta dottrina del Salvatore, pochissimo conosciuta, o niente compresa. ,, Juvabit etiam ea consulere, quæ idem Vir Clarissimus (*) de hisce calicibus, quos in Martyrum festis adhibitos a Christianis putat, luculentissime tradit.

(*) pag. 227. in calce libri ad tab. 31.

(*) pag. 129. ad imaginem 2. tab. 19.

tale hoc nostrum induit, (*) *& limo inspiravit spiraculum vitæ*, (*) ut materiâ [si decenti] tam & si communi ipse, illius servi, & amici exprimantur. Nihil scilicet a majestate sua, aut seruorum suorum honorificentia alienum judicat, quod nobis est utile ad virtutem acquirendam; ideoque noscens, utilissimum esse nobis, si crebræ sacræ imagines fiant, ut crebræ fiant, in vili etiam materia fieri permisit.

(*) 1. Joan. 4. 3.
(*) Gen. 2. 7.

CAP. XXII.

Reliquas dissolvimus objectiones, ideoque eas, quæ desumuntur ex imaginibus Virginem Deiparam sub puellæ, Josephum vero ejus conjugem sub senis effigie repræsentantibus. Agimus pariter de Theodori imagine, cui apponitur draco: & de Christophoro gigantis formâ expresso. Ut objectum denique Clementis Alexandrini testimonium illustremus, aliò Lectorem rejicimus.

I. QUantum superiora argumenta ad evertendam opinionem eam, quæ antiquissimas in Ecclesia censet imagines, virium habeant, satis vidimus: sed nec magis valent ea, quæ dissolvenda supersunt. Neque vero animus is nobis inest, ut cunctas, tametsi in templis etiam propositas, Sanctorum imagines laudabiles judicemus. Interdum porro usurpari id a nobis vel invitis debet, quod olim protulit Augustinus. (*) *Aliud est quod docemus, aliud quod sustinemus, aliud quod præcipere jubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur.* At intereà non præteribo, pravitatem, si qua in sacras imagines aut irrepsit, aut irrepet aliquando, non artis, sed abutentium arte vitium esse. Id pro viribus emendat,

(*) lib. 20. contra Faustum cap. 21.

& tollit Ecclesia, & hac de re præstantissimos habemus tum optimi Archiepiscopi, & Civis nostri Cardinalis Palæoti, tum eruditissimi Ayalæ eo de argumento editos libros (*), ex quibus intelligas, quantum probis displiceat quorumdam Pictorum imprudentia, & perversitas, & quantum operæ impendat Ecclesia, ut ab iis avertat Fideles. Eas tamen imagines omnes, quarum meminere, hic vehementer exagitari non patior; multæ enim earum videntur symbola esse gestarum rerum, sanctitatis, & meritorum alicujus Sancti, ad quæ si animum non advertas, iconem improbabis, laudabis vero, si advertas. Profecto ad imaginem Virginis Deiparæ quod attinet, eam adolescentulam, cum Josepho nupsit, pingi novi, quum Josephus senilem vultum gerens a Pictoribus exprimatur. Si historicas tantum esse vis imagines has, a vero alienas, me facile assentiente, eas dices: neque enim aut tenellam, & vix duodennem puellam fuisse arbitror Virginem, cum Josepho nupsit, aut octogenarium Josephum, cum eam suscepit. Id sane tum alii multi, tum certe Doctissimus P. Serry (*) luculenter ostendunt, quos subsecutus est vir non modica laude dignus Antonius Sandinus. (*) At quid si symbolicas esse dicam imagines has? Tum jure, meritoque Virginem Deiparam sub puellæ, & Josephum sub senis effigie expressos dicam. Nimirum propterea Virgo pingitur puerili adhuc ætate florens, non modo ut noveris, viro incognitam eam fuisse, verum etiam ut intelligas, culpæ cujusque etsi levis expertem. Qua in re laudes oportet Pictoris sedulitatem; etenim [ut multi quidem putant] si facer libri primi Regum scriptor, ut Saulis pietatem, & innoxiam vitam indicaret, id vehementissime expressum arbitratus est, quum dixit: *Filius unius anni erat Saul*, cur non poterit pictor, ut exprimat Mariæ Virginitatem, puritatem, & reliquas virtutes omnes, & alienationem a vitiis, a quibus aliena esse consuevit puerilis, sæpe inficitur provectior ætas, Mariam fingere (quoad ejus fieri potest) tenellam, & puellulam? Joseph autem propterea senex exprimitur, ut illius prudentiam, castimoniam, & virtutes reliquas omnes, quibus senectus homines ditat, ediscas. Ipse re vera est vir, qui brevi temporis spatio *explevit tempora multa*, & Virginem, Sanctissimum-

(*) in eo doctissimo volumine, quod inscripsit: *Pictor Christianus eruditus*. Vide etiam quæ tradunt Episco. Castorien. *de cultu Sancto.* tracta. 3. 6. 101. & Estius in Ezechi. cap. 23. v. 14.

[*] exercita. 25.

(*) in historia familiæ sacræ pag. 401.

(*) 1. Reg. 13. 1.

fimumque ejus filium fibi habuit comites, & obsequentes; quod fenilem illius sapientiam mirum in modum innuit. Audite Canifium virum pietate, doctrina, atque eloquentia præstantem, qui hæc tradit.(*) „Fortasse ingeniosa vetustas dedit hoc populi simplicitati, ut etiamsi Joseph junior fuisset quàm pingitur, „tamen pro seniore vulgo haberetur; ad depellendam „videlicet rei amatoriæ, & conjugalis congressus su„spicionem. Hanc enim facile vel pareret, vel au„geret vegetus, & viridi ætate juvenis, qui cum nu„bili puella vel cohabitans, vel deambulans, in tabel„la spectantium oculis subjiceretur.„ Id ipsum edocemur in notissimis illis versiculis (a).

Ergo Joseph reputasse (*) senem fecere feniles
In se virtutes; vel neu carnalis haberet
Suspicio de te quicquam carnale, Maria.

Proderit etiam consuluisse Suarez, & Toletum, quos allegat Sandinus. (b) Additur vero virga florens, sive utagnoscas, commissum esse illi regimen Domus inclytæ, & in qua lilium convallium nullo ferente floruit, sive ut indicetur id, quod nonnulla apocrypha quidem, sed tamen a Patribus interdum allegata vetera scripta tradiderunt: flores scilicet emisisse bacillum, quod tenebat Josephus, quum Mariam duxit. (c) Quod ad Bovem, & Asinum suo flatu natum Jesum foventes pertinet, probabilem eorum esse opinionem, qui id factum putant, copiose deinceps ostendam. Ad eum locum Lectorem allego.

II. Symbolica quoque ea videtur species, qua Theodorum, immo alios etiam Sanctos interdum pingere consuevimus; ut scilicet Draco prostratus, devictusque ad eorum pedes jaceat. Gerit hic Draco Dæmonis typum, quē nempe vicerunt Sancti; quod, ne temere dixisse videar, audite quæ de Constantino tradit Eusebius. (d) „Quin etiam in sublimi quadam tabulâ ante vestibu„lum palatii positâ cunctis spectandum proposuit, sa„lutare quidem signum capiti suo superpositum: in„fra vero hostem illum, & inimicum generis huma„ni, qui impiorum Tyrannorum operâ Ecclesiam Dei „oppugnaverat, sub Diaconis forma in præceps ruen„tem. Quippe divina oracula in Prophetarum li„bris Draconem illum, & sinuosum serpentem appel„larunt.

(*) cap. 13. libri 2, to. 2. *de corruptelis verbi Dei* pag. 269. editio Parif. anni 1584.

(a) Gersonius *in Josephina* to. 4. edit. Dupiro col. 743. sed hæc quæ allegamus, extant col. 764.

(*) Doctis. P. Serry legit *pinxisse*: recte ne an secus, alii viderint.

(b) in historia familiæ sacræ pag. 401. & 402.

[c] Vide Sandinum pag. 402.

[d] cap. 3. lib. 3. ex iis, quos *de Constantini vita* inscripsit.

„ larunt. Idcirco Imperator Draconem telis per „ medium ventrem confixum, & in profundos maris „ gurgites projectum, sub suis, suorumque liberorum „ pedibus cerâ igne resolutâ depingi, proponique o- „ mnibus voluit; hoc videlicet modo designans occul- „ tum humani generis hostem, quem salutaris illius tro- „ phæi, quod capiti ipsius superpositum erat, vi ac po- „ tentia in exitii barathrum detrusum esse significabat. „ Atque hoc quidem imago variis coloribus depicta „ tacite indicabat. Mihi vero eximiam Imperatoris „ intelligentiam mirari subit, quod divino quodam af- „ flatu impulsus ea pingendo expressit, quæ Prophe- „ tarum vocibus de Bestiâ illâ multo ante prædicta „ fuerant: Deum scilicet machæram ingentem, & ter- „ ribilem adacturum esse in Draconem serpentemque „ fugientem, & occisurum esse Draconem, qui est in „ mari. Horum igitur figuram expressit Imperator, „ rem ipsam picturâ prorsus imitatus.„ (e) Fortasse etiam Draco ille aut luem, aut malum fugatum, Sancti illius, ad cujus pedes pingitur, ope, atque intercessione significat; cujus rei diligentior narratio tam et si perierit, tamen argumentum illius aliquod, & memoria superest in his picturis. Sane Draco ille, qui *sub triumphali pede Martyris* (Stephani) *contritus aspiciebatur, & pressus*, indicabat beneficium, quod S. Martyris intercessione, pridie receperant Fideles. Perterrefactis scilicet iis, *dum desuper respicerent igneum quemdam, & immensæ magnitudinis propendentem in caput e nubibus Draconem..... Tandem pro cunctorum fletibus opportune ad Christum Domini Stephani fusa prece, clementia Dei annuente, horrendus ille Draco paulatim cœpit a conspectu hominum inter nubium septa subtrahi atque abscondi, & qua venti incubuerant, redeunte cæli serena facie, discuti atque propelli; ac sic revocatis animis, atque a tanta tristitia in lætitiam reductis reddebantur Deo, & amico ejus uberes gratiæ cum ingentibus lacrymis de inopinata gratulatione profusis*. Hactenus audistis Evodium, sive alterum quempiam, cui tribuendi sint libri, qui *de miraculis S. Stephani* inscribuntur. (*f*) Quod de Theodoro diximus, facile de Georgio dicere possumus. (*)

(e) Diabolū draconis specie fuisse deinceps etiā Christianis expressum, ne cunctos enumerem, discis ex capite 123. libri illius, quem Belethus *Rationale divinorum officiorum* inscripsit: *Draco, qui triduo illo deportatur inflata, & longa cauda ... significat Diabolum &c.*

(f) capite 4. libri 2.

(*) Vide Baro. in annota. ad Martyr. Roma. die 23. Aprilis.

III. At quum dixi, *symbolicam videri eam speciem*, non propterea eos prorsus improbo, qui verum, natu-

turalemque draconem a Theodoro fortaſſe interfectum fuiſſe ajunt. Tam et ſi enim nulla nobis hujuſce rei memoria ſuperſit, fortaſſe tamen id factum eſt: eam vero narrationem omiſit Nyſſenus, quum Theodori panegyricam orationem texuit, quòd ſpirituales S. Martyris, dum viveret, victorias celebrandas ſibi propoſuit, non corporales. Enim vero a quibuſdam Sanctis interfectas fuiſſe (precibus potius ad Deum fuſis, quàm alia quapiam ratione) nocentes beſtias, multis veterum monumentis proditum eſt. Reliqua proſequamur.

IV. Quo reſpiciat immanis granditas Chriſtophori, tradit Optimus Poeta Hieronymus Vida (*) hæc effatus.

Chriſtophore, infixum quod eum uſque in corde gerebas,
Pictores Chriſtum dant tibi ferre humeris.
Quem geſtans quoniam multa es perpeſſus amara,
Te pedibus faciunt ire per alta mari:
Id quia non poteras niſi vaſti corporis uſu,
Dant membra, immanis quanta gigantis erant,
Ut te non capiant, quamvis ingentia, templa:
Cogeris & rigidas ſub Jove ferre hyemes.
Omnia quod victor ſuperaſti dura, virentem
Dant manibus palmam, quà regis altus iter.
Quod potis, ars tibi dat, nequeat quum fingere verà:
Accipe cuncta bono tu bonus iſta animo.

Aliam explicationem ſymbolicam illam quidem, ſed eo uſque ſymbolicam, ut hiſtoriam prorſus excludat, præbet Pierius Valerianus. (g) Fortunius Licetus (h) Pierium ex parte videtur ſequi, ex parte reprehendit: fatetur ſcilicet Licetus, ſymbolicam eſſe quidem imaginem eam, ſed hiſtoriam aliquam ſub ea deliteſcere etiam vult. Scriptores iſtos Lector conſulat.

V. Poſtremum aggredior, argumentum ſcilicet, quod a Clementis Alexandrini auctoritate deſumunt. Porro paucis ab eo argumento te expedi, adverſarios rejiciens ad ea, quæ §. 2. capitis xv. diximus: neque enim nova objectio hæc eſt, ſed eadem prorſus ex diverſa latina interpretatione deſumpta. Ad alia itaque tranſeo.

(*) Vide Baron. an. 324. n. 97. & ſeq. nec legiſſe pigebit, quæ Maximus Aldrovandus *de Serpentibus, & Draconibus* prodidit. Adde quæ legimus Daniel 14. v. 22.

(*) inter hymnos n. 26. pag. 377. to. 1. elegantiſſimæ editionis Cominianæ.

(g) de Hieroly. li. 15. titu. *de vera diſciplina*.

(h) *de gemmis anularibus* ſchema. 24. pag. 236.

DE DEI IMAGINIBUS.

S*Cio equidem, ea, quæ usque adhuc de sacris imaginibus diximus, sufficere fortasse posse Theologo, qui paucis contentus sit. At scio etiam, nostris temporibus non modo Protestantes, verum etiam Catholicos ipsos diligentiam summam, & copiam in his controversiis exposcere. Quorum quidem consuetudini obsequendum esse censeo, ne scilicet videar aut eorum exempla contemnere, qui studiis suis lucem plurimam Ecclesiasticæ eruditioni attulere, aut vereri eas difficultates, quæ in hoc argumento se se nobis objiciunt. Id autem tanto libentius exsequor, quanto certius efficior, emolumentum non leve ex uberi rerum harum disputatione me consecuturum: atque illud in primis, ut multa afferam argumenta, ex quibus tum antiquitas, tum probitas sacrarum imaginum manifesto innotescat. Quam quidem tractationem, enimvero non brevem, ut omnia rectius constent, ita distribuemus. Priora illius capita comprehendent ea, quæ de Dei, ideoque Trinitatis Sanctissimæ imaginibus a Theologis disputantur. Subsequentibus capitibus de Verbi* in similitudinem hominum facti *imaginibus agam. Differam deinceps de Virginis Deiparæ, Sancto-*

ctorumque imaginibus. Disputabo denique de Angelorum imaginibus; non quo Angelos, eo rejiciens, contemnam, & parvi faciam: sed quod remotiores a nostris inquisitionibus videatur eos facere spiritualis eorum natura, quæ symbolicas tantum, & ænigmaticas eorum species a nobis haberi sinit; & raro hominibus apparentes, non admodum multas reliquerint apparitionum suarum formas, sub quibus tamen eos exprimi non infrequens prorsus est.

CAP. XXIII.

Num aliquæ Dei imagines a veteribus Christianis sint efformatæ.

I. PIngendi Deum tres tantum occurrunt modi. (*) Vel ita scilicet, ut illius naturam aut certe essentialem proprietatem, & perfectionem exprimere cupias: vel ita ut eam speciem efformes, quam homines in veteri testamento Deus alloquens, assumpsit, exhibuitque: vel denique ita ut eandem naturam, aut aliquam Dei proprietatem ænigmate, & similitudine adumbres. Porro si de primo imaginum genere loquaris, indubitata res est, neque formari, neque ratione alia Dei imaginem exprimi potuisse. Quis enim spiritum coloribus exhibebit, aut ære exprimet? Quis infinitam, perfectissimamque Dei substantiam, aut mente complecti, aut tabula referre valeat? Huc sane pertinent ea documenta omnia, quæ Deum incom-

(*) Cajeta. in quæst. 25. S. Thom. *de Salvatore* ad ar. 3. §. *Ad hujus rei evidentiam &c.* Laudabiliter etiam hoc in argumento versati sunt optimus Bellarminus li. 2. *de imagin.* cap. 8. & Sanctiss: Pontifex Benedictus XIV. *de Canoniz.* lib. 4. part. 2. cap. 20. n. 3.

prehenſibilem, & illimitatum oſtendunt, præclara ſane, eaque cum perſpicua, tum etiam plurima, quæ cum alibi luculenter attulerim, (*) hic repetere non eſt opus. Quam ob rem mirum non eſt, ſi veteres Patres vetuere, quo minus hoc modo pingeretur Deus. Profecto Clemens Alexandrinus (*a*) Moyſis edictum, quo removentur imagines, cum Pythagoræ edicto comparans, hæc ſubjungit. „ Moſes multis ante ſæculis aperte legem ſanxit, nullam „ oportere ſculptilem, vel fuſilem, vel fictam, vel pictam imaginem, ſimulacrumve facere &c. „ (*b*)

II. Clementem ſubſecutus eſt Origenes: quippe (*c*) cum Gentilibus cultum idolorum objeciſſet, mox Petavio interprete (*) iſta ſubdit. „ Ac tametſi „ quidam eorum idola iſta Deos eſſe negent, ſed ve„ rorum expreſſas ſimilitudines eſſe dicant, eorumque „ ſymbola; nihilominus etiam iſti in ſordidorum opi„ ficum manibus diviniratis imitationem eſſe fingen„ tes, ſibi imperiti ſunt, & mancipia. „

III. Id etiam diſcimus ex Minucio Fælice, qui in eo Dialogo, quem inſcripſit *Octavius*, ad frequentem Gentilium exprobrationem: (*) *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra?* hæc denique ſubjicientem Octavium inducit. (*) „ Putatis autem, „ nos occultare quod colimus, ſi delubra, & aras non „ habemus? Quod enim ſimulacrum Deo fingam, „ cum ſi recte exiſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimula„ crum? Templum quod ei extruam, cum totus „ hic mundus, ejus opere fabricatus, eum capere non „ poſſit? & cum homo latius maneam, intra unam „ ædiculam vim tantæ Majeſtatis includam? . . . . . „ At enim quem colimus Deum, nec oſtendimus, nec „ videmus. „

IV. Quis etiam ignorat, pleroſque veterum Ethnicorum Chriſtianos a Judæis minime ſecreviſſe, cum ceteroqui ritibus ipſis valde differrent? Simillimum autem veri eſt, ad eam opinionem propagandam plurimum contuliſſe, non modo, quod in Judæa exordium habuerit, & incrementum Religio noſtra, verum etiam, quod Chriſtiani perinde ac Judæi, a Dei imagine formanda caverent maxime.

V. Accedit ad hæc: ſi Deum exprimere mos erat

vete-

(*) *de attributis Dei.*

(*a*) 5. Stroma. n. 5. pag. 662. edit. Potteri.

(*b*) Recole verba Clementis Alexandrini, quæ §. 1. & 2. capitis XV. allegavimus.

(*c*) in libro ſexto *contra Celſum*.

(*) Tomo VI. Theolo. dogma. lib. XV. cap. XIV. n. 2.

(*) pag. 91. editio. Lugdu. Batavo. an. 1672.

(*) pag. 313.

veteribus Christianis, in templo, ut pote aptiori loco, illius imaginem collocassent. Porro, quod testatur apertissime Minucius Felix, & alii quoque antiqui Scriptores confirmant, nullam Dei in templis suis habuere Christiani imaginem. (d) Denique nulla utentes Dei imagine, quæ illius exhiberet essentiam, satis apte repulerunt Gentilium criminationes, veluti quod Christiani Deum colerent ineptissimum, cui etiam ad majorem contemptum, asininas addebant aures stultissimi obtrectatores. (e) Scilicet eæ criminationes ex eo ortæ videntur, quod nulla ratione Deum suum Christiani exprimerent: id autem propterea evenisse putabant imprudentissimi Ethnici, quod Christianos puderet formam Dei sui patefacere: has autem criminationes abunde repellebant iidem Christiani testantes, se eum Deum colere, qui nulla exprimi imagine posset.

VI. Sed piget jam in explorata, minimeque controversa quæstione longius progredi. Porro ea, quæ hactenus dixi, si diligentius expendas, facile ostendent, eos plurimum errare, qui putent, essentialem aliquam Dei proprietatem fuisse a veteribus illis Christianis expressam imagine quapiam, non per symbola, aut ænigmata significatam.

VII. Novi equidem, monere nonnullos, improbas non esse imagines, quæ Dei essentiam, aut essentialem illius proprietatem aliquam referrent. Cur enim improbas dices, si improbæ non sunt ænigmaticæ Dei imagines, nec quæ sub ea exprimunt specie, sub qua apparuit? Habent præterea expressæ imagines divinæ essentiæ commoda illa, atque emolumenta, quæ Pontificii recensent, dum sacrarum imaginum utilitatem prædicant. Quod si improbæ non sunt, cur minime expressas eas vis? At si ea observes, quæ ego attuli, videbis, futuras improbas eas species, quæ Dei essentiam referre contenderent. Neque operæ pretium arbitror ea hic repetere, quæ satis tum alibi, tum nuper etiam exposui.

(d) Origenes lib. 8. *contra Celsum* §. 17. Ad quæ quidem verba posita pag. 754. to. 1. vide quæ adnotant Clariss. Patres S. Mauri. Allegant porro ad id confirmandum præter Originem, Arnobium, & Lactantium. Nec pigeat reliquos consulere Patres, quos ibi adducunt. Affinia discimus ex Lampridio, quem jam allegavimus.

(e) Videatur elegans hac de re dissertatio, quam Neapoli edidit Vir eruditus *Jacobus Antonius del Monaco*.

CAP.

C A P. XXIV.

Num veteres Christiani imagines aliquas efformarint, quibus eas formas exhiberent, sub quibus interdum apparuit Deus? Id porro affirmamus: quàm vero id probabile sit, indicatis opinionis nostræ fundamentis, ostendimus.

I. ATque hæc de expressis Dei imaginibus satis sint dicta. Adsunt aliæ quædam, quas pariter Dei imagines dicere poteris; eæ nempe, quibus Deus ipse interdum hominibus se conspicuum præbuit. Porro aptius alibi ostendemus, haud infrequentes fuisse imagines, quibus veteris testamenti historiæ repræsentabantur. Quid vero aptius occurrere poterat historiis iis, quibus Abrahamo, & Moysi apparens Deus exhiberetur? Præcipua scilicet veteris testamenti capita, (ut ita loquar) & præstantissima sane argumenta ea sunt, quibus Fideles in rebus dubiis solamen recipiant, summamque in fiduciam erigantur. Eas itaque exhibuisse simillimum veri est. Quod si ex paucis iis, quæ supersunt, exempla proferri vis, præsto sum, eaque statim affero, quæ in Liberianâ Basilicâ nunc etiam visuntur. Nubibus apparens Deus, manumque porrigens, in ea extat imagine, quam olim Clariss. Ciampinus, (*a*) deinceps vero egregius Vir Franciscus Blanchinus (*b*) typis edidere: in cujus quidē imaginis inferiori parte Melchisedech, & Abraham repræsentantur. (*c*)

II. Putarunt porro multi ex veteribus, Verbum Dei, ideoque Deum Angelis stipatum apparuisse Patriarchis, & Prophetis, [*d*] & procul dubio Abrahamo, qui & eos convivio excepit. Hanc autem historiam expressam habemus in eadem Liberianâ Basilicâ. (*e*) Dominum Moysi e nubibus apparentem exhibere mihi videntur figura 2. tabulæ 58. Ciampini

(*a*) part. 1. vete. monu. cap. 22. pag. 212. tab. 50. fig. 1.
(*b*) tom. 3. Anastasii Biblio. pag. 128.
(*c*) ,, Prima igitur ,, tabula, quæ choro proximior est ,, ad sinistram introëuntium, seu ,, in meridiē, Melchisedech denotat, qui præ manibus habet canistrum repletum ,, panibus, & vas ,, vino; occurritque ,, Abrahæ redeunti ,, a quinque Regū ,, profligatione, ,, spoliis hostium & ,, laudibus onusto, ,, eique benedictionem impertitur ,, Gen. cap. 14. 19. ,, Deus inde è nubibus prodiens ,, conspicitur, ac ,, Melchisedech omnia hæc suggerens. Hanc picturam exhibeo ,, in Tab. 1. sub ,, fig. 1. ,, Hæc Ciampinus. pa. 212.
(*d*) Vide quæ tradit Petavius de Trinit. li. 8. cap. 2.
[*e*] Ciampinus tab. 51. fig. 1. Blanchi. to. 3. Anastas. pag. 103.

ni (f) & fig. 1. tab. 60. (g) Dominum autem nube obtegentem Moisem, ne is lapidibus a populo obrueretur, exhibet fig. 2. tab. 61. (h) Sæpissime quoque repræsentatur in veteribus musivis, & Sarcophagis (i) Deus Prophetis volumen porrigens, (*) aliudque id genus agens. Cuncta porro referre non cogor, satisque instituto nostro esse possunt exempla ea, quæ nuper attulimus.

(g) pag. 219.
(h) pag. 220.
(f) Ciampi. ibidem pag. 218.
(*) Ciampin. to. 2. vet. monu. tab. xx. n. 6.
(i) sæpissime apud Aringum Vide li. 2. cap. 10. to. 1. pag. 291. 305. 309. 423. &c.

C A P. XXV.

De Ænigmaticis, & symbolicis Dei Imaginibus.

I. SEd ab iis ipsis, qui fatentur, minime consuevisse Christianos prioribus Ecclesiæ sæculis ullam Dei imaginem facere, quæ illius naturam, & essentiales proprietates exprimeret, quique etiam docent, iisdem sæculis consuevisse Christianos imagines aliquas efformare, quibus eas formas exhiberent, sub quibus interdum apparuit Deus, disputatur adhuc, num ænigmaticam aliquam, seu symbolicam imaginem iidem Christiani fecerint, qua quidem Dei essentia, aut proprietas aliqua indicaretur, adumbrareturque. In qua sane controversia, eorum sententiam amplectimur, qui monent, nullum profecto nobis compertum esse monumentum, quo certo noverimus ænigmaticam, seu, si appellare ita vis, symbolicam aliquam imaginem a trium priorum sæculorum Christianis fuisse factam, quæ Dei proprietatem aliquam indicaret, adumbraretque: tamen suspicari nos merito posse hujus generis imagines ab eorum temporum Christianis non fuisse reprobatas.

II. Ut id penitus intelligatis, scire vos volo, repræsentari rem aliquam posse per ænigma, seu ut fere Scholastici ajunt, per *species abstractivas*, repræsentari etiam posse per se ipsam, &, ut fere ajunt, per *species intuitivas*. (*) Tum vero dicimus, repræsentari rem posse per se ipsam, seu per species intuitivas, quando ipsa se exhibet, non per aliquam similitudinem, aut figuram. Hoc modo solem nobis fulgentem per se ipsum, seu per species intuitivas conspicimus, quum videmus ipsum per species, & lu-

(*) Laudabiliter etiam hoc in argumento versati sunt Bellarminus lib. 2. *de imagini.* cap. 8. & Sanctiss: Pontifex Benedictus XIV. *de Canoniza.* lib. 4. par. 2. cap. 20. n. 3.

lucem, quas emittit, quæque perveniunt ad oculos noſtros. Contra repræſentari per ænigma, ſeu per ſpecies abſtractivas, eſt, repræſentari ſub aliquâ, ſeu per aliquam ſimilitudinem, quæ quanto remotior eſt, & obſcurior, tanto magis augetur ænigma, & abſtractio. Ut exemplo rem declarem, quoniam Angelos ipſos propter eorum naturam ex oculis noſtris, & ſenſibus plane ſubductam, probe aſſequi non poſſumus, neque eam pictura, aut ære exprimere, ad ęnigmata, & ſpecies abſtractivas confugimus; & quoniam pro ingeniolo noſtro ſatis eos percipere exprimereque putamus, ſi utcumque naturam, aut proprietates eorum aliquas (præclariſſimas tamen, & primarias) percipiamus, & exprimamus; cum inter Angelorum proprietates, dependentiam ſummam a divinis juſſibus, (*ab ore qui pendent tuo* (*)) & facilitatem, qua promptiſſime juſſus eos exſequuntur, ut pote a materia exſoluti (*qui facis Angelos tuos Spiritus*, (ideſt velociſſimos veluti ventos) *& miniſtros tuos ignem urentem*, (*) *&c.*) præclariſſimas eſſe putemus; ſimilitudines quaſdam, & ſpecies quærimus, quibus id exprimamus. Porro utrique proprietati ſignificandæ eam ſimilitudinem aptam putamus eſſe, quam præbet venuſtus, & alacer adoleſcens, cujus humeris alæ expanſæ addantur. Etenim juvenes Angelos facimus, quia eorum ſpiritualitas vetat, ne impedimenta ætatis ſentiant, aut ægritudines corporis, *quod dum corrumpitur, aggravat animam*. (*) Pulchros pingimus, ut exprimamus gratiam, & præſtantem naturam: porro humanâ figurâ eos exhibemus, quia melior non occurrit, neque aliter naturam rationis compotem, & excellentem indicare nos novimus: alas autem expanſas addimus, ut promptitudinem, & facilitatem, quarum nuper meminimus, declaremus. Alias etiam cauſas, cur alatos pingimus, addunt alii, eæque ipſæ ſunt, quas adducunt interpretes, dum de alis Cherubinorum, & Seraphinorum diſputant. Hujuſmodi diſcrimen inter intuitivam, & abſtractivam viſionem non experientia tantummodo innititur, aut conſenſione Philoſophorum, & Theologorum, verum etiam auctoritate Scripturarum, & Patrum. Theologorum teſtimonia hic non profero, quoniam notiſſima, & creberrima ea ſunt, adeo ut dubitari

(*) in hym. ad Veſperas.

(*) Pſal. 103. v. 4. Vide etiam Tertullianum cap. 22. Apologetici.

[*] Sapien. 9. 15.

bitari ea de re omnino non possit. Quis vero dubitet, num Scripturarum auctoritas huic consuetudini faveat, postquam audierit Paulum Apostolum exclamantem: (*) *Nunc autem videmus per speculum, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*: id est nunc per species abstractivas Deum attingimus, tunc autem ipsum per species ab eo emissas intuebimur? Quis dubitet, num Sancti Patres id approbent, postquam legerit auctorem libri, qui *de Cælesti Hierarchia* inscribitur, prodiitque præposito Dionysii Areopagitæ nomine; (capitibus quippe secundo, & xv. de hoc argumẽto copiosissime, & multo enucleatius, quàm nos egerimus, disserit) aut demũ audierit Joannem Damascenum oratione I. ex tribus iis, quas scripsit *adversus eos, qui sacras imagines abjiciunt*, hæc loquentem? (a) „ Videmus si„ quidem in creatis rebus imagines, quæ subobscure „ nobis revelationes divinas indicant: ut cum dici„ mus, Trinitatem supremam per solem, lucem, & „ radium: aut per mentem, verbum, & spiritum, quæ „ in nobis sunt, aut per rosæ plantam, florem, & „ odorem significari. „

(*) 1. Chor. 13. 12.

(a) n. 11. In editio. Zini pag. 20.

II. Quando vero *species abstractivas, & ænigmata* tantummodo appellavi, non propterea eos reprehendo, qui *symbolorum*, & affinibus vocibus ad id ipsum explicandum utuntur, monentes per *symbola* Deum a veteribus fuisse expressum, *symbolicasque* illius imagines aliquas fuisse factas: immo rem eandem vocibus hisce significatam fuisse arbitror. Et sane latini ipsi scriptores in hac quidem significatione vocem *symbolum*, & ab ea derivatas sumpsisse videntur, cum hæc ajunt: *more Pythagoræ operte, atque symbolice &c.* (b) Sed propterea vocibus his *per species abstractivas, ænigmaticas, & ænigmata*, & similibus aliis usus sum, quia eas frequentius a Scholasticis adhibitas vidi: ceterum promiscue usurpari has voces posse a Scholastico etiam puto; vel enim, uti dixi, rem eandem significant, vel levissimum certe inter eas discrimen est: (*) hinc promiscue imagines *abstractivas, ænigmaticas, & symbolicas* deinceps appellabo, ut ab *intuitivis* & *expressis* distinguam. Placuit porro aliis *typicas* eas appellare imagines, quas *ænigmaticas & symbolicas* nuper appellavi; cujus quidem vocis significationem cave reprehendas, nam, ut cetera prætermit-

(b) Aul. Gellius. li. 4. cap. 11.

(*) Discrimen inter has voces in eo inesse plerique putant, quod vox *symbolica*, imagini addita figuram tantum significat: *ænigmatica* porro denotat, figuram illam esse valde obscuram, & ænigmati similem.

mittam, in hac ipsa significatione sumit Ecclesia, dum hæc canit (c)

Post agnum typicum expletis epulis &c.

(c) in hymn. ad Matuti. in offic. *Corporis Christi*.

III. Hæc propterea fusius exposui, ut clarissime rem explicem, de qua non infrequens deinceps erit sermo. His vero positis, propositionem meam sic ostendo. Libro quinto Stromatum Clementis Alexandrini hæc invenio: (d) *Sunt autem, qui Deum colentes facta cæli effigie, quæ astra continet, eum adorant, cum nostra quidem certe dicat scriptura: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Si verbis illis: *Qui Deum colentes*, Christianos designat, Clemens Alexandrinus (id autem simillimum veri est: hoc quippe vocabulo Christianos appellare veteres Patres consueverunt) conjicere possumus, fuisse Deum adoratum *in facta cæli effigie, quæ astra continet*: ideoque *in hac cæli effigie, quæ astra continet*, veluti in symbolica, abstractiva, & ænigmatica imagine divinam perfectionem, & proprietates Dei aliquas fuisse repræsentatas. Sicut enim Cæli rerum omnium, quas oculis assequimur, præstantissimæ sunt, elatiores etiam, generales, & utilissimæ nobis causæ; ita in iis, veluti in symbolica imagine divinam excellentiam, illius sublimitatem, & exactissimam, universalemque nostri curam, & regimen adumbratum assequi possumus, ideoque in eadem imagine Deum adorare. Consueverunt autem Ægyptii, in quorum regionibus degebat Clemens Alexandrinus, præsertim quum de Deo loquebantur, symbolicis, ænigmaticis, & abstractivis imaginibus uti. (*)

(d) n. 5. pag. 662. editio. Potteri.

IV. At hanc esse indubitatam allegatorum verborum significationem non audeo asserere: quippe non satis perspicua sunt verba illa: fortasse etiam, dum meminit *colentium Deum*, Christianos minime intelligit, sed veteres aliquos philosophos unius Dei cultores: fortasse etiam, si Christianos innuit, non propterea vult coluisse in ea cæli effigie, veluti in abstractiva imagine Deum, sed tantum coluisse in ea cæli effigie, ut in effectu præstantissimo (quippe præstantissimi cæli sunt, & Creaturis omnibus splendidiores) ideoque aptissimo ad eum cultum excitandum. Utcumque sit, superiorem interpretationem sane non reprobat Clemens Alexandri-

[*] Vide quæ tradit Clemens Alexandrinus n.4. libri v. Stromatum pag. 658. & 659. editionis Potteri.

nus,

nus, immo eam tacite approbat, fassus extare aliquam (tametsi paulo remotiorem) Dei imaginem in homine: Id porro, nisi fallimur, apertissime indicant quædam, tametsi aliquanto obscuriora, Clementis Alexandrini verba, quæ cum alibi retulerim, (e) ad eum locum lectorem rejicio.

IV. Propterea vero dixi, merito suspicari nos posse, tribus ipsis prioribus Ecclesiæ sæculis minime a Christianis improbatas fuisse eas imagines, quæ aliquam Dei proprietatem symbolo aliquo, seu ænigmate exprimerent; quòd quarto ipso ineunte sæculo non infrequentes fuisse noverim apud Christianos, & perpetuo deinceps retentas hujusmodi imagines, quæ nullo prorsus tempore reprehensæ fuere. Cujus quidem rei si expressa afferri a me vis monumenta, statim obsequor. Quid aliud, obsecro, est manus illa e cælo in terras protensa, & vel Moysi legis tabulas, vel dignis præmio coronas porrigens, vel aliud quodpiam his affine agens, quæ toties in nummis, picturisque repræsentatur? An ignoras, Clarissimum Philippum Senatorem Bonarota hæc veluti compertissima tradidisse? (g) (8) „ Exhibet hic Deum manus, quemadmodum Deum exhibet manus in vetustis picturis, in sarcophagis Cœmeteriorum, in volumine *historiæ Judicum*, quod extat in Vatica-

[e] cap. 15. §. 2.

(g) in eo libro, qui ad [hunc modum] inscribitur: *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro &c.* pag. 5.

(8) „ Vien figurato qui Iddio nella mano, come si vede „ nelle antiche pitture, e ne' Sarcofagi de' Cimiteri, „ e nel volume dell' Istoria de' Giudici della Varicana, nelle figure della Genesi riportate da un Codice MS. Greco antichissimo dal Lambecio nel Lib. 3. „ della Biblioteca Cesarea, in molti antichi Mosaici delle Chiese di Roma, nel Menologio di Basilio, e finalmente in alcune piccole monete di Costantino fatte dopo la sua morte, e che sono descritte da Eusebio, nelle quali l' Imperatore è come condotto in „ Cielo in un cocchio, e vi è in alto una mano, che „ lo riceve. Ed a ragione vien presa la mano per „ simbolo di Dio, perchè essendo egli Invisibile, l' „ opere solamente della sua mano si vedono, onde sovente nella sacra Scrittura l' operazioni del medesimo si chiamano mano, mano forte, robusta, ed eccelsa (*). „

(*) Vide Isidor. li. 7. c. 2.

„ ticana: in figuris Geneseos, quas ex vetustissimo co„ dice græco describit Lambecius, (h) in haud pau„ cis veteribus picturis musivo opere Romæ elabo„ ratis, atque in Menologio Basilii: denique in parvis „ quibusdam Constantini nummis, qui post ejusdem „ Constantini mortem cusi sunt, quique ab Eusebio „ describuntur: (i) in quibus quidem nummis ex„ primitur Imperator veluti curru in cælum evectus, „ quem manus desuper protensa excipit.„ Atque his quidem exemplis recitatis, hæc statim subjicit idem præclarissimus scriptor. „ Commode porro, meritoque „ Deum significat manus. Invisibilis quippe Deus est: „ ideoque opera manus illius tantummodo conspiciun„ tur. Hinc crebro in sacra Scriptura operationes Dei „ vocantur *manus*; *manus fortis*, *robusta*, *excelsa*.

V. Simillima tradiderat ante Clarissimum Bonarotam egregius Ciampinus, (k) cujus verbis uti liceat. „ E nubibus egrediens manus apparet in „ ipsius arcus sublimitate, ut figura 6. quæ in aliis „ pariter Musivis operibus observatur. Quid au„ tem Fideles per manum hanc significare intende„ rint, nobis patefacit Isaias: (l) *Omnia hæc ma„ nus mea fecit, & facta sunt omnia, cujus summa „ potestas*. Jeremias verò (*) sic declarat: *Sicut lu„ tum in manu figuli, sic vos in manu mea, Domus Israel*; „ Quam auctoritatem B. Eucherius Episcopus Lug„ dunen. qui quinto floruit seculo, (*) expo„ nit: scilicet quod *per manum Domini, ipsius pote„ stas demonstretur*. Idem etiam confirmat S. Prosper „ Aquitanicus. (*)„ [9]

VI. Num aliæ symbolicæ Dei imagines expressæ a veteribus fuerint, an non, ego quidem asserere minime audeo; neque enim cuncta veterum volumina consului, ex quibus id certo assequar. Aliquas tamen priscis Christianis haud fortasse inusitatas indicare videtur Damascenus iis verbis, quæ cum paulo ante (m) allegarim, hic recolere Lector poterit.

CAP.

(h) lib. 3. Bibliothecæ Cæsareæ.

(i) de Vita Constant. li. 4. cap. 73. Baronius porro ad an. Christi 337. n. 18. pag. 302. tom. 4. edit. Luc. typum exhibet ejusdem nummi.

(k) li. 2. vete. monu. cap. 11. pag. 81.

(l) cap. 66. n. 2.

(*) cap. 18. n. 6.

(*) in lib. formularum spiritualium cap. 1.

[*] in expositione Psalmi 118. Verbo Jod.

(m) §. 1. *Videmus &c.*

(*) ad annum Christi 395. t. 5. n. 24. pag. 207. tom. 6. editio. Lucen.

(*) toto fere volumine illo, quod *secundum de veteribus monumentis* inscripsit. Vide, ut aliqua e multis indicem, Tab. 5. 11. 16. 21. 24. 29. 32. & 35.

(9) Exempla alia, si quis addere cupiat ex vetustissimis nummis, & picturis desumpta, Baronium adeat (*) & Ciampinum. (*)

CAP. XXVI.

De iis imaginibus, quæ Trinitatis Sanctissimæ divinas personas referunt.

Asserimus porro, probabilibus monumentis innotescere, quarto ipso Ecclesiæ sæculo, & deinceps etiam, in Catholicorum Basilicis palam expositam fuisse imaginem aliquam, quæ tres divinæ Trinitatis personas referret.

I. AUdio porro, vos, optimi adolescentes, a me de Dei imaginibus disserente, vehementer exposcere, quid de iis imaginibus sentiam, quæ ex recepto apud Catholicos, veterique instituto, mirabile divinæ Trinitatis mysterium utcunque referunt, cogitisque me candide exponere, num laudabiles eas, vetustasque judicem, an non. Sed quis suspicari merito possit, num laudabilis sit, an non, ea imago, quam palam Ecclesia approbat, publiceque templis, immo altaribus infert? Si qua ergo, hac in re, dubitatione angi possumus, ea circa harum imaginum vetustatem vertitur. Repetunt enim nonnulli harum imaginum antiquitatem ab 11. tantum, aut etiam a 12. Ecclesiæ sæculo, ante quod tempus nullas plane Trinitatis Sanctissimæ imagines apud Fideles extitisse ajunt; atque hos quidem valde decipi, invicte deinceps ostendam. At ut ordinate, quod soleo, in hac etiam disputatione progrediar, primùm quidem de iis imaginibus agam, in quibus tres Sanctissimæ Trinitatis imagines simul repræsententur; tum postea de iis agam, in quibus aut duæ tantum, aut etiam una Trinitatis persona seorsim ab aliis exhibeatur. Verum enim vero, ut a primis exordiar, dubitare haud quaquam licet, num aliqua divinæ Trinitatis imago jam pridem in Catholicorum Basilicis palam exposita fuerit, postquam noverimus, Paulinum Nolanum, doctum accuratumque Patrem, id palam

trade-

tradere? Perspicua sane sunt laudati Scriptoris verba, rem declarantibus his versiculis picturæ appositis (*).

(*) in epistola ad Severum, olim 12. nunc 32. n. 10.

Pleno coruscat Trinitas mysterio.
Stat Christus agno: vox Patris cælo tonat:
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.
Crucem Corona lucido cingit globo;
Cui coronæ sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in columbarum Choro.
Pia Trinitatis unitas Christo coit,
Habente & ipsa Trinitate insignia.
Deum revelat vox paterna, & Spiritus:
Sanctam fatentur Crux, & Agnus Victimam.

II. At minime asseveres, Patrem indicari tantum scripto aliquo, veluti verbis his in pariete positis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Scilicet mox idem Paulinus significare videtur humanâ formâ fuisse illum expressum: quippe testatur, jussu suo in Fundana basilica descriptum fuisse Patrem coronam Filio imponentem: quod sane sine formâ humanâ fieri non potuisse crediderim. Simili ergo specie in Nolana Basilica fuisse Patrem expressum, conjicere merito possumus. En ipsos, quos dixi, Paulini versiculos (*)

(*) n. 17. ejusdem Epistolæ.

Sanctorum labor, & merces sibi rite cohærent,
Ardua Crux, pretiumque Crucis sublime, corona.
Ipse Deus, nobis princeps Crucis, atque coronæ,
Inter floriferi cæleste nemus paradisi,
Sub Cruce sanguinea niveo stat Christus in Agno,
Agnus ut innocua injusto datus hostia leto.
Alite quem placida Sanctus perfundit hiantem
Spiritus, & RUTILA GENITOR DE NUBE CORONAT.

II. Novi equidem, putasse nonnullos, non integram hominis formam in ea pictura fuisse expressam, sed tantũ manũ, quæ Filium coronaret, id comprobantibus exẽplis variis, quæ ab eorum temporum monumentis, & nummis suppeditantur. (*) Sed profecto minime videntur exempla ista ad eam, de qua agimus, rem deduci debere. In exiguo enim nummorum orbe, eo præsertim, quo Constantinus, & subsequentes Imperatores vivebant tempore, quum deficere jam cœpissent bonæ artes, difficilè fuisset expressus homo alterius capiti imminens, & illum coronans. Contra Camerarum, & Apsidum amplitudo plurium hominum effigies facile excipit. At fac, manu tantum e cælo protensa, & sub-

(*) Recole tradita cap. 25. §. 4. & 5.

subjectum Christum coronante, Patrem fuisse expressum; id nobis satis est; si enim humanus vultus, ceteris latentibus membris, humanam formam satis exprimit, cur humana manus, ceteris latentibus membris, eam non exprimet? Colũbæ vero, cujus Paulinus meminit, effigie Spiritũ Sanctum significatum esse quis dubitet? Agnus porro Verbum divinum sub forma declarante humilitatem susceptæ humanitatis, & passionis, indicabat. En ergo tres Trinitatis personæ, licet variis speciebus, & formis expressæ.

IV. Quibus quidem positis conjicere merito possumus, in baptisteriis, Christi, qui a Joanne baptizaretur, ideoque etiam Sanctissimæ Trinitatis, imaginem pingi consuevisse. Et sane haud multum absimiles illi, quam Paulinus describit, eæ sunt picturæ, quas Ciampinus in sacra æde *S. Joannis in fonte* (a) Ravennæ erecta, & quæ etiam num conspiciuntur, positas esse ait: (*) eæ quoque, quibus pariter Ravennæ ædem *S. Mariæ in Cosmedin* anno 553. ornatam fuisse tradit: (*) ea denique, quam refert Aringhius (b). Quamquam porro in imaginibus iis, quæ a Ciampino ære descriptæ sunt, Pater Filio, & Spiritui Sancto insidens minime apparet, suspicor tamen, in musivis ipsis argumentum aliquod extare, quo Pater indicetur, sive manus *Filium coronans* id sit, sive aliud quodpiam, quod imagines has exscribentis diligentiam effugerit. Sed donec musiva ipsa conspiciam, quantum conjecturæ huic meæ tribuendum sit, Lector judicet. Nisi forte velis, Pictorem propterea nihil horum expressisse, ut Deum Patrem nulla visibili specie apparuisse indicaret. Sane si Cajetano placuit, (*) ut *Deus Pater tanquam supra nubem aliquam auream latens pingeretur, ut sic erudiretur plebs, quod Deus est Spiritus infigurabilis*; cur placuisse negabis vetustiori Christiano pictori Deum Patrem nube obtectum pingere, ut scilicet *invisibilis* exprimeretur?

(a) hanc idem Ciãpinus a Neone ejus. dẽ Civitatis Episcopo anno 451. musivo opere ornatam fuisse testatur [to. 1. vet. monu. cap. 23. pag. 233.]

[*] Ibidem tab. 70. pag. 235.

(*) to. 2. vete. monu. cap. 10. pag. 78.

(c) tom. 1. lib. 2. cap. 22. pag. 381.

(*) in commenta. in quæst. 25. de Salvato. ar. 3. §. *Non laudo*.

CAP.

CAP. XXVII.

De aliis Trinitatis imaginibus, quibus usi Fideles sunt.

I. EST & alia Trinitatis Sanctissimæ ænigmatica & symbolica effigies, seu potius umbra, & levissima quædam species. Triangulum scilicet æquilaterum, quod lumē immensum, & lucidissimi radii ab eo profecti undique circumeunt, & ornant. Triangulo porro tria latera prorsus æqualia habente Trinitatis Sanctissimæ personas tres prorsus æquales significari ajunt; Divinitatem vero lumine illo immenso (quod inhabitare novimus Deum) indicari: radiis autem ab eo provenientibus & undique protensis, expansisque denotari, bonorum omnium originem esse Deum, & quidquid boni habent Creaturæ, ab eo derivari. Additum etiam vidi, sive ad majorem claritatem, sive ad antiquorum imitationem (*a*) in planitie ipsa Trianguli nomen Dei, quod *Tetragrammaton* vocant: quodque aliqui *Adonai* legunt, *Jeovah* alii: de cujus quidem nominis aptiori enunciatione hic disputare nihil attinet. De eo porro hæc enunciat S. Thomas: (*) „ *Nomen est impositum ad significandam ipsam Dei substantiam incommunicabilem, & , ut sic liceat loqui, singularem*.

II. Et de hujusce imaginis descriptione hactenus. Si vero a me poscitis quid de ea judicem, paucis dicam. Vereor, ut desumptâ a primæva antiquitate præstantiâ polleat: neque enim prioribus sæculis descriptam illam vidi, tametsi diligenter perquisierim. Illaudabilis tamen (mea quidem sententia) non est; neque contemptui subdit ineffabile mysterium, sicut subdere videntur imagines quædam, quas redarguit Bellarminus, (*b*) cujus verba referre juvat. „ *Nec tolerandum est*, inquit, *quod pictores audent ex capite suo confingere imagines Trinitatis, ut cum pingunt unum hominem cum tribus faciebus; vel unum hominem cum duobus capitibus, & in medio eorum* colum-

(*a*) Videbimus deinceps sæpe addidisse veteres imaginibus verba, quibus veluti indicarentur ii, qui in imagine illa efformati erant.

(*) 1. p. quæst. 13. ar. 9. in corpo. & ar. 11. ad 1.

(*b*) Card. Bellarm. t. 1. Controv. li. 2. c. p. 8. pag. 702. apud *Societat. minim.*

,, *columbans. Hæc enim monstra quædam videntur, & magis offendunt deformitate sua, quàm juvent similitudine. Unde etiam ministri Hungarici in suo Opere contra Trinitatem lib.* 1. *cap.* 4. *collegerunt multas formas imaginum Trinitatis, & eas tamquam monstra quædam accuratè depicta ridenda proponunt: easque vocant Cerberos, Geryones, Janos trifontes, monstra & idola: quibus certè occasionem blasphemandi pictores nostri dederunt.* ,, Hinc merito Theologi, qui has imagines improbant, & condemnant, eas laudant, quas nos ante descripsimus, ideoque illam ipsam, quæ per Triangulum lumine ornatum, ea ratione, qua nuper illud descripsimus, Trinitatem Sanctissimam adumbrat. Approbat illam sane Doctissimus Joannes de Ayala (*c*) nec improbat Ciampinus, qui (*d*) antiquum esse hoc picturæ genus fateri non recusat. Ad hos Lectorem amando.

III. Novum, fateor, mihi fuit id, quod legenti notissimum *de Clavis Domini* Curtii librum occurrit: Græcos scilicet Sanctissimas Trinitatis personas tribus simillimis hominum effigiebus exprimere. Id vero se didicisse ait ex laudatissimo Angeli Rocchæ commentario *de vivifica Crucis ligno*: (*e*) illustrans enim, explicansque imagines, quibus ornatur ea vetustissima Christi Cruci affixi imago, quæ a Jovenale Hierosolymorum Episcopo ad S. Leonem I. missa creditur, docet, tres illas simillimas imagines, quæ in superiori Crucis parte positæ sunt, tres Sanctissimæ Trinitatis personas repræsentare. Iisdem porro utor verbis, quæ reperi in Curtii libro (*) ,,Quæ autem ei perierga addita sunt, ,, explicat fusè Angelus noster capite tertio ejusdem ,, libelli: nos quia properè ad alia properamus, quid ,, potissimùm hæ sibi personæ velint, in pauca conferemus. Infra lamelam istam, quæ ex auro ,, obryzo est. & hæc signa ✻ ĪS. X̄S. ostendit, tres ,, humanæ effigies Sanctissimam Trinitatem græco more ,, repræsentant, quod ipsum per literas Roxolanas sive ,, Ruthenicas: *Suveta Troisa*, id est, *Sancta Trinitas*, insinuatur. ,, Comparavi porro dicta Curtii cum monitis Clariss. Angeli Rocchæ, vidique ea quidem, quæ docet Curtius, ab eodem Rocca fuisse revera tradita. *In ipso autem Sacratissimo ligno* (inquit Rocca [*]) *ad ejus frontem sacrosanta Trinitas more*

(*c*) in eo opere, quod ad hunc modum inscripsit: *Pictor Christianus eruditus* lib. 2. cap. 2. n. 3. pag. 40.

(*d*) par. 2. veter. monu. pag. 168. ,, In summitate expressus est Spiritus Sanctus in ,, columbæ specie, ,, & capite diademate triangulari ,, redemito, quod ,, Sanctissimæ Trinitatis symbolum ,, est, differtque ,, ab aliis Sanctorum ,, sertis, quæ figuram præseferunt ,, circularem, de ,, quibus peculiariter egimus in ,, nostro opere Vet. ,, Monim. par. 1. ,, c. 14. Hujus ,, triangularis formæ aliud antiquius me vidisse ,, minimè recordor. ,, Porro imaginem hanc circa fine seculi VIII. aut sub initium IX. idem Ciampinus elaboratam putat. c. 29. pag. 165.

(*e*) in recenti editione sic inscribitur. *De particula ex pretioso, & vivifico ligno sacratissimæ Crucis Salvatoris Jesu Christi desumpta.*

(*) *de Clavis Domini* pag. 52.

(*) in libro nuper citato *de Sacratissima*

sime Crucis particula &c. pag. 253. tom. 1. postremæ Romanæ editionis anni 1719. sed quæ allegamus, verba extant pag. 258.

Græco per tres imagines humanas repræsentatur. Notis item compendiariis Ruthenicis aut Servianis, hisce videlicet vocibus, *Suveta Troiza*, idest SANCTA TRINITAS.

IV. Porro ea, quæ de Trianguli specie Sanctissimam Trinitatem repræsentante dixi, deduci facile possunt ad eam speciem, quæ tribus simillimis hominibus eandem Trinitatem Sanctissimam repræsentat. Quod si vere a Juvenale ad Leonem I. missa est ea Christi Cruci affixi effigies, in cujus superiore parte iidem homines simillimi exprimuntur, & ii revera Trinitatem Sanctissimam repræsentant, non levis ad eam commendandam ab antiquitate desumitur laus.

CAP. XXVIII.

De iis imaginibus, in quibus aut duæ tantum, aut etiam una Trinitatis persona seorsim ab aliis exhibetur.

I. AT quoniam Sanctissimæ Trinitatis personis interdum placuit, non conjunctè apparere, sed vel duæ tantum apparuere, vel una etiam interdum apparuit aliis non apparentibus, ita Christianis pictoribus libuit non omnes simul ubique exprimere, sed interdum duas, interdum unam seorsim ab aliis. Non hic recolo, quæ nuper indicavimus de Spiritu Sancto, Filio, dum baptizaretur, insidente, & sine Patre expresso a pictoribus; nam respondeti facile posset aut errorem in typos irrepsisse, aut si in libris expressæ eæ imagines sunt, uti in earum exemplaribus extant, imminutas esse, deficientesque; (revera enim historia illa, ut rectè referatur, exposcit Patrem e cælo voce hac tonantem: (*) *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*:) aut certe ex parte ænigmaticas, & symbolicas. Pater enim, ut invisibilis repræsente-

(*) Matth. 3. 17.

sentetur; nube veluti contectus exhibetur. (*) Tamen, cum (ut alibi perspicuis exemplis probaturus sum) pingi consueverint a Fidelibus non modo veteris, verum etiam novi testamenti historiæ, quis neget a Fidelibus expressam fuisse coloribus illam novi testamenti partem, qua edocemur, Apostolis cum Maria Virgine in cænaculo congregatis linguarum ignearum specie apparuisse Spiritum Sanctum, & super singulos eorum sedisse? (*) Itaque Spiritum Sanctum seorsim a personis reliquis, a veteribus Christianis fuisse expressum, simillimum veri est, quatenus ab iis expressa fuit historia, in qua Spiritus Sanctus seorsim ab aliis personis apparuit.

II. Quod si de iis loquaris picturis, in quibus seorsim etiam ab historia, & veluti sejunctæ Sanctissimæ Trinitatis personæ exprimantur: ajo, multo fortasse ab hinc tempore (nisi probabilis conjectura nos fallit) consuevisse exprimi cælestem Patrem symbolica quidem, sed certe laudabili effigie, veluti est illa usitatissima venerabilis Senis, cujus caput diadema trianguli specie formatum ornet, Angeli vero veluti ad illius jussa promptissimi, illum circumstent, adorentque; dextera porro regale sceptrum teneat.

III. Duo propositio mea continet; multo fortasse ab hinc tempore (nisi probabilis conjectura nos fallit) admissam esse eam, quam dixi, consuetudinem, qua scilicet cælestis Pater venerabilis senis specie pingatur &c. Alterum, consuetudinem eam laudabilem esse. Ac primum citra dubitationem positum erit, si id admittas, quod egregius Ciampinus aliquando docuit: nempe, *supra arcum* (intellige *Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Ravennæ anno 545. ædificatæ*; (a)) *supra arcum* (inquam) *spectari æternum Patrem, qui dexteram in actu benedictionem impartiendi tenet, sinistra veluti librum gestat.* (*) Sed, ut candide, quæ sentio, eloquar, Cælestem Patrem ea imagine exprimi, minime puto, non modo quia, ut mox dicemus, Cælestem Patrem nullo unquam tempore ante ætatem suam fuisse a Fidelibus pictum, S. Gregorius II. testatur, verum etiam quia, si ex prototypo diligenter expressa est ea effigies, Christum Jesum illa indicat, non Patrem. Nec propterea, quod in eadem absidè repetita videatur ejusdem Salvatoris effigies, vetamur ad eundem Christum Dominum eam, de qua loqui-

(*) *tanquam supra nubem aliquam auream latens pingendus esset Deus* (Pater) *ut vel sic erudiretur plebs, quod Deus est Spiritus infigurabilis.* Cajetan. in quæst. 25. S. Thomæ *de Salvat.* art. 3. § *non laudo tam.* Sane nubes apparet in ea baptismatis Christi imagine, quam allegavimus ex Arighio.

(*) Act. Aposto. 2. 2. &c.

(a) part. 2. vet monu. cap. 8. pag. 63.

(*) pag. 64. indicat porro superiorem partem tabulæ 27.

loqui-

loquimur, imaginem referre. Si enim sæpe conspicimus, in eodem etiam arcu eundem Christum bis expressum, veluti in inferiori arcus parte sub agni, aut Crucis specie, in superiori vero humanâ formâ delineatum: (b) quis prohibet, quominus bis humanâ ipsâ formâ in eodem loco pingatur: varietatem picturæ non levem tribuente diverso Angelorum obsequio, quod in ea exprimitur? etenim in inferiori parte pinguntur Angeli veluti arundinem, aut baculum habentes, & quasi jussa executuri; in superiori vero parte corneis turbis personantes: adeo ut duas fortasse Apocalypsis historias referant: nempe illam, quæ exprimitur cap. 19. v. 1. (c) illam pariter, quæ describitur in eadem Apocal. cap. 21. v. 15. & sequen. (d) neque enim inusitatum fuit veteribus Christianis, ut in eodem fere loco humanam Christi naturam duplici formâ, & si loqui ita possumus, duplici aptitudine exprimerent. Sic in arcu S. Nerei, & Achillei primùm quidem exprimitur idem Christus in medio stans: tum in sinistra arcus parte in sinu Virginis Deiparæ. (e) Immo in superiori arcus parte interdum illius jam ætate provecti, in inferiori vero illius adhuc pueri in Virginis Deiparæ sinu detenti imago conspicitur. (*) Quid quod in cunctis fere iis Crucibus, quas *historiatas* vulgus appellat, exprimitur non semel aut bis, sed pluries Christus diversa veluti efficiens, veluti hic passus, illic ex inferis Prophetarum animas excitans &c.? Porro plures ex iis Crucibus vetustissimæ sunt. Idem dic de veteribus Christianorum Sarcophagis. (*)

III. Non ergo, ut ad antiquissimam illam imaginem, qua Ciampinus cælestem Patrem exhiberi arbitratur, redeam, in illa innitor. Sed quoniam conjecturis hoc in argumento adhærere quoque possumus, Cælestem Patrem exprimi suspicor in musivo, quod *in eo sacello, seu loco, ubi B. V. Maria stabat cum Joanne, quando Salvator Cruci affixus est*, Hierosolymis extare ait idem Ciampinus: (f) venerabilem enim senem refert imago illa: diadema quoque trianguli speciem habens illius caput ornat: quæ quidem notæ Patrem Cælestem demonstrare videntur, minime vero Dominum Jesum in cælos (ut putat idem Ciampinus) ascendentem. Angeli vero, qui ipsum circumstant, obsequium illud, quale eos nuper erga Deum Patrem præferre diximus, apertissime denotant. Duo enim supe-

(b) Vide tab. 16. pag. 60. Item tab. 24. pag. 81. Rursus tab. 37. pag. 112. Juvabit etiam consulere tab. 23. pag. 78. ejusdẽ libri; exprimitur enim Christus Dominus & sub typu Crucis, & humana ipsa forma: quod alibi haud raro fit.

(c) *post hæc audivi quasi vocem aquarum multarum in cælo dicentium alleluja: salus & gloria &c.*

(d) *Et* (Angelus) *qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam. &c.*

(e) Ibidem tab. 38. pag. 125.

(*) Ibidem tab. 49. pag. 151. & rursus tab. 54. pag. 166.

(*) Apud Bosium, & Aringium.

(f) *de ædificiis Constantini* cap. 58. pag. 182.

superiores adorantium formâ exprimuntur; inferiores vero arundines manu gestantes se ad opera paratos exhibent. Apostoli porro, qui in inferiori musivi parte adorantes, & manibus baculos gestantes delineantur, id ipsum, quod præstant Angeli, præstare videntur; adeo ut indicari ea imagine videatur parile obsequium in cælis ab Angelo Deo Patri deferri, ac deferatur in terris ab Apostolis, aliisque Dei ministris, & Christi adjutoribus. Suspicionem meam prævenit Ciampinus, (g) tam etsi illi minime fidat. Quamquam quod ait: ,, Triangularis forma unicuique ex Personis Sacratissimæ Triadis convenit, ,, cùm eædem sint in Essentia, nam earundem una ,, est Divinitas, æqualis gloria, coæterna Majestas; ,, (me quidem judice) infirmum est: nullo enim (nisi fallor) exemplo ostendi potest, consuevisse Ecclesiam hujus modi diadema imagini Jesu Christi (ideoque humanam illius naturam figuranti) apponere: & revera humana Christi natura, licet in Verbi personalitate subsistat, tamen divina persona non est, quæ propterea eo diadematis genere denotetur. At quonam Ecclesiæ sæculo ea imago facta sit, immo num certo Patrem cælestem exprimat, asserere non audeo.

IV. Sed (ut id etiã omittã quod alibi Ciampinus suspicatur (*)) cum XIII. fortasse sæculo integræ Trinitatis imagines Patrem venerabilis senis specie exhiberent, conjicere possumus, eundem cælestem Patrẽ seorsim etiam a personis reliquis fuisse ea symbolica specie repræsentatum. Cur enim Spiritum Sanctum seorsim a duabus personis repræsentatum fuisse fatebimur, id vero in cælestis Patris imagine minime factum dicemus?

V. At, inquies, Spiritus Sanctus jam dudum seorsim a duabus personis repræsentari consuevit, quia visibili quadam specie apparuit; qua quidem is potest comode repræsentari. Pater porro nulla prorsus specie apparuit, qua repræsentetur. Aut itaque nullo prorsus modo repræsentari is poterit, aut si repræsentare eum vis, simul cum aliis personis eum repræsentes necesse est: tum enim ex ea conjunctione, & si loqui ita liceat, imaginum societate dignoscetur ea imago, aptaque censebitur ad cælestem Patrem repræsentandum.

VI. Quid si respondeam, eam, quàm dixi, venerabilis senis effigiem, historicam putari a viris doctissimis? Id tamen haud temere respondebo. Sane

(g) ,, Primo igitur ,, se offert loco . . . ,, Christus D. N. in ,, cœlum ascendens, ,, qui potiùs Patrẽ ,, Æternum, formâ ,, quâ depingi so- ,, let, quàm ipsum ,, Christum repræ- ,, sentat..... Secun- ,, dum oritur du- ,, bium ex triangu- ,, lari diademate ,, (ut vulgò appel- ,, latur) retro Chri- ,, sti caput expresso, ,, quòd solùm Pa- ,, tri Æterno appin- ,, gi solet. Cui du- ,, bio responderi ,, posse judico, hoc ,, ad Pictoris placi- ,, tum fuisse expres- ,, sum. Nam trian- ,, gularis forma uni- ,, cuique ex Perso- ,, nis Sanctissimæ ,, Triadis convenit, ,, cũ eædem sint in ,, Essentia: nam ea- ,, rundem una est ,, Divinitas, æqua- ,, lis gloria, coæ- ,, terna Majestas.,, Hæc Ciampinus *de ædificiis Constantini* cap. 58. pag. 182. & subsequente.

(*) to. 2. vet. monu. tab. x. pag. 44. n. 2. 5. *in crucis summitate Æternus Pater &c.*

ne inter præclaros Theologos recenseri Cajetanus merito poterit. Is tamen historicam visus est putasse eam, de qua agimus, cælestis Patris imaginem: putat scilicet, cælestem Patrem venerabilis senis specie Prophetæ Daniel apparuisse. (10) Alii quoque Theologi historicam eam putant, quatenus adumbrat eam visionem, quam Isaiæ 6. 1. & sequentibus descriptam habemus.

VII. Sed fac symbolicam esse, non historicam. Haud recentes in Ecclesia symbolicas imagines fatentur omnes, & ne a Trinitate recedam, docet nuper laudatus Cajetanus haud inusitatam fuisse apud Fideles imaginem eam (symbolicam sane) quæ Spiritum Sanctum sub senis specie Orbem pugillo concludentis repræsentabat. (11) Qua quidem imagine tam etsi Cajetanus putarit expressum fuisse Spiritum Sanctum, fortasse exprimebatur Pater, (*) aut si ea symbolica specie revera Spiritum Sanctum seorsim a reliquis personis Fideles exprimere voluere, facile conjicere possumus, Patrem etiam seorsim a personis reliquis exprimi ab iis consuevisse. Cur enim (ut rursus argumentari licet) licuisse Fidelibus dices, Spiritum Sanctum exprimere, minime vero licuisse, cælestem Patrem formâ aliquâ repræsentare? Et hæc quidem de antiquitate moris illius, quo cælestis Patris imaginem seorsim a reliquis duabus Personis efformamus, satis sint dicta.

VIII. De Filii persona nihil est, quod hic agam: quippe quatenus Verbum Patris est, nulla prorsus, tametsi symbolica aut ænigmatica specie eum expressum novi; humanam porro naturam ab isto assumptam multis quidem modis exprimere consuevit Ecclesia. Sed de his imaginibus deinceps disseram.

IX.

(*) Habeo apud me B.V.M. officium sæculo fortasse XIV. elaboratum, & picturis ornatû, quod dono accepi a Josepho Marchione, & Senatore Spada, generis nobilitate, & eruditione laudatissimo. In eo sane officio haud semel occurrit cælestem Patrem repræsentans venerabilis senis Mundum manu complectentis effigies.

(10) *Non videntur cassanda Trinitatis imagines in forma senis, crucifixum sustinentis columba intermedia; partes enim imaginis hujus ex sacra sunt scriptura. Et de Filii, & Spiritus Sancti imaginibus constat. De Patris autem ex Daniele habetur cap. 7.* (*) *cum dicitur de Filio, quod pervenit ad antiquum dierum, hoc est, Deum Patrem.* Hæc Cajetanus. (*)

(11) *Et hoc modo alicubi Spiritus Sanctus in forma senis Orbem pugillo concludentis & cetera figuratur.* (*)

(*) v. 3.

(*) in Comentar. ad quæst. 25. D. Thom. *de Salvato.* art. 3. §. *tertius autem.*

(*) Ibidem §. *Tertio ut*

IX. Quid est vero, quod dubites, num sæpe expressus sit Spiritus Sanctus; cum sit facillimum, crebra monumenta producere, quibus constet, sub columbæ specie eum fuisse expressum? Nonne Spiritum Sanctum referebant columbæ super baptismata appensæ; aut etiam super Altaria, ut in eis custodiretur Eucharistia? Id porro apertissime intelligimus ex actione v. Synodi illius Constantinopolitanæ, quæ anno 536. celebrata est. Scilicet in ea describuntur querelæ, & expostulationes Cleri adversus Severum, (*) *qui columbas aureas, & argenteas in formam Spiritus Sancti super divina lavacra, & altaria appensas una cum aliis sibi appropriavit, dicens non oportere in specie Columbæ Spiritum Sanctum nominare (b)*. Hoc ipsum testimonium allegatum est actione V. Nicænæ. II. Synodi: (i) & eo recitato hæc subdidit Tarasius Patriarcha: *Si in nomine sancti Spiritus superpositas columbas receperunt Patres, quanto magis incarnati Verbi iconas, quod apparuit super terram cum corpore?*

XI. Expressit itaque (nec, ut arbitror, fallimur) Spiritum Sanctum columba ea, in qua referente sive Amphilochio, sive alio, quisquis is est, scriptore vitæ D. Basilii, (k) servabatur Eucharistia. Expressere Spiritum Sanctum columbæ, quarum meminit Anastasius. (l) Expressere Spiritum Sanctum eæ columbæ, quarum meminere Gregorius Turonicus, (m) & Perpetuus. (*) Expressere denique eæ, quarum fit mentio capite 8. libri primi antiquarum consuetudinum Cluniacensis Cœnobii ab Udalrico descriptarum his verbis. *Ipsæ autem hostiæ cum fuerint consecratæ, mutantur quatuor cum illis, quæ in pyxide, & in aurea columba super altare pendente jugiter servantur, maxime propter infirmos, ut quidquid de eis eveniat, Viaticum sit in promptu*. Quibus affine id est, quod occurrit capite 30. libri secundi. *Prædictam autem pyxidem . . . . Diaconus de columba jugiter pendente super Altare . . . . abstrahit*. Adde, si vis, alia ad morem hunc comprobandum monumenta, quæ habes capite 64. libri III. Costantinopolis Christianæ, & apud Martene (*).

XII. Propterea vero super baptismales fontes collocabantur, tum ut indicaretur apparuisse, dum Christus baptizabatur, in columbæ specie Spiritum Sanctum, nobilissimumque reddidisse simul cum Patre de Christi

(*) to. v. col. 1130

(b) vertunt alii aptius fortasse) *exprimere*.

(i) Tom. VII. col. 1022.

(k) capite nono.

(l) in vita Silvestri n. 38. Innocentii n. 57. denique Hilari, seu Hilarii n. 70.

(m) *de Miraculis, seu de gloria Martyrum* lib. 1. cap. 72. & alibi etiam.

(*) in testamento pag. 1319. editio. Grego. Turo. Ruinart.

(*) *de antiquis Eccles. ritib.* li. 1. ca. 5. ar. 3. n. 6. pag. 700., & 701. to. 1. edition. antuerpien. Ex his porro duobus auctoribus plera que eorum, quæ allegavimus, descripta sunt.

sti divinitate testimonium: tum etiam, ut meminissemus, baptizandos esse nos *in igne, & Spiritu Sancto*, cui proinde uberrimam gratiam, *sordium depositionem*, & si quid aliud in baptismo recipitur, deberemus. Id fortasse innuit Paulinus (*n*) ad Severum mittens versiculos, quos baptisterio apponi posse ait, si illos Severus approbet.

Hic reparandarum generator fons animarum
Vivum Divino lumine flumen agit.
Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus amnem,
Cælestique sacras fonte maritat aquas.
Concipit unda Deum, sanctamque liquoribus almis
Edit ab æterno semine progeniem. &c.

IX. In columbis verò Spiritum Sanctum significantibus servatam arbitror Eucharistiam tum alias quidem ob causas, tum præsertim ut noscemus, ad Spiritum Sanctum (nam huic ut pote ab amore procedenti peculiariter tribuitur amor divinarum personarum) referendam esse institutionem Eucharistiæ, quippe Christus *cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*, Eucharistiam instituens: gratia quoque copiosissima, & donis Spiritus Sancti ornans eos, qui devote, pieque ad Eucharistiam accedunt.

At alibi etiam sub columbæ specie Spiritus Sanctus expressus est. In Capuanæ Ecclesiæ abside, musivo opere fuisse expressum Spiritum Sanctum Virgini Mariæ veluti insidentem, suisque donis eam locupletantem, Ciampinus apertissime tradit: (*o*) (putat autem idem Ciampinus *circa finem sæculi octavi, vel principium sæculi noni fuisse elaboratum* musivum illud.) (*p*) Aliæ porro extant vetustissimæ imagines, quibus exprimitur, dum Virginem Angelus Gabriel allocutus est, Virgini insidens Spiritus Sanctus. (*q*) Nonnullæ demum habentur, quibus Spiritus Sanctus citra illa, quæ diximus mysteria, exprimitur. Sed cuncta recensere non est opus. Instituto porro nostro ea, quæ enumeravimus, exempla satis erunt.

X. Jam vero facile erues, laudabiles esse eas, quæ descripsimus, Sanctissimæ Trinitatis, ideoque divinarum personarum, sive conjunctim, sive seorsim ea repræsententur, imagines. An aliter de iis imaginibus judicabis, quas satis vindicat (ut Cajetani verbis utar)

(*n*) n. 5. crebro laudatæ epistolæ 22. *ad Severum*.

(*o*) tom. 2. vete. monum. tabu. 54. pag. 166.

(*p*) pag. 165.

[*q*] Ciampinus sane de musivo in vetustissimo arcu S. Mariæ Majoris Sixti Tertii jussu elaborati loquens t. 1. vemonum. pag. 200. hæc ait: *Detectus enim fuit Spiritus Sanctus, & Gabriel Angelus Beatissimam Mariam annuncians*. Viden. 5. tab. 49. Egregius quoque Blanchinus (t. 3. Anastas. pag 125. in calce paginæ) *Xystus* (inquit) *curavit, in suo musivo exhiberi Angelū salutantem, Virginem respondentem, & Spiritum Sanctum supervenientem, ac divinitus obumbrantem*. Tab. 1. lit. B.

ntar) (r) *Ecclesiæ usus* (s) *admittens Trinitatis imagines repræsentantes non solum Filium incarnatum, sed Patrem, ac Spiritum Sanctum?* *Vestitur porro hic* mos (liceat rursus præclarissimi Cajetani verba in rem meam transferre) (t) *quibusdam circumstantiis, puta auctoritate Ecclesiasticæ consuetudinis, securitate ab errorum occasione, pietateque colentium: quibus actus* (u) *iste redditur honestus.*

(r) in commentariis sæpe allegatis §. *in oppositum autem.*
(s) hunc usum vocat *ille antiquum* §. *cavere ergo: (sed antiquus Ecclesiæ usus servatur)*. Frequentem vero §. *secundo ut species: (Et hoc frequenti usu Ecclesia passim efficit.)* Generatim vero in §. *his præmissis: Ecclesiasticæ consuetudinis auctoritate* Trinitatis, quas diximus, imagines innixas esse testatur. In §. vero *cavere ergo* easdem imagines auctoritatē habere ait *ex sacra Scriptura, & Ecclesiæ usu manifesto.*
(t) §. *his præmissis.*
(u) idest mos, ut nuper explicavimus.

C A P. XXIX.

Dissolvuntur oppositiones, quæ adversus superioribus duobus capitibus tradita, fiunt.

I. AD absolvendam eam, quam superioribus capitibus de Sanctissimæ Trinitatis imaginibus habuimus tractationem, reliquum est, ut ea dissolvamus, quæ adversus easdem objiciunt. Et quoniam primò de earum antiquitate disseruimus, eam primò impetunt. Displicuisse itaque Veteribus Patribus, & Theologis ajunt eas imagines, quæ Deum, ideoque aut Trinitatem, aut Personam aliquam Trinitatis Sanctissimæ repræsentarent. Non ergo vetustæ eæ sunt. Quis enim vetustas dicet eas imagines, quas veteres Patres, & Theologi reprehenderunt? Hic vero statim ea Patrum testimonia afferunt, quæ capite XXIII. adduxi, quibus adjungunt quædam Patrum monita, quædam etiam Conciliorum decreta, quæ expresse vetant Patrem pingi: quia scilicet nullo tempore is se conspicuum præbuit. Sed paucos, probatissimos tamen, pro multis producamus. Profecto Gregorius II. in priore ad Leonem Isaurum Epistola, hæc eloquitur. [*] „ Cur tandem Patrem Domini Jesu Christi non oculis subjicimus, ac pingimus? quoniam quis sit, non novimus, Deique natura spectanda proponi non potest, aut pingi. Quod si eum intuiti essemus, ac novissemus, pro ut Filium ejus, illum quoque spectandum proponere potuissemus, ac pingere, ut & illius imaginem idolum appellares. „ Sed minus antiqui Gregorio II. sunt D. Thomas, Henricus Gandavensis, Durandus, Tostatus, Peresius denique, qui sæ-

[*] to. VIII. Concol. 651. sed testimonium, quod allegatur, exiat in col. 658.

fæculo XVI. vixit: his tamen omnibus, præclarissimis sane viris, Trinitatis imagines prorsus displicuerunt. (a) Ad hæc: nulla omnino aut Concilia, aut Ecclesiæ decreta imaginum Trinitatis meminerunt. Igitur omnino non extitit in Ecclesia mos iste, quo Trinitatis imagines efformamus. Et ea sane imago, quam postremo loco retulimus, quæ scilicet Trinitatem sanctissimam descriptâ Trianguli, aut trium simillimorum hominum specie exhibet, admodum recens est.

II. At levia, me quidem judice, ista sunt. Quis, nisi plane desipiat, non perspicit, prave deduci ad improbandas illas, quas tuemur, Sanctissimæ Trinitatis imagines, eas, quæ ipsam Dei essentiam exprimere student? Nonne Symbolicas esse fatemur, aut assumptæ speciei Patris, & Spiritus Sancti imagines? Multo autem plus, & temere plane, atque impudenter audent ii, qui non per symbola, aut umbras quasdam, sed per lineamenta, & imaginem veram tabula expressam Deum nobis exhibere pertentant.

III. Ea porro, quæ ad persuasionem nostram tuendam attulimus monumenta, vetusta sunt sane, & Trinitatem Sanctissimam procul dubio exhibent. Errant porro, qui putant, eas, de quibus agimus, imagines a Gregorio II. reprehendi. Sanctissimi Pontificis epistola [si illam diligenter expendas] nos certos facit, eo, quo ille vivebat sæculo, minime consuevisse Fideles Patrem exprimere sub forma aliqua, qua in novo saltem testamento (quo sane tempore se conspicuos reddidere Filius, & Spiritus Sanctus) apparuerit. Sed neque nos Deum Patrem cum pingimus, speciem ullam, qua ille (novi saltem testamenti tempore) apparuerit, repræsentare volumus, sed vel ænigmatica tantum specie, vel si vis, sub ea, qua aliquando Prophetis apparuit, eum exhibemus; qua de re satis egimus. Et hac sane specie (quod olim fortasse non fiebat) repræsentatum fuisse Patrem, antiqua, tametsi Gregorio II. magna ex parte recentiora, monumenta testantur.

IV. At ad se advocant objecti posteriorum temporum Theologi, e quibus præclarissimos sane, huic, de qua agimus, consuetudini obstitisse ajunt; D. scilicet Thomam, & reliquos, quos antea enumeravimus. Atqui D. Thomas procul dubio Trinitatis Sanctissimæ imagines minime improbat, cum de iis nulla prorsus ratio-

(a) Citatur D. Thomas 3. parte, quæst. 25. ar. 3. ad 1. Henricus apud Natalem Alex. hist. Eccl. Durand. in 3. sent. dist. 19. quæst. 2. Tostatus in caput 4. Deuter. quæst. 5. Peresius denique *de traditio:* part. 2. conside. 7. *de antiquitate imaginum:* pag. 170. editionis Venetæ *ad Signum spei*.

ratione loquatur, sed de ea imagine, qua expressa Dei essentia, aut essentialis proprietas significari cuperetur; hanc enim ab Hebræis fieri non potuisse ait, cum Deus spiritualis sit, allegatque in rem suam Damascenum: *Ipsi autem vero Deo* (inquit S. Thomas) *cum sit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni, quia ut Damascenus dicit (b) insipientiæ summæ est, & impietatis, figurare quod est divinum.*

(b) li. 4. cap. 15.

V. Diu porro perquisivi verba, quibus Trinitatis imagines improbatas fuisse ab Henrico ajunt: sed spe frustratus sum: incidique in exemplaria, in quæ typorum error in allegando Henrici loco, irrepserat. Fortasse tamen ad illustrandum eum, quicunque sit, Henrici locum illa proderunt, quæ ingeniosissimus hic & eruditus Doctor in *Summa* tradit. (c)

(c) Vide quæ docet ar. 73. quæst. 2. ad 2. ubi præsertim hæc verba sunt advertenda. *Ad imagines contingit deduci dupliciter. Uno modo sentiendo esse in divinis quod percipitur esse in imaginibus. Sic deduci ad imagines ..... est causa erroris, & seductionis. Alio modo sentiendo per similitudinem, & vicinitatem esse eminenter tale quid in divinis, quale percipitur esse in creaturis, sive in imaginibus. Sic deduci ad imagines.... nequaquam est causa seductionis, & erroris, sed potius directionis in cognitione veritatis circa divina.*

VI. De Durando dicant alii, quod libet: arbitror sane ab eo SS. Trinitatis imagines illas, de quibus agimus, minime reprobatas fuisse; sed tantum reprobatas eas, quæ ideo fiebant, ut Deitatem ipsam aut assumptas a Patre, & Spiritu Sancto species repræsentarent. Censet porro Durandus illaudabile, hujus modi Trinitatis imagines adorare, atque adeo ipsas facere; quia eæ imagines Deitatem non repræsentant; nec fuerunt eæ species revera a personis assumptæ, neque formatæ ad repræsentandas divinas personas, sed ad repræsentandos effectus, quos divinæ personæ faciebant in rebus; *nec imago est facta ad repræsentandum Patrem, vel Spiritum Sanctum, quo ad deitatem, sicut pinguntur quædam imagines, quarum una repræsentat Deum Patrem, & alia Filium crucifixum, & tertia Spiritum Sanctum, quasi columbam procedentem a Patre in Christum: = illæ formæ corporales non fuerunt a Patre, vel a Spiritu Sancto assumptæ, & ideo repræsentatio earum per imagines non est repræsentatio personæ divinæ, sed repræsentatio illius formæ secundum se: propter quod non debetur ei aliqua reverentia, sicut nec illis formis secundum se. = Illæ formæ, in quibus dicuntur divinæ personæ apparuisse, non fuerunt formatæ ad repræsentandum divinas personas, sed ad repræsentandum effectus, quos personæ divinæ faciebant in rebus; sicut columba, in qua Spiritus Sanctus apparuit super Christum baptizatum significabat spiritualem fæcunditatem, quam Christus tactu suæ carnis contulit aquis baptismi*

tismi; & ideo nihil factum per modum imaginis ad repræsentandum divinas personas non incarnatas est adorandum. (*d*) Licet autem illationem non admodum probabilem videatur Durandus eruere: (& sane Theologi in hac illatione a Durandi sententia abesse plurimum solent: putant enim plerique in effectu agnosci, honorarique posse causam, & ideo in columba, quæ apparuit supra Christum, dum baptizaretur, adeoque in ejus imagine adorari posse Spiritum Sanctum) tamen quod ad descriptam a Durando ipso Trinitatis imaginem attinet, eam omnino is non reprobat, immo ex eo constat illâ, qua Durandus vivebat, ætate easdem imagines fieri consuevisse: *sicut pinguntur quædam imagines, quarum una repræsentat Deum patrem &c.*

(*d*) Ibidem n. 15. §. *ad quartum dicendum.*

VII. Difficilius est ab objecta Tostati auctoritate se exsolvere. Tostatus quippe visus est cupere, ut Trinitatis imagines prorsus submoverentur. Tamen, si advertatur ad verba Tostati, perspicue agnosces, eum tantummodo reprehendere eas Trinitatis imagines, quibus essentiales Dei proprietates quis vellet exprimere: has autem merito is reprobat, ut pote facile homines in errorem inducentes. Fac itaque Trinitatis imagines, essentiales Dei proprietates minime exprimere, sed tantum ænigmatice, & symbolice ineffabile mysterium adumbrare: fac pariter, erroris abesse occasionem; fac denique, eas observari conditiones, quas poposcit Cajetanus, & nos nuper recensuimus; (*e*) omnino (vel judice Tostato ipso) illaudabiles non erunt Trinitatis imagines. Volo autem ipsa Tostati verba referre, non modo, ut mens summi hujus Doctoris constet, verum etiam ut ex iis perspicue innotescat Ecclesiam ipso Tostati tempore easdem imagines veluti excepisse, ideoque approbasse. *Quædam tamen sunt*, (imagines) *quæ nec in statua, nec in figura congrue assignari possunt, sicut Trinitas beata, quæ nullis corporeis lineamentis circumscripta est: ideo imagines tres figurantes tres personas, licet Ecclesia receperit, vel dissimulaverit, non recte videntur signare: magis enim erroris inductivæ sunt, & cum rem perfecte signare non possint propter difformitatem signi, & signati, magis oberrare faciunt. . . . Trinitatem* (*) *duo inconvenientia sequi possunt, primum idolatria, ne etiam imago colatur. Secundum error, & hæresis, scilicet attribuere Deo illam*

(*e*) *auctoritatem Ecclesiasticæ consuetudinis, securitatem ab errorum occasione, pietatem colentium.*

(*) idest Trinitatis imaginem.

lam corporeitatem, & essentialem differentiam, qualem tres illas figuras habere conspicimus &c.

VIII. Superest Peresius de Ayala, cujus quidem verba hæc sunt. *Quod vero in nonnullis templis Dei Patris, aut Spiritus Sancti . . . . imagines depingantur . . certe quantum ad duas saltem personas attinet, & maxime Patrem, non admodum probo picturas, sicut nec Damascenus probat: dicit enim quod impietas est figurare, quod divinum est; quia præter hoc, quod res simplicissima, & spiritualis imagine exprimi non potest: proxima occasio est inducendi errorem in mentibus simplicium, quo putent, Deum Patrem corporeum esse, aut propter canitiei habitudinem, vetustate caducum.*

IX. Quibus quidem positis, quis non videt, eam, quam Tostato adhibuimus responsionem, Peresio etiam adhiberi commode posse? (*) Hic eam non repeto, quoniam nuper allata est. Ceterum privatis hisce Theologorum testimoniis Ecclesiæ cōsuetudo præferenda est, antecessore præsertim Cajetano, qui dum Trinitatis Sanctissimæ imagines vindicat, nonnullos Theologos suæ opinioni huic, imo Ecclesiasticæ consuetudini adversari fatetur (*) *Unde non desunt Doctores reprehendentes imagines Sanctę Trinitatis.*

(*) §. 7. proxime superiori.

(*) Ibidem §. *in responsione ad primum.*

X. Neque vero necesse erat, ut peculiarem de iis mentionem facerent Concilia, aut Patres, quoniam aut nulla, aut levissima de iis instituta contentio fuerat. Præterquam quod neque Concilia, neque Patres omiserunt columbas eas, quæ in Ecclesiis servabantur, exprimebantque Spiritum Sanctum. Reliqua prosequor.

XI. Antiquissimam esse symbolicam illam Trinitatis imaginem, quæ trium simillimorum hominum specie tres divinas personas exhibet, is fatebitur qui Rocchæ, & Curtii narrationem excipiet. At Græcorum consuetudines hoc in argumento tueri abs re nostra est. Ei porro consuetudini, quæ Trinitatem Sanctissimam sub descripti Trianguli specie exhibet, desumpta a vetustate laus fortasse deest. (*) At non ea deest, quæ desumitur a circumstantiis, quas nuper ex Cajetano enumeravimus. Porro si licuit Damasceno docere, Trinitatem obscurioribus etiam & remotioribus speciebus adumbrari, (*) cur pictori Christiano non licebit ænigmaticâ quidem, & symbolicâ, non deficiente tamen in omnibus specie, atque imagine Trinitatem indicare? Sed de honestate, ac laude in hac consuetudine inhærente satis antea diximus.

(*) Opto tamen, ut hic recolat Lector, quæ cap. 27. §. 2. dixi.

(*) n. 11. Oratio. I. *de imagini.* Vide cap. 25. §. 1.

XII.

XII. Eandem tamen laudem sic eripere student adversarii. Quæ porro formari a nobis poterit Trinitatis species, quæ absurda omnino non sit? Ut omittamus eas, quas Bellarminus, & reliqui Theologi reprehendunt, eæ ipsæ, quæ nuper laudatæ sunt, illaudabiles, & plurimis incomodis obnoxiæ sunt. Deducere enimvero facile in errorē intuentes eæ possunt: quippe rudes, atque hebetes homines iis visis credunt id revera Trinitatem Divinam esse quod pingitur. *Si idiotarum liber* imagines sunt, egregia documenta discent ex libro isto, in quo rude quoddam, atque impolitum effingitur; contextum scilicet ex imagine typica, seu uti appellant, *per abstractivas species* expressâ, qualis est Patris effigies, ex imagine, quam revera in carne assumpta habuit Filius, denique ex imagine, quam brevissimo temporis spatio exhibuit Spiritus Sanctus sub columbæ specie, Christo dum baptizaretur, insidens. Id ipsum fere dic de iis imaginibus, quæ Trinitatē Sanctissimā sub trium æqualis prorsus ætatis, & vultus virorum specie exhibet: caret enim hæc eâ præstantiâ, quam vetustas hisce imaginibus tribuit: originem aut processiones personarum minime indicat: facile vero per eam in errorem induci Fideles poterunt: credent quippe, Trinitatis Sanctissimæ personas tres esse homines, aut aliud quodpiam his affine, aut simile.

XIII. At hoc objectionum genus quàm leve sit, eadem quæ adduximus, monumenta declarant. Quis scilicet putet, a veteribus sanctissimis, & doctissimis viris improbas imagines fuisse factas? Aliquas tamen Trinitatis Sanctissimæ imagines fuisse formatas, antea vidimus. Non sunt itaque improbæ omnes Trinitatis imagines; & eæ certe non sunt improbæ, quas veteres Patres efformavere, & Theologi approbant. Id si mihi non credis, quòd vim multam inesse putas in iis, quas objecisti, difficultatibus, earum solutionem statim habe. Conflatas fateor consuetas Trinitatis imagines hinc ab ideâ (sic enim appellari mos est (*)) abstractivâ, Patrem sub senis imagine ræpræsentante, illinc ab ideâ intuitivâ Filium exhibente, qui carnem ex Virgine Maria susceperit, denique ab aliâ ideâ denotante formam, sub qua Spiritus Sanctus apparuit. At dic amabo, cur Filius exprimi in ea, quam suscepit, carne non poterit? Si visibilem formam & accepit, & retinuit, cur in ea illum

(*) Vide quæ diximus cap. 15. §. 1., & sequen.

illum exhibere erit nefas? Quoniam vero Spiritus Sanctus carnem minime assumpsit, sed in columbæ formâ apparuit, cur, si ego eum exprimere volo, prohibebor, quo minus illum eâdem exprimam, præsertim cum non casu, nec veluti fortuito, sed graves ob causas, eam speciem ille susceperit? At Pater, qui neque carnem assumpsit, neque [ut multis placet] visibili apparuit formâ, aut si apparuit, sub specie senis apparuit, (*) vel exprimi omnino non poterit, (cum tamen duæ aliæ personæ exprimantur), vel, ut exprimatur, ad eandem senis formam confugias, oportet, illiusque subsidio illum repræsentes. Porro quod explicando mysterio in picturâ deerit, supplebit docentis vox, & ab utraque rudis homo ad percipiendam, quantum fieri potest, Sanctissimam Trinitatem deducetur. Et de imaginibus Sanctissimam Trinitatem exhibentibus dicta sint satis: quæ enim adversus peculiares Patris, ac Spiritus Sancti imagines objectiones fiunt, facile ex hactenus dictis tolluntur.

(*) Vide dicta cap. 28. §. 6.

DE

DE CHRISTI IMAGINIBUS.

DE Dei quidem, ac Trinitatis Sanctissimæ imaginibus satis diximus. Porro inter reliquas sacras imagines, num præstent eæ, quæ Christum referunt, nemo, ut arbitror, dubitabit: sive enim excellentiam illius, quem illæ exhibent, sive miracula per eas peracta, sive populorum erga eas devotionem, sive denique antiquitatem multarum ex iis imaginibus spectes, eas Sanctorum, atque Angelorum imaginibus facile præferes: ideoque convenientissimum arbitraberis, ut statim de iis disseramus. Infinitum porro foret, ac nimis operosum, si de singulis, quas vel antiquitas, vel miraculorum fama celebratissimas fecit, sermonem instituere vellem. Ab iis exordiar, quæ non per symbola Christum exprimunt, sed illius vultum, & formam sub oculos ponunt. Ex his porro seligam paucas, de quibus accurate disputem. Cum autem inter eas, quæ vultum illius, & formam coloribus exprimunt, duo illarum genera recenseantur, quorum primum eæ imagines, quas simplices nonnulli appellant, sibi vindicent, alterum vero imagines eas, quas historicas vulgus denominat, complectatur, propterea quia aut historiam aliquam repræsentent, aut saltem ad historiam aliquam referantur, facile ad primum genus revocari poterit ea, quæ ad Abgarum missa dicitur; ea quoque, quæ in Veronicæ velo expressa traditur; item eæ omnes, quæ a S. Luca Evangelista dicuntur pictæ:

cta: quamquam & has ipsas nonnulli inter historicas collocant, quod ad historiam aliquam referantur, ad eam scilicet narrationem, qua novimus, ad Abgarum missam fuisse Christi imaginem, expreßam quoque fuisse a Christo in Veronicæ velo effigiem suam, & a S. Luca Evangelista Christum cum Virgine illius Matre fuisse una tabula pictum. Sed levissima hæc quæstio est, ideoque in ea diu immorari non expedit: neque iis obsistere volumus, qui potius ad historicas, quàm ad simplices illas referunt, neque iis, qui simplicibus, non historicis imaginibus eas, quas nuper recensuimus, annumerant. Historiam porro exprimebat ea, quam olim Paneade fuisse erectam unanimis Catholicorum sententia est; exprimebat enim sanitatem, quam mulier sanguinis fluxum antea passa, Christi miraculo recepit. Historiam quoque exprimunt ea, quæ Christi ortum, & gesta, aut mortem indicant. Atque ab his quidem latissimus nobis aperiretur campus, si vellemus singula persequi; sed quædam delibare opus est nobis, quibus tam & si longo itinere fatigatis, plurima tamen restat adhuc via. Rejecto itaque ad alios scriptores, ac præsertim ad Clarissimum Ayalam lectore, paucas ad pertractandum assumimus, a simplicibus exorsi, ideoque ab ea, quæ ad Abgarum missa dicitur: tum ea quæstione ad finem deducta, de ea imagine disputabo, quæ Veronicæ, *aut potius* Veronica *appellatur. Qua quidem disputatione expleta, pauca attingam circa simplices alias Jesu Christi imagines; ut scilicet continuatus, jugiterque in Ecclesia servatus mos, quo Domini Jesu vultum, humanamque naturam tabula, aut marmore exprimimus, ostendatur: tum statim descendam ad imagines eas, quæ* historicæ *appellantur; inter quas primum* vi-

videtur locum obtinere imago Christi nascentis; inquireturque quomodo Christi incunabula sint exprimenda: an Bos, & Asinus circa Domini cunas repræsentandi, (quod plerique veterum visi sunt asseruisse) an ab iis abigendi, veluti temere a pictoribus, aut fortasse a Poetis antiquam pictorum licentiam prævenientibus, Christi præsepi adjuncti: tum disputabimus quid de ea statua, quam Paneade a muliere sanguinis fluxu a Christo liberata, eidem Christo veteres auctores erectam dicunt, sentiendum sit. Agemus denique non modo de symbolicis Christi imaginibus, verum etiam de signis denotantibus eundem Christum Jesum. Atque has porro quæstiones præsens hæc disputatio comprehendet: nam quod ad imagines, quas Lucæ Evangelistæ tribuunt, attinet, copiose de iis deinceps disseremus. Alia vero hujus generis imagines aut peculiarem non exposcunt hic tractationem, aut si poscunt, exhaustum ab iis, qui nos praiverunt, fuisse videtur hoc argumentum; [& de iis sane, quæ Christum Dominum cruci affixum exhibent, fuse disseruere tum alii multi, tum præsertim eruditissimi Viri Lipsius, Nicquetus, & Bartolinus, quos Lector, si vult, consulat] aut satis de iis erit sermo, quum de historiis Novi Testamenti a veteribus tabulâ aut marmore expressis, haud ita multo post disputabimus. At id aggrediamur, quod primùm propositum est.

CAP.

C A P. X X X.

De iis Christi imaginibus, quas simplices vocant: ac primùm quidem de ea imagine, quæ ad Abgarum missa dicitur.

Referuntur ea, quæ de ejusdem imaginis origine, loco, in quo primùm deposita est, ste ob eam concepta, quæ denique de illius translationibus a Patribus, & historicis prodita scriptis sunt.

I. DE hujusce imaginis origine tradit hæc Damascenus. (a) „ Cum Abgarus Edessenorum „ Rex pictorem misisset, qui Domini exprimeret effigiem, neque id pictor ob splendorem ex ejus vultu emicantem assequi posset: Dominus ipse admoto divinæ, vivificæque faciei suæ pallio, imaginem suam in eo depinxit, quam ad Abgarum misit, „ ut hac ratione desiderio ejus satisfaceret. „ Aliter tamen eam imaginem efformatam fuisse nonnulli tradunt, atque ii præsertim, qui ex sudore in horto effuso, eam profluxisse volunt. (*) Porro Abgarus summo honore acceptam imaginem, (b) *in eo loco, ubi fuerat posita* (vetustior quædam falsi numinis imago) *hanc non manufactam Domini nostri Jesu Christi imaginem, cum in tabula conglutinasset, & hoc, quod nunc videtur, auro ornasset: posuit hæc verba in auro inscribens:* Christe Deus, qui in te sperat, a spe non excidit. *Et statuit, ut quicunque per illam portam erat transiturus, pro illa veteri inutili columna, eum, quem par erat, cultum, & honorem qui debetur, & adorationem tribueret longe admirabili, & miraculorum effectrici Christi imagini, & sic ingrederetur Civitatem Edessæ.* Ea porro inscriptione, cujus nuper meminimus: nempe, *CHRISTE DEUS, QUI IN TE SPERAT, A SPE NON EXCIDIT*, persuasum Edessæ Civibus fuit, adeo protegendam a Deo Urbem illam, ut nullo prorsus tempore ab hostibus capienda foret. Tametsi

(a) de fide Orthod. cap. 17. Vide etiam quæ tradit Evagri. lib. 4. cap. 27. At paulo aliter rem describit Cedrenus compend. histori. pag. 140. & sequ. editio. Vene. 176. editio. Paris.

(*) *Cum esset Christus iturus ad salutarem passionem.... visus est anxius, & orans.... tunc dicunt eum, cum accepisset a quodam ex discipulis hoc, quod nunc videtur frustum lintei, stillantes imbres in eo abstersisse, & statim fuisse expressã hanc, qua videtur, divina illius forma effigiem. Quod cum apud Thomam deposuisset, postquã ascidit in calos, per Thadeũ jussit mitti ad Abagarũ.* In oratio. Cõstantini Porphyro- quam sæpe allega: Gretserus in Syntagma. *de imaginib. non manufa:* Eã porro integram exhibet tomus VI. Vitarum Lipomani pag. 192. sed ea, quæ hic describuntur, verba reperies pag. 193. & 164.

(b) Ibidem.

etsi porro nulla hujusce tam grandis beneficii promissio extiterit, neque id revera aut epistola ad Abgarum a Christo missa, aut ea inscriptio significaret, civium tamen Edessenorum firmissima erat ea de re persuasio; (10) quæ tum maxime aucta est, quum Chosroes Persarum Rex ab ejusdem Urbis obsidione, re infecta, discedere (c) coactus est.

[c] Vide quæ narrant Procopius, Cedrenus, & Evagrius locis mox allegatis.

II. Hinc merito in summa apud omnes existimatione ea habita est, adeo ut Philippicus Mauritii Imperatoris Sororius & Orienti Præfectus (d) prælium cum Persis initurus, nihil ad roborandos, confirmandosque militum animos aptius duxerit, quàm ut eam, de qua agimus, imaginem per castra circumferret. *Hanc effigiem* (inquit Theophilactus Simocatta (e)) *sacra veste nudatam gestans* (Philippicus), *exercitum obibat, indeque audendi generosam, & inexpugnabilem mil-*

(d) Theophila: Simocat. lib. 1. cap. 13.

[e] li. 2. cap. 3.

---

(10) Sperasse Edessenos nunquam fore, ut eorum Urbs ab hostibus caperetur, nonnullis veterum monumentis assequimur. Ac primum quidem Procopium profero hæc enarrantem. (*) *Hoc etiam subjunxisse* (Christum) *fama est, urbem semper inexpugnabilem fore Barbaris. Quod postremum epistolæ caput eos, qui historiam scripserunt illius temporis, latuit. . . . Ac meum quidem animum cogitatio ista aliquando subiit: a Christo non fuisse scripta, quæ retuli: quoniam tamen sibi homines persuaserunt, urbem in ipsius tutela esse: non pati illum, ut ea capiatur. &c.* Secundum hunc afferendus est Evagrius, cujus hæc verba sunt. (*) ,, Narrat etiam ,, idem Procopius ea, quæ de Edessa, & de Abgaro ab antiquis sunt prodita, & quem ad modum Christus epistolam ad Abgarum scripserit. ,, Deinde qualiter Chosroes in altera incursione Edessam obsidere aggressus sit, convicturum se falsi existimans ea, quæ a Fidelibus jactabantur, Edessam ,, nunquam in potestatem hostium venturam esse. Quod ,, tamen non legitur in ea epistola, quam Christus Deus ,, noster ad Abgarum misit: ut studiosi colligere possunt ex historia Eusebii Pamphili, qui epistolam ,, illam iisdem plane verbis operi suo inseruit. Ab ,, universis tamen Fidelibus ita prædicatur, & creditur, ipsoque eventu comprobatum est, fide scilicet ,, vaticinium ad effectum perducente. ,,

(*) cap. 12. libri 2. *de bello Persico* Maltreto interprete.

(*) lib. 4. hist. cap. 27. interprete Valesio.

militibus alacritatem injiciebat. (*f*) Venerationem profecto id auxit imagini illi, eamque deinceps populus enixius coluit. Hinc quum Priscus, qui Philippicum in militari praefectura subsecutus est, sedare tumultuantes milites vellet, circumferri jussit sanctissimam hanc imaginem, tametsi conatu irrito: Deo scilicet nolente miraculo id efficere, quod officiis atque humanitate erga milites assequi poterat Priscus. Simocattae, ex quo haec accepimus, verba recensebo. (*) „ Iliphredae, Dei atque hominis „ effigiem, quam ἀχειροποίητον (hoc est non mortali „ manu confectam) Romani appellant, involucro „ nudatam per castra circumferendam committit: quo „ ad aspectum rei adorandae excitatâ reverentiâ furo„ rem comprimeret, & in modestiam, quietemque „ rerum perturbatio transiret. Verum enim vero „ cum multitudo nihilo hinc modestior, saniorque eva„ deret, quin potius sacrosantam imaginem lapidibus „ appeteret, Dux equum cujusdam e satellitibus Impe„ ratoris nactus, haud immerito se se in fugam tradidit, „ periculumque capitis, praeter opinionem, depulit. „

III. Perstitit porro ad undecimum fere seculum in eadem Urbe ea imago; donec scilicet *Romanus Lacapenus Romanorum Imperator operam dedit, ut ea potiretur, eaque Constantinopolim ditavit*. Quibus conditionibus id sit peractum, copiose exsequuntur Cedrenus, aliique Scriptores, (*g*) ad quos Lectorem rejicio. Quae porro in ea translatione gesta sunt, Constantinus Porphyrogenitus, scriptis prodidit. Probatissimum autem illius est testimonium, quippe quidquid de miraculis in hac translatione peractis narrat, non ex aliis didicit, sed perspexit ipsemet. Ex eo porro assequimur miracula plurima tum fuisse facta. Adeo vero solemnis fuit ea translatio apud Graecos ut perennem illius memoriam superesse voluerint in Menologio. Itaque XVII. Kalendas Septembris hujusce translationis mentionem faciunt hisce verbis. (*h*) *Commemoratio imaginis non manufactae . . . ex Urbe Edessâ egressae in hanc a Deo servatam, & Regiam Urbem deportatae*.

IV. Porro disposuit Deus, ut antequam Constantinopolis Turcarum Tyrannidi subderetur, in Italiam deferretur venerabilis haec imago: referente quippe Augustino Justiniano Nebbii in Corsica Episcopo, (*i*) Leonar-

(*f*) Vide etiam quae tradit *historia Miscel.* li. 17. pag. 114. par. 1. to. 1. Rer. Itali.

(*) li. 3. cap. 1.

(*g*) Cedrenus Compen. histo. pag. 142. editio. Venet. Paris. 278. & 170. Vide etiam, quae tradit Zona. in eod. *Romano Lacapeno*. pag. 152. editio. Venet.

[*h*] tom. 3. Canisii pag. 458.

(*i*) In Anna. Reipub. Genu. li. 4. ad ann. 1384. Eandem Edessenam imaginem ad Januensium urbem translatam, eidemque Reipublicae a Leonardo de Montalto dono datam fuisse, indubitate testatur Ubertus Folicta li. 9. histo. ad an. 1384. (to. 1. *antiquit. Italia* Grevii pag. 490.) Ex fine autem ejusdem hist. discimus eandē sacrā imaginē antea a Januensiū Urbē sublatam, Viri egregii Lasagnae opera eidē Republicae fuisse restitutam. Ibide pag 742.

nardus de Montalto Genuensiũ Dux, ab Orientis Imperatore, (adeo præclara erant erga eundẽ Imperatorẽ Leonardi merita) ab Imperatore, inquam, Orientis, dono obtinuit. Sed certe aliquando deductam Romam fuisse, eamque in Ecclesia *S. Sylvestri in capite* adhuc servari asseverat Baronius. (*k*)

(*k*) Baron. ad ann. 944. Romam trãslatam quidem ait, sed annum quo trãslata ea sit, & a quo translata sit, prorsus silet.

C A P. XXXI.

Recensentur ea argumenta, quibus ii innituntur, qui a Christo Domino per miraculum, quod nuper descriptum est, Edessenam imaginem formatam ajunt.

I. SEd Patrum, ac veterum historicorum sententias primùm afferamus, quibus eorum opinio innititur, qui censent, re vera a Christo Domino per miraculum formatam fuisse eam, de qua agimus, imaginem, atque ad Abgarum missam: subjiciemus deinceps ea argumenta, quibus id refellere Critici student: quibus quidem adductis, expensisque, dijudicare poterit æquus Lector, recte ne, an secus, ea quæ de hac imagine diximus, tradantur a Græcis.

II. Rectissime id tradi, comprobare videntur Acta Samonæ, & Guriæ Martyrum Edessenorum: in his nempe narratur, paulo post Sanctorum istorum mortem, ideoque paulo post annum 306. Hunnis Edessam obsidentibus, Edessenos a Romanis subsidium petiisse, (*) *confidentes maxime illis Christi verbis, quæ scripserat ad Abgarum: quod Civitas nunquam esset capienda a Barbaris, & quod in eam primam, Domini nostri Jesu Christi effigies missa sit ad Abgarum.* Quibus quidem verbis apertissime ea indicatur imago, de qua nunc agimus.

(*) Sur. 15. Novemb. pag. 356. to. 6. Sed hæc, quæ allegantur, extant pag. 361. cap. 16.

III. Id quoque testatur Evagrius, qui luculenter exsequitur, quid de ea imagine a veteribus proditum sit: quid etiam vetustæ traditioni vulgi opinio adjunxerit. Evagrii verba, ut pote multa, non referimus; aliqua

tamen

tamen superiori capite attuli: ad ipsam vero Evagrii historiam Lectorem rejicio.

IV. Subsequenti sæculo, id est septimo, præclarum ea de re testimonium præbet Theophilactus Simocatta, quem jam allegavimus. Theophilactum sequitur Photius: (*) Id pariter Cedrenus, quem item citavimus, asseruit. Asseruit quoque auctor vitæ *S. Stephani junioris*. (*) His adjungendus est Zonaras, (a) Constantinus Porphyrogenitus, (b) Nicephorus Callixtus (*) Theophanes Cerameus hæc elocutus: (c) *Ipse Dominus in sindone formam suam sine opera manus impressit, & Abgaro Edessæ toparchæ misit*: aliique e Græcis, quorum seriem recenset Gretserus (d).

V. Neque vero Latinis ignota ea imago fuit. Inter multos, qui illius meminere, paucos quidem, sed illos præstantissimos afferre præstat. Hic recole, quæ Gregorius II. nuper allegatus tradit, (*) & quæ hic repetere non est necesse.

VI. Nec dissimilis est Adriani Papæ sententia; (*) ita enim Christum Abgaro scribentem inducit. „ Quod „ si faciem meam corporaliter cernere cupis, en tibi „ vultus mei speciem transformatam in linteo dirigo, „ per quam & desiderii tui fervorem refrigeres, & „ quod de me audisti, nequaquam impossibile fieri existimes.

VII. His assentitur Haymo Episcopus Halberstadiensis, (e) Vir egregius, qui sæculo IX. floruit: cujus quidem verba huc facientia proferre, valde consentaneum reor: „ Dominus faciem suam lineo panno impressit, & misit ad eum (*Abgarum*), ut qui „ propria forma videri non poterat, saltem per impressam imaginem videretur. „ Nemo porro tot tamque præclaris viris affirmantibus, nemo, inquam, e veteribus piæ huic traditioni adversatus est, adeo ut universalis quodam modo, & a Doctoribus omnibus approbata ea esset; cum revocatis sæculo XVI. in dubium aliis piis traditionibus, hæc quoque in dubium revocata est, immo a nonnullis audacioribus inter aniles fabulas rejecta. Erat ergo (ut ita loquar) iam pridem in pacifica possessione hæc opinio, quum eam de sede suà, ac loco deturbare studuerunt ii, (*) quorum argumenta statim afferre, ac dissolvere operæ pretium reor.

(*) in excerpt.

(*) interprete Jacobo Loppin tom. 1. Analec. Græco: Patrum S. Mauri pag. 396. Sed quæ *de imagine* Edessena allegantur, extant pag. 413.

(a) *in Romano Lacapeno*.

(b) in oratione in cam imaginem.

(*) lib. 2. cap. 7.

(c) hom. 20. *de sanctis imagini*. pa. 125. editio. Francisci Scorsi; sed verba, quæ allegamus, extant pag. 129.

(d) *de imaginibus non manufactis* cap. 5. n. 12.

(*) cap. 30. ad §. 4. in calce paginæ.

(*) in epistola ad Carol. M. scripta *pro defensione Concilii Nicæni* II. par. 1. ca. 18. pag. 1561. to. 8.

(e) de Chr. rer. memo. li. 2. cap. 5.

(*) Eminent inter hos Tillemont. to. to. 1. articu. *de S. Thoma*, non procul a fine pag. 363. editio. Venet. Baillet *de reliquiis Domini Nostri*. ar. 12. §. 39. pag. 272. tom. 9. editio. an. 1739. Dupin. tom. 1. Biblioth. pag. 2. & ante hos omnes Causabonus *exercit.* 13. *in Baron.* ad ann. 31. §. 31. pag. 257.

CAP.

CAP. XXXII.

Afferuntur ea argumenta, quæ adversus hactenus tradita, produci solent.

I. TRia argumentorum genera proferunt adversarii; silentium scilicet veterum, solutionem earum probationum, quibus hactenus defensa opinio innititur, & conjecturas, quibus eadem opinio refellitur. Hæc porro ex primo argumentorum genere desumunt. An per miraculum a Christo Domino impressam linteo, & ad Abgarum missam eam imaginem dices, de qua nulla apud veteres mentio extat? Num eam omisisset Eusebius, qui tamen epistolæ a Christo ad Abgarum missæ meminit, immo eam descripsit in sua historia? cum procul dubio summa sit inter epistolam illam, & imaginem, de qua agimus, conjunctio, atque affinitas: quod satis indicarunt Gregorius II. Adrianus I. aliique, quorum verba capite superiori protulimus. Itaque si eam omisit, propterea omisit, quia nullum illius invenit apud veteres monumentum. Simillimum porro argumentum repeti potest ex silentio Socratis, Sozomeni, Theodoreti, aliorumque veterum Scriptorum, qui tam grande miraculum narrare non omisissent, si revera illud a Christo peractum novissent. Primus porro, qui ejusdem imaginis mentionem fecit, Evagrius est, haud vetustus scriptor, cujus quidem hac præsertim in re, levissimam esse auctoritatem, haud obscure significat Procopius, dum obsidionem Edessenæ Urbis bis describens, [a] reticet prorsus ea, quæ hoc de argumento a recentioribus Græcis narrantur. Agnovit scilicet haud ignobilis auctor, falsa esse illa, quæ popularis fama de ea imagine prodiderat, & propterea ne fabulis historiam suam infarciret, ea silentio præteriit.

II. Quod si ante Evagrium id memoriæ proditum dicas in Actis Sanctorum Samonæ, & Guriæ, facile hoc

[a] Li. 2. *de bello Persico* cap. 12. pag. 218. editio. Paris. Venetæ vero 302. & rursus in digressione quadam libri *de bello Gothico* cap. 14. pag. 206. editi. Venetæ, Paris. 606.

hoc tuum effugium præcluditur. Quis ignorat, Acta Martyrum a Metaphraste evulgata, nullius esse apud viros doctos auctoritatis? Etenim sine delectu Acta Martyrum, ideoque tam vera, quàm conficta edidit Metaphrastes, eaque ipsa, quæ recte conscripta invenit, stylo suo, variisque strophis additis prorsus pervertit. Porro in numero eorum, quæ Metaphrastes evulgavit, ea ipsa sunt, quæ allegantur, Samonæ, & Guriæ Martyrum Acta.

III. Hæc porro animadversio ad secundum caput pertinere facile potest, ad illud scilicet, quod sibi vindicat solutio probationum, quibus prior illa sententia fidit. Sed neque majorem auctoritatem habent cetera, quæ afferuntur. Etenim quis Scriptoribus illis, qui allati sunt, fidat? Nonne ipsi fidem, quam tu illis defers, sibi adimunt, dum vel dubitanter, vel tanquam populari fama vulgata hæc narrant, illa subjicientes: *Dicitur, fertur, traditum est, a majoribus nostris accepimus, fama vulgatum est?* quibus quidem verbis apertissime declarant, neque de se hæc dicere, neque ex probato scriptore ea accepisse, sed tantum describere veluti populari rumore quodam prodita & famâ incertâ. Sic tamen loquitur Damascenus, aliique, quos allegavimus. Præterquam quod si de Græcis loqueris, mente retineas, Græcos minime fuisse veritos, ad suæ nationis gloriam augendam, historiam etiam sacram inanibus fabulis inquinare, a quibus proferendis non abhorruerunt aliquando ii ipsi, quos eruditio, & sanctitas laudabiles alioqui fecit. Si vero de latinis sermonem habes, aut illis sunt objiciendi præstantiores alii, qui fabulis eam narrationem annumerant, in quorum numero eminent sane Francofordiensis Synodi Patres: (eam quippe reprehendunt veluti historiolam nuper in vulgus disseminatam) aut certe cum hæc a Græcis hauserint, tantum illorum hac in re valet auctoritas, quantum valet auctoritas Græcorum illorum, a quibus ista desumpserant. Ceterum Græci, si tu vis, imaginem illam merito objicere Iconoclastis poterant, non modo quia docente Augustino (*) iis argumentis uti aliquando possumus, quæ tametsi falsis narrationibus innitantur, vulgata sunt tamen, & a populo excepta; (*) verum etiam quia cum Græcis disputantes ea exempla adhibere poterant, quæ Græci (temere quidem atque

(*) *Quia in hominū doctorum litteris invenitur, famâque vulgatum est, nec stulte dici putandum est, etiamsi verum non est.* Auguſ. *de gestis Pelagii* cap. 6. aliàs n. 18.

atque inconsulto) vera tamen esse putabant.

IV. Sed ne iis quidem, quæ de hujusce imaginis translatione feruntur, moveri te sinas. (*) Ut de ea translatione, cujus meminit Augustinus Justinianus, primùm loquamur, quis putet, Græcos Imperatores, tametsi magnis beneficiis devinctos, extero homini eam imaginem dono dedisse, quam tam vehementer assequi studuerant, & ingenti pretio fuerant consecuti? [a] Furto vero sublatam fuisse (quod alii dixere) minus verisimile est. Tametsi enim interdum Latini Græcis insignes reliquias, & imagines sustulerint (& sane imaginem eam, quæ ab Evangelista Luca picta dicebatur, Græcis aliquando fuisse a Latinis raptam assequimur ex Innocentii III. Epistola) (b) tametsi, inquam, interdum Latini Græcis insignes Reliquias, & imagines sustulerint, id tamen non sustinuerunt Græci, qui tum prece, tum minis, tum causâ ad Romanum Pontificem delatâ, sacras reliquias, & imagines sibi raptas recuperare studuerunt. Eadem porro, aut certe affinia argumenta adhiberi facile possunt ad retundendã opinionẽ eorũ, qui Romã translatã fuisse ajunt imaginẽ illã, atque in Ecclesia S. *Sylvestri in capite* repositam. Quamquã postrema hæc translatio aliundeJ etiã invicte refellitur. An putas, Januenses preciosum (eorum quidẽ opinione) thesaurum, & quem sublatum a Galliarum Rege recuperare enixissime studuerunt, neglexisse deinceps, & Romam misisse? Sed cur translationis hujus auctores, & tempus Baronius silet? Indicat sane eo silentio, se id plane nesciisse, ideoque prodit, quàm levibus rationum momentis ii fidant, qui eam Salvatoris imaginem, quam ædes S. Sylvestri *in capite* servat, illam ipsam esse asseverant, quæ olim servabatur Edessæ. Quanam ratione id probabitur? Consultius itaque ii sentiunt, qui minime putant, ipsam esse archetypam illam, quæ olim Edessæ servabatur, sed aliam quamdam, quæ ex vetustâ illa Edessena depicta fuit, quæque Edessena vocetur, non quo illa eadem sit, sed quod ex ea expressa, primigeniæ illius denominationem servat, item fere ut S. Lucæ imagines appellantur eæ omnes, quæ ex vetustâ illâ, Constantinopolim ad Pulcheriam missâ, atque in celeberrimo illius Urbis templo positâ, expressæ sunt: novimus quippe, depingi con-

(*) Vide cap. 30. §. 4.

(a) Consule, quæ hoc de argumento tradunt Cedrenus nuper allegatus, & Constantinus Porphyrogenitus pag. 197.

(b) Eam refert Raynaldus tom. 13. Annal. aliàs tom. 1. *continuationis Anna. Baro.* ad annum 1207. pag. 171., & 172.

confuevisse Edefsenam effigiem, imaginefque ex ea expressas a peregrinis ad patrias domos deferri, [11] retento [nisi probabilis conjectura nos fallit] (c) veterum exemplarium nomine. Sed age: illa ipsa fuerit; donec probes imaginem Edessenam per insigne miraculum jam descriptum re vera a Christo fuisse efformatam, cuncta quæ deinceps five a Græcis, five a Latinis de ea narrantur, ad id quod agimus, ostendendum, inutilia sunt plane.

(c) Vide quæ de Mariæ imaginibus ex ea expressis, quæ a Luca Apostolo picta putabatur, alibi trademus.

V. Conjicimus porro, (& en tertium argumentorum caput) conjicimus, inquam, idcirco ad eam fabulam evulgandam fuisse permotos Fideles, quia tametsi antiquissimas esse putarent Christi imagines, modum tamen quo eæ peractæ fuissent, omnino nesciebāt: quippe ab exprimendo coloribus Christi vultu avertere facile potuit *fulgor ipse, & Majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat.* (d) Huic itaque difficultati, ut occurrerent, ad miraculum, quo id evitaretur, confugerunt, finxeruntque Christi imaginem prodigiose in linteo expressam. Secundo: si aliquam sui vultus speciem expressisset Christus in linteo, quod ad Abgarum misisset, dubitare jam nemo posset, pulchra ne, an deformis ejusdem Christi esset forma: expressa scilicet ea fuisset in eo linteo. Ignotam porro eam fuisse antiquis omnibus, manifesto declarat Augustinus, quum hæc ait. (*) „ Ipsius Dominicæ facies carnis innumerabilium cogitationum diversitate variatur, & fingitur: quæ tamen una erat, quæcunque erat. Neque in fide nostra, quam de Domino Jesu Christo habemus, illud salubre est, quod sibi animus finxit, longe fortasse aliter, quàm res se habet, sed illud, quod secundum speciem de homine

(d) S. Hierony. lib. 1. Comenta. in Matth: cap. 9.

(*) cap. 4. aliàs n. 7. libri 8. *de Trinitate*.

 „ cogi-

[11] *Cum Hierosolymis ageret Christus, Abgarus, qui tum temporis dominabatur, & Rex erat Urbis Edessenorum, cum Christi miracula inaudisset, epistolam scripsit ad Christum, qui manu sua responsum, & sacram, gloriosamque faciem suam ad eum misit. Itaque ad illam non manu factam imaginem mitte, ac vide. Congregantur illic turbæ populorum Orientis, & orant. Et alia multa sunt tales, manu facta, quas Christi amantium peregrinantium cœtus conservant, qui ad spectacula hujus modi confluunt, qua quotidie venerāris, (*) ac circumspicis.* (*)

(*) *venerabaris, ac contemnis.*

(*) Grego. II. episto. ad Leon. Isau. to. 8. Concilio. pag. 655.

„ cogitamus. „ Quamquã etiã si eã, de qua agimus, imaginẽ invisissent Fideles, minime ex ea verã Christi effigiem assequi potuissent. Id sane fateantur est opus, qui eandẽ imaginem Romæ servatam ajunt in Ecclesia S. Sylvestri *in capite*: deformis quippe adeo illa est, ut prorsus videas desipuisse, qui Christo eam tribuunt. An ad miracula confugiendum erat, ut fœdissima hæc effigies efformaretur? Ad hæc: cur dicere vereris, narrationem eam, qua innititur hujus modi opinio, fabulosam esse, quando quidem fabulosa sunt prorsus, quæ in eandem narrationem procul dubio irrepserunt? An non fabulosum id est, quod de Abgaro diu Romæ ab Augusto retento, & tum denique dimisso, quum ferarum nativum solum amantium exemplo, eidem Augusto indicavit, se paterni soli vehementi desiderio flagrare? Id tamen Græci Scriptores narrant. (*e*) Multiplicatas porro per hanc Christi Domini effigiem, & prodigiose quidem efformatas alias assequimur, si Cedreno, & Constantino Porphyrogenito fidem habes. Et perinde quasi levia essent ista, adjunguntur non levia miracula, veluti fax ad eam effigiem aliquando accensa, & plures annos jugiter ardens, (*f*) aliaque hujus generis infinita propemodum, quibus refertissimi sunt eorum Scriptorum libri, qui multum de ea imagine sermonem habuerunt. Sed quid tam multa? Nonne indubitate fictã indicat ea ipsa diversitas narrationis, qua eam Græci efformatam servatamque volunt? Profecto tam multa, & tam varia de ea traduntur, ut, si sapis, hoc ipso argumento leve Græcorum ingenium, & manifestam fictionem agnoscas. (*) Audistis hactenus Criticorum adversus ea, quæ de Edessena imagine tradidimus, argumenta,

(*e*) Vide quæ Procopius li. 2. *de bello Persico* cap. 12. narrat.

(*f*) Cedren. & Constanti. Porphyro.

(*) Vide §. 2. capitis 30.

CAP.

C A P. XXXIII.

Eas solutiones afferimus, quæ iisdem argumentis adhiberi consueverunt.

I. AUdite tamen quid ad eadem argumenta reponant ii, qui Evagrii, aliorumque Græcorum de Edessena imagine narrationem, veram esse arbitrantur. Fatemur (inquiunt) Eusebium hujusce imaginis non meminisse. Sed quot omisit Eusebius, quæ tamen ob sui præstantiam visa sunt aliis dignissima, quæ referrentur? Ideo vero fortasse hæc omisit, quia non admodum conjuncta hæc erat narratio cum eo argumento, de quo præcipue pertractare propositum Eusebio erat: quo modo scilicet propagata fuerit per Christi discipulos, illius doctrina. Et hæc quidem ii respondent, qui putant Eusebio suppositam fuisse epistolã illam, quæ ad Constantinam Licinii Imperatoris uxorem, præposito ejusdem Eusebii nomine, circumfertur. Ii porro, qui eamdem epistolam revera ab Eusebio scriptam, atque ad Constantinam Augustam missam fuisse arbitrantur, præcise respondent, vafre, datâque operâ eam narrationem fuisse ab Eusebio omissam. Etenim homo Theopischitarum hæresi addictus, id silentio præteriit, quod pravæ suæ opinioni adversari vidit. Solutionem hanc uberrime exponit, illustratque Gretserus, (a) ad quem Lectorem amando. Sed hoc de argumento subsequentibus capitibus dicam.

II. Ad affine argumentum ex Socratis, & Sozomeni silentio desumptum hæc ajunt. Quantas habeat vires argumentum illud, quod *negativum* dicimus, nostri instituti non est differere. Egerunt ea de re Thiers, (*) Honoratus a S. Maria; (*) & Sanctissimus Pater Benedictus XIV. (*) ad quos quidem Lectorem rejicio. (*) Paucis hic dicam, ab allegatorũ scriptorũ silentio minime juvari eos, qui humana ope, minime vero a Chri-

(a) Syntag. *de imagin. non manu.* ca. 9.

(*) Haud summas vires habere argumentum a scriptoris alicujus, tam & si veteris silentio deductum, haud obscure significat Casavbonus ipse, dum hæc ait. (exercitat. 13. §. 31. pag. 257.) *Scio argumentum ab auctoritate non concludere negative: sed neque etiam contemnendum est. &c.*

(*) Exercit. adver. S. Lacr.

(*) tom. 1. *animad. in regulas Critice* differ. 3. ar. 2.

(*) *de Canoniz.* li. 8. cap. 10.

Christo per miraculum factam putant eam, de qua disputamus, imaginem. Ideo enim illius non meminere, vel quia ad tam remotam ætatem eorum historia non pervenit, (*b*) vel etiam quia ea litteris consignarunt, quæ apud Græcos, immo ea fere, quæ apud Constantinopolitanos fuerant acta. At quanto spatio a Constantinopoli distabat Edessa? cujus origo græca non erat, nec græci vetusti illius Principes. Præter quam quod, si conjecturis, immo si argumentis valde probabilibus duci volumus, in promptu adest causa, cur illius non meminerint Socrates, & Sozomenus: scripsere quippe ante Justiniani tempora, ideoque antequam per revelationem rursus innotesceret ea imago. (*c*) Ex Græcis quippe scriptoribus discimus, eam imaginem operâ vetusti Episcopi jam pridem occultatam, deinceps delituisse, donec Justiniano Imperante per revelationem detecta est. (*d*) Neque errabis, ut puto, si dices, divino quodam consilio tum latuisse: sæviisset quippe fortasse in eam impius ille Julianus Apostata, qui in æneam statuam Christo Paneade erectam sæviit. Quo de argumento diligenter deinceps disseram. At reliqua prosequamur.

III. Cur porro Evagrium spernis, non vetustissimum quidem, sed nec recentem scriptorem, Justiniani nempe fortasse æqualem, cujus quidem quanta fuerit apud doctos existimatio, facile ex eo conjicimus, quod illum Photius, aliique probabiles viri sæpe allegent? (*e*) Hac vero in re tanto pluris facienda illius auctoritas est, quanto certius novimus, illius fortasse ætate ea accidisse, quæ de obsidione Edessæ a Chosroe factâ, solutâque narrat; cujus quidem obsidionis solutio non levi ex parte in imaginem illam relata est. (*f*) Ea vero, quæ de ea imagine narrat, ex vetusta traditione videtur accipere.

IV. At inquis, cur ea ipsa fere, quæ Evagrius, tradens Procopius (qui Edessæ obsidionem, illiusque obsidionis solutionem uberrime exsequitur,) ea prorsus omisit, quæ de Edessena imagine scriptis Evagrius prodidit? An non hoc ipso argumento apertissime assequeris, non fuisse hæc a Procopio approbata? Ingeniose id, fateor, objecisti. At non propterea objectionem hanc tuam reformido. Nonne adversarii ipsi candide fatentur, in secundo Procopii *de bello Persico*, libro

(*b*) Socratis historia exordium sumit a Constantino Magno: in iis porro, quæ Constantinum præcedunt, lectorem ad Eusebium rejicit: Sozomenus vero Socratem plerumque sequens, paucis circa vetusta tempora præpositis, exactiorem suam narrationem ab Episcopis, qui Constantino M. & Licinio imperantibus Ecclesiam rexerunt, exorditur.

(*c*) Definit porro in Theodosio II. Socrates, in Valentiniano vero II., & Honoria Honorii filia, Sozomenus.

(*d*) Inter Græcos historicos Cedrenus sane ceteris diligentius, & cumulatius visus est de ea imagine egisse. Ex illius porro narratione id plane quod tradidi, discimus n. 82. & 83. (pag. 141. editio Venetæ. Parisien. vero 177.) Vide etiam, quæ docet Constantin. Porphy. in oration. sæpe laudata pag. 194. §. *Fluxit itaque*.

(*e*) Vide præfationem a Valesio Evagrii editioni præpositam.

(*f*) Vide oratio. Constanti. Porphy.

libro multa deesse? Consule ipsum Procopii librum; & assequeris statim, quàm vere hæc dicantur. In ea itaque, quæ nunc desideratur, historiæ parte, id olim extitisse conjicimus, quod nunc in Evagrii historia tantummodo legimus.

IV. At subjicis; cur saltem ejusdem imaginis non meminit Procopius, cum Belli Gothici historiam describens, disgressionem quandam de Edessenæ Urbis obsidione inserit? Quia (equidem ajo) parum apte incidisset ejusdem imaginis mentio. Neque vero exacte obsidionem, illiusque solutionem describit, sed raptim quædam attingit, quæ in illa obsidione evenerunt. Ceterum quod in Procopii libris nunc deest, copiose suppletur ab aliis auctoribus, tametsi eos nunc non habeamus. Cur enim id suppletum negabis, quum ex superstite Constantini Porphyrogeniti oratione noverimus, hæc fuisse a viris egregiis memoriæ prodita? Verba ipsa Constantini profero, (g) ne temere locutus id videar. „ *Non sunt hæc miracu-* „ *la* (de iis loquitur miraculis, quæ in Edessenæ ob- „ sidionis solutione per eam imaginem facta sunt) „ *nullis approbata testibus, aut oratione composita ad* „ *aures oblectandas, aut a nobis conficta deceptio: sed* „ *tres simul Patriarchæ, Job Alexandrinus, Christopho-* „ *rus Antiochenus, & Basilius Hierosolymitanus hæc scri-* „ *pserunt; & hæc ita se habere significarunt Theophilo* „ *Imperatori, qui sacras imagines injuria affecerat:* „ *quando multis ostendentes, quàm sint sacræ, & vene-* „ *randæ imagines, de hac quoque tractarunt. Licet* „ *autem ei, qui velit, ipsam prolixam legere episto-* „ *lam, & id discere.* „ Et de Procopio quidem nolo plura.

V. Venio ad Acta Sanctorum Guriæ, & Samonæ. Ita ne vero cuncta Sanctorum Martyrum Acta, quæ a Metaphraste sunt edita, despicis, rejicisque, ut perversa, falsaque cuncta arbitreris, quæ in iis narrantur? Non ita sane de Metaphraste sentiunt Honoratus a S. Maria, (h) aliique multi, e quibus seligere duos placet inclytos viros, Tillemont, & Sanctiss. Benedictum XIV. Audite quid ille ipse Tillemont, qui acerrimus Metaphrastis hostis esse dicitur, de Metaphraste aliquando judicet. [i] *Habet Surius* (k) *historiam Martyrii S. Pamphili ex Metaphraste* *dedu-*

(g) pag. 194. to. VI. Lipomani.

(h) in to. I. *Animad. in critica regul.* diss. 2. n. 4.

[i] t. 5. *histor. Eccles.* in eo artic. in quo de Pãphil. agit. pa. 419.

(k) I. Junii pag. I.

deductam. At quoniam Metaphrastes interdum veteribus scriptis stylum tantummodo adhibuit suum, intactam vero reliquit historiam ipsam: nomen Metaphrastis Actis præpositum minime vetuit, quo minus sapientes, doctique viri hæc acta exciperent, approbarentque. Benedictus autem XIV. (quem honoris causa nomino) de eodem Metaphraste talem sententiã pronunciat, ut probe discas, non esse demendam historico alicui fidem propterea quia ex Simeonis Metaphrastis scriptis desumpta est. Lectorẽ ad doctissimi hujusce Pontificis allegatum in margine locum amando. (*)

(*) *de Canoniz. &c.* lib. 3. cap. 9. pag. 56. & seq.

VI. Nec continuo eam narrationem, qua Edessenæ imaginis præstantia innititur, veluti minus probabilem rejicere possumus, propterea quia interdum Scriptores ea, quæ de imagine hac narrant, vel dubitanter dicere videntur, vel innuunt hæc populari fama, ac rumore fuisse tradita. Neque enim dubitanter omnes id dicunt, sed multi horum animose, & veluti rem certam mihi videntur proferre. Ii vero, qui aliqua dubitatione id tradunt, propterea id agunt, quia peculiaris Ecclesiæ ea traditio erat: ideoque minime cogens remotissimos historicos, ut veluti indubitatam eam scriptis proderent. Ea vero, quam tu popularem famam nominas, ego quidem *majorum traditionem* appellare rectissime possum: de cujus quidem auctoritate, quoniam alibi (*) [quantum instituto nostro satis est] egi, hic dicere supersedeo.

(*) disp. 8. cap. 17. 5., & 6.

VII. Sed quoniã Græcos omnes scriptores, quibus hac in narratione potissimũ fidimus, veluti nimiũ faciles ad adhibendã fabulis fidem, imo etiam veluti mendaces accusas, iisque tribuis, quod ut gloriam suæ gentis augerent, non veriti sint sacram historiam strophis infercire, & ineptiis: paulo accuratius pertractanda ea res foret, si per tempus liceret. Paucis dicam, imerito Græcis omnibus veluti mendacibus fidem demi. Si enim Græcis omnibus fidem demis, nihil fere superest, quod de veteribus nationibus sciamus: si quid enim de iis scimus, ex Græcis scimus; ex Plutarcho nempe, ex Xenophonte, ex Æliano, ex Herodoto, aliisque Græcis scriptoribus, quorum sane auctoritas non levis est. Quod si ad Ecclesiasticos auctores sermonem convertas, quis Iræneo, Justino, Athanasio, Basilio, Chrysostomo verior, doctior, aut accuratior? Fateor equidem non-

nonnullos ex minus antiquis Patribus aliqua tradidisse, quæ Criticorum reprehensiones non effugerunt. Sed advertas volo, neque omnes ad hunc scopulum offendisse, & eos ipsos, qui ad eum offenderunt, non propterea offendisse, quod ea temere finxerint, quæ narrarunt, sed quod putarent, haud temere a Majoribus nostris ea scriptis fuisse prodita. Hinc (uti dici mos est) bonâ fide eadem tradiderunt: fraudis scilicet, & mali doli expertes ipsi, fraudem quoque, & malum dolum arbitrati sunt a quibuslibet Christianorum scriptis abesse: quod etiam de Latinis quibusdam, ac præsertim de Gregoriis Turonico, & Magno pronunciatum audivi. At quoniam de allegatis hoc in argumento Scriptoribus temere suspicari non possumus, *tibi* incumbit, ut peculiari probatione ostendas, deceptos in hac ipsa, de qua agimus re, fuisse illos, eaque tradidisse, quæ a veritate alienissima sunt. Sane tam et si ea, quæ de Edessena imagine diximus, primùm a Græcis tradita fuerint, de eorum tamen veritate minime dubitarunt ii egregii Latini, qui illorum temporibus propiores, affirmarunt, re vera a Christo per miraculum Edessenam imaginem fuisse efformatam; atque horum quidem auctoritati is nimis detrahit, qui illorum dictis habere fidem recusat.

VIII. At Latinos alios objicis, qui fabulis eam narrationem annumerant. Si de recentioribus Criticis loqueris, statim fateor Latinos aliquos huic narrationi obsistere. At si de veteribus Latinis id dicis, rogo te, atque obsecro, ut eos mihi indices. Tametsi enim Casaubonus audacter hæc proferat: (*) *Concilii Francofordiensis Episcopi, inter plura alia hanc quoque historiolam in actis Concilii Nicæni II. ut ex recente traditione acceptam, reprehenderunt*: tamen neque in Canonibus, neque in Actis Francofordiensis Concilii invenire potui expressam hujusce narrationis reprehensionem; imo neque invenire potui vocem ullam, in qua hujusce imaginis mentio fiat. Quod si dicas, narrationem hanc propterea refelli, quia Synodus illa Nicænam II. minime approbat, ideoque non approbat rationes, quibus illa innititur; adverte, obsecro, aliud esse sanctionem aliquam non approbari, aliud vero non approbari ullam ex iis rationibus, quibus illa fidit. Profecto Nicæni II. definitionem recipe-

(*) Exerci. 13. 2. 31. pag. 258.

cipere recusavit Francofordiense; de probationibus tamen a Nicæno II. allatis siluit prorsus. At, de Concilii Francofordiensis sententia non indiligenter dissertatione X. dicemus, ad quam propterea Lectorem rejicimus. Nos hic reliqua prosequamur.

IX. At quid ad ea respondebimus, quibus translationes hujusce imaginis impetunt? Respondebimus, minime cogendos esse eos, qui per miraculum factam fuisse ajunt Edessenam imaginem, & ad Abgarum missam; minime, inquam, cogendos esse, ut translationes subsequentibus seculis factas recenseant, & tueantur. Ceterum, ne videar hæc difficultatis evitandæ causâ proponere; habebunt, ut puto, Januenses probabilia monumenta, quibus constet, quàm tuto imaginem illam, Edessenam esse dicant, atque ad venerandum proponant. Habuit quoque (nec fallor) vir castigatissimus Baronius monumenta, quibus permotus tradidit, Romæ in æde S. Sylvestri *in capite* Edessenam ipsam imaginem servari: quæ si protulisset, magnam quidem promeritus fuisset a viris doctis gratiam; non propterea tamen reprehendo, quia non protulit; insigni enim illa sua probitate, & veritatis studio, (quam sane laudem ne adversarii quidem ipsi Baronio adimunt) promeruit in hac narratione à Lectoribus fidem. Ceterum qui putant, expressas ex Edessena fuisse imagines has, præstantiam, si vis, earum minuunt, attenuantque, sed historiam ipsâ, & excellentiâ veræ Edessenæ minime infirmant. (*)

X. Venio ad tertium objectionum caput, id est ad argumenta, quibus directe narrationem 30. & 31. capite defensam, fabulis student annumerare. Sic porro nobis illudere te posse speras, ut probatissimæ imaginis originem non minus incertam, quam illaudabilem statuas? mendacium scilicet pietatis specie contectum? Vah iniquissimam suspicionem! Siccine putas, veteres Patres Ecclesiæ jura, ritusque defendisse, atque adversus obtrectatores vindicasse, ut fabellis ea tuerentur? Alia fuit enimvero Sanctorum Patrum consuetudo, alius mos. His scilicet cordi fuit morum candore, ac dictorum sinceritate, non dolo, aut fraude aliqua veritatem nostrorum dogmatum tueri, ac comprobare. Statuamus igitur, atque assentiamur, ideo hæc de

Edes-

(*) Meminerit Lector Edessenæ simillimas jam dudum extitisse imagines alias, quas Græci per miraculum fuisse formatas ajebãt; quæque proinde in summa veneratione apud Christianos esse possunt, & Edessenæ dici. Constanti. Porphyrogeni. pag. 197. &c. Sic nodum istum dissolvit P. Aurelius a Genua tracta. Chronolo. ad an. 944. pag. 337. ubi etiam tradit in Ecclesia S. Bartholomæi Genuæ Edessenam imaginem servari.

Edessena imagine tradidisse Patres, atque in populũ evulgasse, quod probabilibus rationum momentis permoti, putarent verissima esse illa, atque ad revincendos Iconoclastas, & Sacrarum imaginum antiquitatem asseverandam aptissima esse.

XI. Quæ quidem persuasio minime infirmatur ex eo quod Augustinus, aliique Patres ignotam esse dixerint Christi speciem, & formam. Etenim hæc Augustini, aliorumque Patrum testimonia cõmodissimas explicationes excipiunt, quas ego quidem non neglexi, cum peculiari disputatione (*) de Christi Domini formâ disserui. Fatebor porro, si tu vis, Augustini, & proximis illius ætati temporibus ignotam fuisse Christi formam, quia latebat, uti jam diximus, effigies, de qua agimus. Quamquam, si ea tum minime latuisset, quàm difficilis ad eam visendã fuisset accessus! An putas, multos ex Africa Edessam perrexisse ut diuturni itineris, laborisque non levis fructũ ex brevissimo imaginis illius intuitu perciperent? An censes, eos omnes, qui illam vidissent, depingere cõmode potuisse, & ad contribules suos referre, ut ex ea Christi formam assequerentur? At fortasse Augustini verba longe diversam quæstionem respiciunt: de qua quidem hic multis disputare non est necesse. Sed quæcunque alii censeant, mihi videntur acutius ceteris, verisimiliusque sentire, qui monent, hoc tantum velle Augustinum: nobis minime compertum esse, num ea Domini Christi, & Deiparæ species, quas, dum de iis cogitamus, mente fingimus, cum iis conveniat, quam dum viverent, illi habebant. En ipsa S. Doctoris verba, ex quibus assequi facile poterit Lector tam præclari Magistri mentẽ: (*) *Neque enim novimus faciem Virginis Mariæ, ex qua ille à viro intactâ, neque in ipso partu corruptâ mirabiliter natus est. Nec quibus membrorum lineamentis fuerit Lazarus, nec Bethaniam, nec sepulcrum, lapidemque illum, quem removeri jussit, cum eum resuscitaret, vidimus . . . . . neque omnino scimus, quicumque ista non vidimus, an ita sint, ut ea cogitamus; immo vero probabilius existimamus non esse ita. . . . . . Credimus Dominum Jesum Christum natum de Virgine, quæ Maria vocabatur. Quid sit autem Virgo, & quid sit nasci, & quid sit nomen proprium, non credimus, sed prorsus novimus. Utrum autem*

(*) in tracta. *de incarna.*

(*) loco jam allegato; ad est cap. 4. aliàs n. 7. lib. 8. *de Trinitate.*

tem illa facies Mariæ fuerit, quæ occurrerit animo, cum ista loquimur, aut recordamur, nec novimus omnino, nec credimus. Itaque hic salva fide licet dicere, Forte talem habebat faciem: Forte autem de Virgine natus est Christus, nemo salva fide Christiana dixerit.

XII. Quid porro conquereris, deformem (te quidem judice) esse illam, quæ antiquissima Edessena imago esse dicitur? Num deformem, an pulchrum vultum referat imago illa, quæ in æde *S.Sylvestri in capite*, aut Genuæ servatur, ego quidem assequi nondum potui. Tanto enim viarum intervallo ab his locis absum, ut certo id nosse desperem. At fac deformem esse illam, aut certe minus pulchram. An continuo Edessena imago Christi vultum minime expressit? Nihil minus. An nescis, permisisse Deum, ut Reliquiæ ipsæ temporum injuriæ subessent? Potuit itaque Edessena imago humidiori loco retenta eam labem contrahere, quam contraxisse tu dicis, ideoque fœdari, vetustamque illam, atque egregiam speciem amittere, quàm primum habebat. Illa ipsa Innocentii III. epistola, quæ paulo ante allegata est, (*) perspicue ostendit, in abditis locis retineri aliquando consuevisse celebriores imagines sacras, ne scilicet aut raperentur a cupidis, aut nimia consuetudine vilescerent. Porro in hujus modi locis labefactari eas facile potuisse, perspicue evincit ab autographo S. Marci Evangelio, propterea quia in humidiori loco retinetur, contracta labes; de quo quidem Evangelio audite, quid Clariss. Montfauconius scriptis prodiderit. (*) „ *Folia agglutinata simul sunt, & putrida, ut non facile possint diduci sine fractione: nam locus perquàm humidus; & brevi periturus funditus est Codex, si istic maneat. Characteres autem & si legi vix possint &c.*

(*) cap. 52. §. 4.

(*) Itine. Itali. ca. 4. pag. 55.

XIII. Et sane metuisse vetustissimos ipsos Christianos, ne putresceret tela illa, in qua Edessena imago impressa erat, ideoque evanesceret, aut certe labē aliquā contraheret illa divini vultus species, quæ in ea referebatur, manifesto indicant illa Constantini Porphyrogeniti verba, in quibus narrat, quanam ratione ille Edessæ Episcopus, qui eo vivebat tempore, quo Nepos Augari idololatricum cultum restaurare cupiebat, sacrosanctam imaginem impii Tyranni furori subtraxe-

xerit. Sed præstat ipsa Constantini Porphyrogeniti verba latine reddita proferre. (*) ,, Nam cum hoc præ-
,, scivisset loci Episcopus, ea, qua ipsi licuit, usus est
,, providentia. Et quoniam locus, in quo scita erat
,, imago, servabat figuram hemisphærii speciem cylin-
,, dri referentis, accensa ante imaginem lucerna, &
,, imposita tegula, cum calce & coctis lateribus ob-
,, struxisset loci ambitum, redegit murum in planam
,, superficiem. Cum igitur non videretur divina for-
,, ma, destitit ille impius a conatu. Ideo autem, ut
,, arbitror, statutum est a sacerdote, ut ante imaginem
,, poneretur tegula, ne aliqua putrefactio, quæ fit ex
,, situ ædificii, & ex humore calcis, inesset in linteo
,, imaginis receptaculo, & ex diuturnitate temporis
,, aliquid damni acciperet. ,,

(*) pag. 194. t. vi. Lipomani.

XIV. Sed opus est proximũ postremo aggredi; id scilicet, quod desumitur a quibusdã adjunctis, (si liceat ita loqui) quibus ornari ea narratio solet: cum enim adjunctis his, veluti incredibilibus, fidem minime habeas, narrationi toti, ideoque illi etiam ejusdem narrationis parti, quæ impressam per miraculum, Christi imaginem in velo refert, fidem habere recusas. Quid si dicam, multa esse incredibilia, quæ tamen verissima fatemur esse? An manum Domini constringere, illiusque potentiam coarctare tu vis, ut ea tantum vera esse dicas, quæ tibi minus miraculosa videntur. Sed age, quod libet. Reliqua, quæ illi narrationi adjuncta sunt, tam etsi a probatis historicis narrentur, minus vera sint. An propterea ipsa quoque præstantior narrationis pars, (ea scilicet, quæ impressam a Christo Domino vultus speciem in velo fuisse ait) minus vera erit? Nihil minus. Quot enim verissima esse nemo dubitat, qaibus tamen addita multa sunt a' verisimilitudine prorsus aliena? Non itaque res falsa esse evincitur, propterea quia nonnulla ab historicis interdum adjuncta sunt, quibus fidem merito denegamus.

XV. Hæc porro postremã objectionem desumprã ex varietate circumstantiatum, quibus ea narratio circũvestitur, facile tollent. Sed juvat ipsius Constantini Porphyrogeniti, qui difficultatem hanc tuam jam dudũ prævenit, verba adducere. (*) ,, Neque omnino est mi-

,, rũ

„ rum in tanto tempore ſæpe errare hiſtoriam. Nam „ in eo, quod eſt hac in re præcipuum, omnes conſentiant; & confitentur ex facie dominica admirabiliter in linteo fuiſſe formam expreſſam; in nonnulla autem rei circumſtantia, ſeu in tempore, differunt. Quo quidem nihil lædit veritatem, ſeu priùs „ factum ſit, ſeu poſterius.„

XVI. Audiſtis rem utrimque, ſine ullo partium ſtudio, diſputatam. Utinam quæſtionem hanc diſſolviſſent egregii ii viri, qui incœptum a Bollando grande opus perſequuntur. Sed ſatis iis fuit græcam vetuſtam imaginem (*) alibi ab iis expreſsam indicare. (*) Eorum profecto ſententia ſummâ apud me obtinuiſſet auctoritatem. At deinceps fortaſſe id, quod cupimus, perficient. Lector interea id, quo veriſimilius illi viſum fuerit, eligat. Ego ſane in ea ſum perſuaſione, ut putem, valde probabilem eorum eſſe ſententiã, qui ajunt, eo re vera, quo deſcripſit Damaſcenus, modo, ideoque per grande miraculum, a Chriſto formatam fuiſſe in linteo imaginem ſuam, eamque ad Abgarum miſsam: pro qua quidem opinione plurimos præſtantiſſimos viros jam pridem ſtetiſſe, ex Mallonio (*) diſcimus.

(*) *in antiqui. Græco moſchis* tom. 1. Maii. pag. 39.

(*) ad diem 16. Auguſti titulo *Prætermiſſa*. pag. 263. to. 2. Auguſti.

(*) *De Sancta Sindone*. c. 1. n. 12. pag. 12. §. *de Sudario Edeſſeno* : & ſubſequente : *de eodem ſit mentio*.

CAP.

C A P. XXXIV.

De ea Christi Imagine, quam Veronicam, seu Veronicæ appellant.

Ea recensemus, quæ de illius origine, & causa delationis in Urbem Romam: deque honore jam pridem illi adhibito veterum scriptis prodita sunt.

I. QUando quidem de Edessena imagine satis disputavimus, omittere non possumus, quin de vetustissima alia a Christo itidem (nisi argumentorum verisimilitudine fallimur) proveniente, non penicillo, aut coloribus expressa imagine, verba faciamus. Ea est, quam alii *Veronicam*, *Veronicæ* alii appellant: de qua quidem vetustissimâ famâ, vulgatum est, hac ratione eam fuisse formatam. Dum Christus, mortem in Cruce proxime subiturus, eandē Crucem humeris deferret, spineam coronam in capite gestans, ideoque ob manantem ex vulneribus sanguinē, faciē undique fœdatam haberet, illi occurrit pia mulier, (*) velumque, quo sudorem, & fluentem sanguinem tergeret, vultui apposuit, in quo quidem velo expressa remansit ejusdem divini vultus species, ideoque Christū referens, qualis erat, dum *languores nostros tulit, ac dolores nostros portavit*: quod quidem velum a pia illa muliere, quæ (nisi probabilis conjectura nos fallit) Christo antea adhæserat, diligenter custoditum, obtentumque deinde a Fidelibus, diu servatum est: aliquot denique evolutis seculis Romam delatum, & honorificentissime servatū est. Hæc vulgatior, & cōmuni sapientū sententiâ verisimilior narratio est; quod enī tradidere nonnulli seculi duodecimi scriptores, velum illud, in quo impressa divini vultus species remansit, tum fuisse Christo oblatum, quum in horto Getesmani sanguineo sudore manavit, nemo temporibus nostris, veluti verisimile, excipit.

(*) Veronicam aliqui, Berenicem, seu Beronicā, aut Benicem appellant alii: sed illius mulieris nomen scire ad rē præsentem parum refert: & revera idem prorsus nomē esse videtur; immutato scilicet, in nominis initio V. in B., quod sæpe fit, & postrema littera ab A. in E. facillima, frequentique mutatione, aut, si vis, abbreviato ipso nomine: quod sæpe etiam fit. Vide Baron. ad annum 34. n. 132. Henschenium quoque 4. Februa.

II.

II. Quædam alii huic narrationi inseruere, atque illud in primis quod Methodium (12) narrasse ajunt: Tiberiũ scilicet Romanorũ Imperatorẽ gravi morbo correptũ auditis Christi miraculis, ad eum nuncios misisse, ut ad se curandum veniret: qui quidem nuncii cum a Pilato comperissent, Christum nuper esse mortuum, sed illius effigiem apud Matronam quandã, Veronicam nomine, Hierosolymæ degentem servari, eandem effigiẽ ab illa receptam secum Romam tulere: quam cum Imperator accepisset, per ejusdem imaginis virtutem, a morbo, quo detinebatur, convaluit. [*] Sed hæc, & si qua sunt alia hujus generis, quæ minus verisimilia putantur a Criticis, aut fortasse in Methodii narrationem irrepserunt, aut ex aliquibus ambiguis Methodii vocibus id eruit, conjecitque Marianus Scotus, in eum sensum illa deducens, quo Methodius non pronunciarat; aut denique non vetustissimum Methodiũ tum allegat Marianus Scotus, sed recentiorem alium, minus nobilem scriptorem. Utcunque se habeat res, multorum sane litteris proditum est, Tiberio imperante, Romã deductum esse Sudarium illud, quod *Veronica* appellatum est: (a) at hujusce translationis causam hi reticent: quam ob rem suspicari licet, aut illis fuisse ignotam, aut propterea hos scriptores hujusce rei causam pressisse silentio, quod notissima tum esset, multorumque sermone, scriptisque vulgata.

III. Sed quodcunque hujusce translationis fuerit tempus, quæcunque etiam fuerit occasio, aut causa, indubitatum est sane ex iis, quæ sum̃o cum studio collegit Jacobus Grimaldus, merito allegatus a P. Honorato, (b) & a Sanctissimo Benedicto XIV. (*) indubitatum

(*) Affinem narratiunculam ex *supplemento Chronicorum*, & ex libello in Vaticana Bibliotheca servato, allegat Mallonius cap. 10. pag. 118.

(a) Eos scriptores consule, quos allegat P. Honora. *a S. Maria animad. in regu. Criti.* t. 2. li. 4. diss. 8. ar. 1.

(b) Ibidem.

(*) *de Canoniza. &c.* li. 3. parte 2. cap. 30. n. 12.

(*) an. 393

[*] annota. 33. in vitam Jes. Chris. t. 1. histor. Eccles. pag. 447. editio. Vene.

(12) Hæc Methodio verba tribuit Marianus Scotus. (*) „ *Qua dum nuncios convenisset, & ita esse, atque se habere per omnia evidentissime asseruit, Romam ab ipsis delata est, atque in præsentiam Principis adducta, speciem divinæ testificationis ostendit, & virtutem perfecti medicaminis gratia Christi mirabiliter effecit.* „ Quæ tamen temere Methodio fuisse adscripta monet Tillemont. (*)

ratum est, inquam, summo in honore habitam fuisse eã, de qua agimus, celebratissimam imaginem. Ut omittamus Mediolanensis Ecclesiæ traditionem: in qua quidem Ecclesiâ tum Missale, (c) tũ Breviarium (d) hæc ipsa enarrat: (utrumque vero, nisi fama mentitur, a D. ipso Ambrosio descriptum est:) Ut id, inquã, omittamus, enim vero Joannes VII. primo ipso sui Pontificatus anno, in S. Petri Basilica Sacellum ædificavit, cujus parietes egregiis picturis decoravit, pavimentum autẽ porphyretico stravit lapide. Sub fornice Sacelli hujus, quod sex præstantissimis columnis innitebatur, Sancta hæc imago collocata fuit. (*) Rursus hujusce sacelli mentionem facit vetustũ Martyrologiũ, dum hæc in eo traduntur. [e] *Consecratio altaris S. Sudarii: item altaris S. Mariæ ad Præsepe post ipsum.* Post ea tempora summo in honore habitam fuisse eam imaginem, argumenta illa ostendunt, quæ profert P. Honoratus. (*) Cur porro in tanta veneratione ea imago habita est, nisi quia & vetustate, & ea mirabili ratione, qua formata illa est, ceteras antestat omnes? Atque ad id comprobandum non modo operam suam contulere Fideles, qui imaginis illius cultum peculiari Missâ, & sequentiâ, receptoque aut imposito, dum baptizarentur, Veronicæ nomine, (f) promovere, verum etiam miraculis ad eam editis visus est adfuisse Deus. Concludimus hæc omnia auctoritate eorum Scriptorum, qui litteris prodidere, eã esse, quam nuper diximus, hujusce imaginis originem: veluti Galesinius, & Ferrarius, qui historiam hanc Martyrologiis a se editis inseruere. (*) quos omnes dignitate antecellit Urbanus VIII. cujus jussu constructa est nobilis theca, in qua hanc, de qua disputamus, imaginem reclusit, marmoreâ adjectâ statuâ, quæ mulierem referret, velum cum expressa in eo imagine veluti demonstrantem, hac epigraphe adjecta:

SALVATORIS IMAGINEM VERONICÆ
SUDARIO EXCEPTAM,
UT LOCI MAJESTAS DECENTER
CUSTODIRET, URBANUS VIII.
PONT. MAX.
MARMOREUM SIGNUM,
ET ALTARE ADDIDIT, CONDITORIUM
EXTRUXIT, ET ORNAVIT.

(c) typis editũ anno 1560. pag. 50. *In festo S. Veronicæ Matrona.*

(d) Vide quæ tradit Bzovius Ann. Eccles. ann. 1216. ar. 17. *in Lectionibus*, ut fertur, *a D. Ambrosio scriptis asseverante.*

(*) Ex Grimaldo apud P. Honorat. ar. 2. & Bzovium ad an. 1216. n. 16.

(e) VIII. Kal. Decem.

(*) Ibid. ar. 2. Monet tamen Sanctiss. Bened. XIV. in eo decipi P. Honoratũ, quod putet Anastasiũ Bibliothecã: (in Stephano III.) de hac imagine loqui, cum re vera de ipsa non loquatur, sed de ea, quæ Oratorio prope Lateranum, retinetur, & simpliciter, seu per antonomasiam vocatur acheropita.

(f) Id tradit expressissime vita S. Barbatiani, quã deinceps allegabo. Sed & huc pertinent monita doctissimorum illorum virorum, qui cœptum a Bollando egregium opus prosequuntur: docent quippe (ad diem XVI. Augusti, in prætermissis, pag. 262. §. *B. Veronica*) nonullas sanctas mulieres *Veronicas* fuisse appellatas.

(*) 4. Febru.

CAP. XXXV.

Referuntur argumenta eorum, qui secus sentiunt: atque his quidem argumentis responsiones aptæ adhibentur. Exscribimus denique verba quædam Sanctiss. Benedicti XIV. atque iis quidem quæstiunculam hanc concludimus.

I. IRrident tamen hæc alii, ajuntque, per summam inscitiam hæc tradi. Ut Etherodoxos omittamus, Clariss. P. Serry,(*) & Thiers (*) fabulis eam, quā superiori capite retulimus, narrationem annumerant (*). Displicet id quoque Papebrochio, (a) Baileto, (*) Mabillonio (*) & ut ceteros prætercam, egregio Fogginio. (b) Ex contradictionibus, quibus ea discribuntur, id primo student evincere: mulierem, quippe illam (nam ab ea exordiendum est) mulierem, inquam, illam alii Berenicem seu Benicem, Veronicā alii appellant, cum tamen id temere dici ex veterū Patrum, atque historicorū silentio innotescat. Etiā de tēpore, quo Christus dicitur oblato a muliere velo, egregiam faciei suæ speciem per miraculum expressisse, non sibi constant hujusce narrationis auctores: alii etenim (quod jam diximus) id tum factum ajunt, quum Christus sanguineo sudore adhuc madidus ex horto Getsemani rediit, alii contra id evenisse testantur, quū ad Calvariæ montem, Cruci mox affigendus, eandem Crucem deferebat. Id evincere secundo student ex qualitate ipsa, ac genere narrationis: fabellam enim manifesto id sapit, quod de nunciis a Tiberio ad Christum missis, quod de iisdem nunciis imaginem eā perquirentibus, Romamque deferentibus, quod denique de eadem imagine morbosis Tiberii membris applicata, lepramque depellente traditur. Nuncii ii Gentiles procul dubio fuere, ideoque avitæ Religionis & patrios mores, aliqua saltem ex parte, servantes. Ubinam autē

(*) Exerci, 53. n. 4.
(*) *de supersti.* to. 2. par. 2. li. 4. cap. 6. n. 10., & 11. pag. 433. edit. paris. 1712.
(a) tom. 7. Mensis Maji pag. 356. n. 126. & in respōsione *ad P. Sebastianū a S. Paulo* ar. 1. §. 4. n. 47. & seq. & ar. 11. §. 2. n. 11. &c. ubi in rem suam citat Lucam Holstenium.
(*) in festis mobili: feria 3. Quinquagesimæ pag. 22. & subseq. to. IX. editio. 1739.
(*) iter Itali. pag. 86. & 87.
(b) in defensione eorum quæ docuerat adversus *act. S. Romuli*. pag. 66.

tem discis, sperasse Gentiles per numinum deorumque suorum imagines se a morbis convalescere posse? In somnis admonitos quidem novimus eos, qui ad Deos confugiebant, quanam ratione recipere bonam valetudinem possent; at per imagines id fuisse aliquando factũ, nullo prorsus exemplo evinces. Tertio ex veterum omnium silentio. Nemo unus, nemo, inquam, unus hujusce imaginis ante Marianum Scotum meminit: cujus quidem opinioni paucissimi adhæsere: tam etsi enĩ *Veronicam* multi appellarint imaginem illam, (id est *verãm iconam*, seu effigiem vultus Jesu Christi) perrari tamẽ *Veronicæ* eam esse dixerunt, idest mulieris illius, quæ in velo, quod Christo obtulerat, expressam recepit illius imaginem: nihil etiam omnino ab iis est dictum de ea lepra, a qua ut Tiberius sanaretur, dicitur ad Jesum legatos misisse. Refellitur denique eadem opinio facili solutione argumentorum, quibus illa innititur. Etenim vel ad aliam imaginem respiciunt ea monumenta; (c) vel si respiciunt ad eam imaginem, de qua agimus; vel tantum tradunt eam imaginem in veneratione fuisse, appellatamque *Veronicam*, quod admitti facile poterit, tam etsi fabellis annumeramus eã narrationẽ, quæ §. 1. & 2. superioris capitis descripta est. Quot enĩ Jesu Christi imagines colimus, easque veras divini illius vultus imagines esse dicimus? Vel denique, si eam narrationem approbant, recentia sunt, & Mariano Scoto, cui merito narratio ea adscribitur, posteriora.

(c) deceptũ in re hac fuisse P. Honoratũ *a S. Maria* nuper vidimus, vademque dictorum nostrorum esse diximus Sanctiss. Benedictum XIV. quem consule to. 4. p. 2. cap. 30. n. 12. pag. 305.

II. Neque vero illudi se sinunt cordati viri ab iis, quæ de Missali, & Breviario Ambrosiano narrantur. In Breviario Ambrosiano, quo nunc Mediolanensis Ecclesia utitur, nihil plane horum habetur (servassent autem officium istud, si ab Ambrosio ipse fuisset editũ) (*) At in eo ipso Missali, quod allegant, Missa quidẽ S. Veronicæ extat; at nihil eorum, quæ Marianus Scotus, aut Grimaldus *de Veronica* confinxere, in eâ adest. Non defuit vero, qui suspicaretur ex Evangelio, quod in ea legitur, Hæmorrohissæ memoriam in ea Missa fieri: quæ sane mulier *veram imaginem* Christo erexit: ideoque hanc *Veronicam* nonnulli ex veteribus appellarunt. En quæ præbet vita S. Barbatiani [*] *Quæ cum abiisset, notum factum est Beatissimo Viro Barbatiano de adventu mulieris ægrotæ, & elevans se ait mulieri; Dominus noster Jesus Christus, qui sanitatem*

(*) Habeo sane apud me Breviarium Ambrosianũ anno 1635. evulgatum, nullaque Veronicæ mentio in eo fit.

(*) ex antiquo Ravennati Lectionario excepta a Muratorio, addita est Historiæ Agnelli pag. 194. par. 1. to. 2. rer. Italicar. sed verba, quæ allegamus, extant pag. 197.

Veronicæ Mulieri præbuit, & eam a fluxu sanguinis liberavit, in ipsius nomine, & fiducia, tibi dico: surge &c. Responsioni huic robur ex eo addunt, quod si in Ecclesia aliqua mulieris hujus *Veronicæ* appellatæ, solemnis memoria celebrari debuisset, in S. Petri Vaticani Basilicâ celebrari ea debuisset. Porro testatur Bailet (*) nullam prorsus inter officia in eâ Basilicâ celebrata, hujus mulieris mentionem fieri. Atque hujus quidem Basilicæ exemplum opponi debet exemplis Ecclesiarũ illarum, quæ in divinis officiis, mulieris hujus *Veronicæ* dictæ meminerunt, & preces illi ac *sequentias* recitant.

(*) loco nuper allegato pag. 27.

III. Levissimũ est porro, quod nõnulli ad vetustatẽ hujusce persuasionis cõprobandã deinceps afferunt: *Veronicæ* scilicet nomen impositum fuisse puellis in baptismate, perinde ac aliarũ Sanctarum nomina: quod quidẽ minime factũ fuisset, nisi mulier illa extitisset *Veronica* appellata, quæ (uti crebro diximus) Christi faciem in velo illi oblato per miraculum expressam excepit: Levissimum, innuam, id est: etenim nomen istud circa ea tempora impositum noscitur, quo fabella illa, Mariano Scoto potissimo auctore, fidem apud aliquos obtinuit. Vetustiora sunt proferenda, non ex VIII., aut IX. seculo deprompta monumenta. Quãquã si quid simile iis, quæ paulo ante allegata sunt, ex vetustis etiã scriptoribus proferretur, inepta forent illa ad id, quod agimus, comprobandum. Unde nosti, eos, qui Veronicæ nomen puellæ imposuerunt, non respexisse potius ad Hæmorrhoissam, de qua nuper diximus, aut ad aliquam tibi ignotã causã, veluti quod vultum in aliqua imagine expressum referret illius puellæ vultus; aut quod baptismum receperit ea die, qua in Ecclesia solemnis agebatur memoria *Veronicæ*? (id est, imaginis alicujus, quæ verã divini vultus speciem referre putaretur.) Horum alterum porro indicatum fuisse ea nominis impositione, simillimũ veri est. Quod si fateris, tum statim corruit ea probatio, quæ ab hujusce nominis impositione desumpta est. Hinc Ecclesia, ne fabellam in Martyrologium inferret, narratiunculam eam, quæ ex Mariano Scoto desumpta est, & in Galesinii Martyrologium irrepserat, exulare voluit ab eo Martyrologio, quod a Baronio (eam opinionem, cui in annalibus adhæsisse visus est, (*) abjicente) editum, & a Romana Ecclesia excetump

(*) ad an. 34. §. 143.

ptum est. Quã ob rẽ, si Urbanus VIII. in epigraphe paulo ante descripta, priori illi opinioni adhæsit, privato judicio id fecit, non veluti Pontifex. Ea certe inscriptio, multoque minus Ferrarii auctoritas, minime Papebrochium retinuit, quo minus putaret confictã eam narrationem, quam verisimilem esse, aliquando fortasse censuit Henschenius. Miracula porro ad eam imaginem facta te non morentur. Pietas quippe Fidelium, coram Christi imagine eundem Christum deprecantium, ea obtinuit, non aliud quodpiam. Tibi autem incumbit, ut probes, propterea illa esse facta, ut vera ea ostendatur narratio, de qua ambigimus.

IV. His taman aptam solutionem adhibere se facile posse arbitrantur prioris sententiæ defensores: ajuntque mulierem illam *Berenicem* revera appellatã, dictã etiam fuisse Veronicam vel accomodato, ut ajunt, & adsciti tio nomine, (cui quidem occasionem dedit vera illa Jesu Christi icon, seu effigies velo expressa, & ab ea recepta; item fere ut *Dialogus* appellatus est a Græcis Gregorius a Dialogis quos conscripsit: & *Fælices*, *Coronati*, *Fideles*, & similibus nominibus appellati sunt deinceps ab Ecclesia Martyres illi, quorũ nomina ignorabantur, quod felicitatem æternam adepti sint; quod *coronam immarcescibilem* a Deo receperint; quod usque ad mortem Christo fideles extiterint) vel, uti paulo ante diximus, eodẽ plane nomine, amanuensiũ arbitratu, non nihil im̃utato.(*) At reliqua prosequamur.

(*) cap. 34. §. 1.

V. Num ea, quæ de Tiberio per eam imaginem ad sanitatem restituto narrantur, fabellam sapiant, an non, res est ad judicandum valde difficilis: & certe si ex Theologorum opinione dirimenda lis est, ægre dirimi poterit: utrimque enim acerrime disputatur. Sed quid opus est multis? fabellis adscribe eam narrationis partem. Ergo ne reliqua, quæ in eadem narratione traduntur, fabellis annumerabis, totamque dices narrationem illam meram febellam esse? Minime vero. Quot veris historiis adjunctæ minus probabiles narratiunculæ sunt? si sapis, has resecabis, historiam vero ipsam probabis.

VI. Ais porro, neminem ex veteribus historiæ illius meminisse. Fac verũ id esse (dum modo tamen haud recentes scriptores esse fatearis Methodiũ, quisquis is sit, Sigibertum, Marianum Scotum, Pe-

trũ

trũ Diaconũ Monachũque Montis Cassini, aliosque, quos recenset Doctissimus Honoratus *a S. Maria*) fac, inquã, verũ id esse: nũ propterea rejicienda narratio illa? Nihil minus. Periere fortasse vetera monumenta, ex quibus Scriptores illi narrationem hanc desumpsere. Fortasse etiã ex eo genere narrationum est, quæ vetustâ famâ, *& majorum traditione* ad posteros deductæ sunt. Tuæ partes sunt ostendere, a veteribus rejectam eam esse narrationẽ; nam ceteroqui facile respondebimus, argumentum negativum, quo tu inniteris, levissimũ esse.

VII. Tametsi porro narrationem eam Romano Martyrologio minime inseruerit Ecclesia, non propterea eã fabellis adscripsit. Quot sunt, amabo, quæ probabilia Critici ipsi arbitrantur, quæ tamen a Martyrologio absunt? Epistola ad Abgarũ scripta in horũ numero fortasse est, aliaque sexcenta. Pauca complectitur Martyrologium Romanum, eaque ipsa, quæ complectitur, fere ad Martyrum historiam spectant. Veronicæ nomen ad designandam sanctam illam mulierẽ, quæ velo divini vultus excepit imaginem, propterea fortasse a Martyrologio abesse voluit, quòd accomodatum, & adscititium, non proprium illud esset nomen. In Martyrologiis autem nomina propria poni consuevere. Sed si quid ex hac parte huic narrationi deest, suppletur auctoritate eorum Scriptorum, quos jam allegavimus, & inscriptione ab Urbano VIII. velo illi apposita. Utrum porro præstet ea sequi, quæ in Opere Bollandiano, ab Henschenio, an ea, quæ deinceps a Papebrochio sunt dicta, incerta res est; Mitius sane ii videntur agere, qui ea amplectuntur, quæ ad 4. Februarii diem tradita ab Henschenio sunt.

VIII. Re utrimqne disputata, judicet Lector, quod æquius duxerit. Mihi satis est ducem sequi crebro allegatum, sed nunquam pro merito laudatum Sanctiss., doctissimumque Pontificem Benedictum XIV. cujus verba honoris causâ in rem meam traho. (*) *Sive Veronica fuerit pia femina, quæ Sudarium faciei Domini admovit, sive Veronica unum, & idem sit cum ipso sudario, certum est, sudarium ipsum insignissimam esse Reliquiam, & multis ab hinc seculis cultum in Basilica Vaticana obtinuisse.*

(*) lib. 4. *de Canoniza.* par. 2. cap. 30. n. 22. to. 4. pag. 305.

CAP.

C A P. XXXVI.

Pauca attingimus circa simplices alias Jesu Christi imagines, ideoque ostendimus, jugiter perstitisse in Ecclesia morem, quo ejusdem Domini Jesu vultum, humanamque naturam tabulâ, aut marmore exprimimus.

I. AT ne quis objiciat, dubiis, suspectisque monumentis inniti nos, dum vetustatem, ac probitatem imaginum, Domini Jesu vultum, humanamque naturam tabulâ, aut marmore exprimentiũ vindicamus, alia ad eundem morem comprobandum statim adducimus, eaque (magna saltem ex parte) vetustissima monumenta.

II. Non hic quidem profero Antiochenam illã Synodum, quam ab Apostolis ipsis celebratam non pauci ajunt: in qua sane Synodo statuta hæc fuisse dicuntur: (*) *Non debere servatos circa idola errare; sed pro eis incontaminatam veri Dei simul, & hominis, Salvatorisque nostri Jesu Christi, & servorum ipsius; manibus efformatã imaginem contra idola, & Judæos erigere:* Non hic, inquam, hanc Synodum profero; quamvis enim illius verba ad id, quod agimus, comprobandum, aptissima esse videantur, & fautores eadem Synodus Turrianum, aliosque viros præclaros habuerit, (*) in Chrieicorum tamen offensionem incidit. (*) Non propterta tamen hunc Canonem sperno; novi enim, jam pridem, atqne expresse in Nicæna II. fuisse allegatum [*].

III. Non omittendus est tamen Eusebius vetustus, & accurratus scriptor, a quo quidem accepimus (*) *Mirandum non esse, Gentiles a Servatore nostro beneficiis affectos hæc præstitisse;* (statuam scilicet, sanitatis iis collatæ juge monumentum futuram, erexisse) *cum & Apostolorum Petri, ac Pauli, Christique ipsius picta imagines* ad Eusebii ipsius tempora (*a*) *servata conspicerentur:*

III. Ad primæva ipsa nascentis Ecclesiæ tempora sunt qui referant notissima illa Augustini verba: (*b*) *Pluribus locis Petrum, & Paulum una cum Chri-*

(*) Tom. 1. Concil. pag. 62.

(*) Baron. ad ann. 102. n. 19. & 20. Bini. to. 1. Conc. pag. 62. &c.

(*) Petav. *de incar.* li. 15. cap. 14. §. 5. & 6. &c.

[*] act. 1. *Gregorius Episcopus Pisinuntensium &c.* to. 8. pag. 710.

(*) li. 7. histo. cap. 14. editio. Christo. 18. Valesii, quo interprete utor.

(*a*) *ad nostram usque memoriam.*

[*b*] li. 1. *de consensu Evangelista.* cap. 10. aliàs n. 16.

Christo depictos visos fuisse, (a Paganis, de quibus antea locutus fuerat.) (c) Sed necesse non est ad tam vetustam ætatem ea verba referre; diu enim etiam post Constantini imperium perstitere Pagani, qui propterea eas imagines conspicere potuere.

(c) cap. 7. n. 11.

V. Probatissima porro apud eruditos sententia est, ea fragmenta vitreorum calicum, quæ in veteribus Christianorum cœmeteriis inveniuntur, ad tria priora sæcula referenda esse. Id scilicet aliis quidem argumentis, sed præsertim his duobus id comprobant Viri docti. Eam artem, & fabricationem exhibent, quæ exhibetur in iis vitris, & fragmentis vitreorum calicum, quæ ad priora Ecclesiæ sæcula referenda esse dubitat nemo. Id quippe indicant Ethnicorum fabulæ, & superstitiones in iis interdum descriptæ, aut certe indicatæ, quod deinceps caverunt mirum in modum Christiani. Cavebant nempe Christiani quarto, & quinto Ecclesiæ sæculo viventes, ne Gentilium numina, ac superstitiones exprimerent. Indicant etiam id vestes, & crines, muliebres præsertim, quos ita dispositos referunt ea vitra, uti secundo, & tertio Ecclesiæ sæculo mulieres disponere consueverant: id testatum facientibus illustrium feminarũ imaginibus ære, aut marmore expressis. Qua de re cum alii multi disseruerint, præclarissimã sane super hoc argumento navavit operã Vir egregius Senator Philippus Bonarota in eo laudatissimo libro, quem ad hunc modum inscripsit: *Osservazioni sopra alcuni frammenti di Vasi antichi di Vetro ornati con figure ritrovati ne Cimiteri di Roma*. Ad hæc: egregius, atque optimus Præsul Franciscus Blanchinus, (d) & ante eum Clariss. Boldetus (e) aptissimum argumentum suppeditant ad antiquitatem harum imaginum comprobandam. Scilicet invenisse se ajunt earum aliquas adeo Martyrum sanguine respersas, ut pars figurarum obtegeretur. Quo argumento quid inveniri validius poterat ad referendum *ad Martyrica* tempora (sic enim veteres appellarunt) harum imaginũ genus, & consuetudinem?

(d) in adnotationibus ad tomum II. Anastasii Bibliothecarii Romæ editum anno 1723. pag. 247. & 248.

(e) li. 1. ca. 39. pag. 212.

VI. Porro sæpe referunt vitra hæc Dominum Jesũ, vel sub boni pastoris, (ideoque sub humana specie) vel etiam sub ipsâ suâ expressâ formâ. Vide, obsecro, figuram I. tabulæ I. Tabulam etiam IV., & figuram I. II., & III. Tabulæ V. Secundam quoque

que

que figuram Tabulæ VI. Quin & figuram I. Tabulæ IX. Figuram etiam I. tabulæ XV. Denique tabulam XVII., & figuram I. tabulæ XVIII. quæque in eas imagines adnotat Vir ille Eximius. Lege pariter, quæ docet in animadversionibus in figuram, seu effigiem II., & III. Tabulæ XVIII., & in figuram, seu effigiem I. tabulæ XXI. (*f*) & rursus in animadversionibus in figuram, seu effigiem II. tabulæ XXI., & in figurâ I. tabulæ XXIII., & XXIV. (*g*) Quæ denique docet in animadversionibus in figuram, seu effigiem I. tabulæ XXVIII. (*h*) His addas velim alias ejusdem generis imagines vitreas in Cœmeteriis Christianorum repertas, quarum sæpe meminere Viri Clarissimi Aringus, Boldetus, aliique etiam de Romanis cæmeteriis agentes. Sæpe enim Christum vel sub ipsa expressa humana forma, vel saltem sub boni pastoris specie, exprimunt: quo in genere non contemnenda est effigies illa, quam refert egregius Franciscus Blanchinus, cujus nuper cum laude memini.

(*f*) pag. 126.

(*g*) pag. 155., & 156.

(*h*) pag. 185., & 186.

VII. Sed hæc, si vis, omittamus, sane si quid virium habet Anastasii Bibliothecarii auctoritas (*), ex eo discis, Romæ in Basilica Constantiniana factum fuisse *fastigium argenteum battutile, quod habet in fronte Salvatorem sedentem in sella in pedibus 5. pensantem libras* 120.

(*) in Sylvestron. 36.

VIII. De Constantino pariter agens (*) subinde hæc tradit idem Anastasius. *In labium fontis baptisterii* (substitue fecit Constantinus) *Agnum ex auro purissimo fundentem aquam, qui pensat libras* 30. *Ad dexteram Agni Salvatorem ex argento purissimo*.

(*) in eadem *Sylvestri vita*.

IX. Nec prætermittenda ea sunt, quæ accuratissimi Bosius, & Aringhius afferunt. Nonnulla ex iis seligo, quæ Aringhius cuncta Bosii monumenta expendens, sub oculos Lectoris ponit. In eo egregio sarcophago, quo cadaver Junii Bassii humatum est, semel atque iterum Jesus Christus in natura assumpta expressus est. Procul dubio porro antiquissimus idem sarcophagus est: (*b*) obiit quippe Junius Bassus (ut ex litteris marmori insculptis constat) *Eusebio*, & *Ypatio* Coss. ideoque anno vulgatæ æræ 359. Expressa quoque Christi effigies sculpta est in sarcophago Probi, & Probæ ipso pariter valde vetusto, & nobili. (*i*) Eandē effigiem conspicimus in antiquis aliis Christianorum sarcophagis, veluti in illis, cujus typum Aringus ex-

[*b*] to. 1. li. 2. cap. 10. pag. 177.

(*i*) pag. 181.

hibet pag. 289., & 293. & deinceps etiam (k). At manifestius in Basilicarum absidibus, aliisque præstantioribus templorum locis extare voluit Ecclesia eas, de quibus agimus, Domini Jesu imagines. In vita S. Petri senioris Ravennæ Episcopi (*) ab Agnello scripta hæc invenio: *Ibi* (in Ecclesia ab eo erecta) *asserunt affuisse imaginem Salvatoris depictam, quam nunquam similem in picturis homo videre potuisset, super Regiã, tam speciosissima, & assimilata fuit, qualem ipse filius Dei in carne non fastidivit, quando Gentibus prædicavit.*

X. In vita quoque Neonis (*) hæc idem Agnellus tradit: *Infra Ardicam B. Petri Apostoli, ubi imago D. N. J. Christi depicta est extenso brachio &c.*

XI. Ab Exuperantio Ravennæ Episcopo anno fortasse 400. constructum ait Ciampinus (*l*) nobile illud musivum, in quo Christus in Cathedra sedens duobus stipatur Angelis .(*m*) Ravennæ pariter in æde Ss. Nazarii, & Celsi, quam vulgus *Gallæ Placidiæ* appellat, visitur adhuc, neque uno in loco visitur, Christi Domini effigies, ejusdem (si Ciampino credimus (*n*)) Gallæ Placidiæ operâ expressa. (*o*) Similes alias Domini Jesu imagines Ravennæ pariter elaboratas tam crebro profert idem Ciampinus tom. 2. vete. monu., ut loca pigeat indicare. (*)

XII. Jam vero hic allegandus est Anastasius, qui de Xisto III. anno 432. in Pontificem electo sermonem habens, hæc scriptis tradidit: *Hujus* [Xisti] *supplicatione, obtulit Valentianus Augustus imaginem auream cum duodecim portis, & Apostolos duodecim, & Salvatorem in gemmis pretiosissimis ornatam super confessionem Beati Petri Apostoli.*

XIII. Romæ porro in abside nobilissimæ ædis S. Pauli, hujus modi Christi Domini imaginem posuit Leo I. doctissimus, & Sanctissimus Pontifex (*p*).

XIV. Huc pariter pertinet Salvatoris effigies in vetustissimo musivo Ss. Cosmæ, & Damiani expressa: (*q*) ea quoque quæ in Ecclesia S. Laurentii *extra muros* nunc etiam visitur: (*r*) item ea quam sæpe laudatus Ciampinus ex vetusto musivo expressit: tab. 31. tom. 2. (*s*) & tab. 76. tom. 1. *vete: monu.* (*t*) aliæque propemodum infinitæ, quarum typos idem Ciampinus exhibet.

XV. Affine his illud est, quod Anastasii paulo ante alle-

(*k*) Vide pag. 295. 297. 299. 301. 307. 317. 319. 321. & alibi sæpissime.

(*) cap. 1. pag. 56. partis 1. to. 2. rer. Italica.

(*) ca. 1. pag. 59. par. 1. t. 2. *Rer. Italic.*

(*l*) to. 1. vet. monu. cap. 20. pag. 184. sed de tempore quo Exuperantius vixit, vide Clarifs. editores Agnelli pa. 61. & 62. partis 1. to. 2. rer. Italic.

[*m*] Vide tab. 46. Ibidem.

(*n*) to. 1. vet. monu. cap. 23. pag. 224.

(*o*) Vide tab. 66. & 67.

(*) to. 2. pag. 63. tab. 17. &c.

(*p*) Ciampin. to. 1. ve. monu. tab. 68. cap. 24. pag. 230. Censet porro idem Ciampinus an. 441. musivum illud fuisse elaboratum.

[*q*] Vide quæ tradit Ciampinus t. 2. vet. monu. tab. 16. pag. 60.

(*r*) ibidem tab. 28. pag. 102.

(*s*) pag. 108.

(*t*) pag. 243.

allegati testimonio de Symacho Papa, quem anno 498. Pontificatum suscepisse ajunt, intelligimus. *Cameram fecit* (inquit Anastasius) *& Matroneum, & super confessionem imaginem argenteam cum Salvatore, & duodecim Apostolos posuit, qui pensabant libras centum viginti.*

XVI. Nec prætereas velim ea, quæ Aringus de cubiculis, quæ in veteribus Christianorum cœmeteriis reperta sunt, disserens sum̃a diligentia recenset, lectorisque sub oculos ponit, e quibus præclarissimæ videntur eæ esse Domini Salvatoris imagines, quas ex cubiculo quarto cœmeterii Callixti (x) refert.

XVII. Ad comprobandum autem quàm late per Ecclesiam jam pridem propagata fuerit hujus modi consuetudo, non leves vires habere videtur non modo id quod ex Augustino paulo ante protulimus, (*) verum etiam id quod Gregorius Turonicus de imagine Jesu Christi Cruci affixi narrat. (*) Eã scilicet *cum Judæus quidam in tabula pictam, ac parieti affixam in Ecclesia sæpe vidisset . . . telo ipsam imaginem verberavit . . . . . de vulnere, ubi imago transfossa fuerat, sanguis effluxit.* Capite vero subsequenti, [id est 23.] alterius imaginis Jesu Cruci affixi meminit in Ecclesia seniore Beati Genesii Martyris positæ, quæ velo jugiter permanebat obtecta. Quod si Christi Cruci affixi effigies Gregorii Turonici tempore, in Galliarum Ecclesiis servabatur, cur simplices Jesu Christi imagines, quæ antiquiores procul dubio fuerunt, servatas negabis?

XVIII. Ad hæc: inter collectanea Anastasii Bibliothecarii, quæ edidit Sirmondus, extat collatio S. Maximi Martyris cum Theodoro Cæsareæ Episcopo, in qua manifesto fit mentio imaginum Christi, & Virginis Mariæ. (y) „Et in his surrexerunt omnes . . . & „unusquisque ipsorum Sancta Evangelia, pretiosamque „Crucem, & imaginem Dei, ac Salvatoris nostri Jesu „Christi, atque Dominæ nostræ, quæ illum peperit, „Sanctissimæ Dei Genitricis salutaverunt.„ Simillima mox habentur. (z) Adde, si vis quæ ex Gregorio M. deinceps adducemus (*).

XIX. Sed cur in producendis hujusce moris exemplis insudamus; quando quidem veterum, ac præsertim Gregorii II. testimonio (*) aperte constat vivente ipso Christo cæpisse exprimi illius vultum, nec desiisse deinceps tã piam, utilemque consuetudinem?

(x) to. 1. pag. 561. tab. 1. Rursus tab. 4. pag. 575. n. 1.

(*) §. 3.

(*) li. 1. mirac. seu *de glo. marty.* ca. 22.

(y) to. III. col. 365.

(z) Ibidem col. 369.

(*) lib. 7. indict. 2. episto. 53. in editio. PP. S. Mauri lib. 9. epist. 52. *Ad Secundinum.*

(*) in episto. pri. ad Leon, Isau. t. 9. Conci. pag. 655. *Qui Dominũ cum vidissent . . . depinxerunt &c.*

CAP. XXXVII.

De iis Christi imaginibus, quas historicas *vocant: ac primo quidem de picturis Christum nuper natum, & in præsepi positum repræsentantibus: de quibus quidem picturis quæritur, an in iis bos, & asinus, non procul a cunis Domini Jesu exprimi laudabiliter possint: atque in hoc capite pronunciamus, vetustissimum eum esse morem, quem nostri Pictores servant, dum prope Domini Jesu in præsepi positi cunas, Asinum, & Bovem exprimunt.*

I. AC de simplicibus Christi imaginibus satis diximus. Historicas itaque aggrediamur. Cujus quidem tractationis nullum aptius, me quidem judice, desumi exordium poterit, quàm a picturis iis, quæ primordia vitæ a Christo Domino ad nos reparandos susceptæ, repræsentant, ideoque eum repræsentant nuper natum, & in præsepi positum. Statim porro multorum petitionibus me compulsum video, ut candide exponam, quid de eo more judicem, quem nostri servant pictores, dum Dominum Jesum in præsepi positum referunt; pingunt scilicet prope illius cunas Bovem, & Asinum. An laudabilis mos iste est, an vero indulgendum id iis est, quibus quidem

Quid libet audendi semper fuit æqua potestas?

Diu contendi, ut ab hac quæstione, non nihil ab argumento, quod ago, fortasse remota, abstinerem; sed demum illorum vicit desiderium, qui hanc a me exercitationem enixissime postularunt. Obsequor itaque eorum voluntati, aggrediorque celebratissimam temporibus nostris disputationem, num antiqua, ac probabilis sit ea consuetudo, quam pictores fe-

re

re ſervant, dum præſepe Domini referunt, pingentes ſcilicet prope illius cunas, Aſinum, & Bovem. Retinebo autem hic quoque eum morem, quem in problematicis quæſtionibus minus animoſi Theologi ſequi ſolent; ideoque utriuſque partis argumenta ſeorſim recenſebo, expendamque: tum demum exponam quid ego ſentio.

II. Statim autem vetuſtiſſimum eſſe eum, de quo agimus, morem, iis ipſis argumentis evinco, quibus id evicit Vir egregius Philippus Bonarota, de ſacra, profanaque hiſtoria optime meritus, & de quo teſtari rectiſſime poſſumus eum *nihil enunciaſſe, quod non veriſſimum ſit*. Is porro animoſe prorſus, & intrepide ait conſueviſſe priſcos Chriſtianos aſinum, bovemque prope Domini cunas exprimere; (12) rejicitque Lectorem ad monumentum, quod multo ante Aringus typis expreſſum ediderat.

III. Non me latet, putaſſe nonnullos Clariſſimos Viros ſpernenda eſse, ſi qua ſunt, hujus modi monumenta, vel quia pauca admodum raraque ea ſint, vel quia a ſculptoribus pictoribuſque deſumpta: quibus quidem ſæpe exprimere libuit, non quod factum eſt, ſed quod ipſi factum eſſe putarunt. Sed ut a poſtrema hac reſponſione incipiam, virorum iſtorum (quos plurimi equidem facio) pace dixerim, ſi vetuſtas icones, & reliqua hujus generis monumenta ſpernimus, iis nos privabimus argumentis, quæ ad vetuſtatem noſtrorum dogmatum, rituumque, plurimum valere docent Philippus Bonarota, aliique Viri doctiſſimi, ex quibus diſcimus ſummo in pretio habenda eſſe vetuſtiſſima hujus generis monumenta, cum ab iis noverimus proveniſſe, qui a fictione ſummum in mo-

(12) „ Vi ſono anco i due Animali, i quali, checchè ne „ dicano alcuni, è tradizione antica, che vi foſſero, „ come moſtrano queſti ſarcofagi, e lo confermano il „ Nazianzeno (1) e 'l Niſſeno; (2) il primo applicando al Preſepio di Gesù Criſto il paſſo d' Iſaia, e „ più chiaramente il ſecondo nell' Orazione nel Giorno del Natale. „ (*)

(1) Nazianz. orat. 38.

[2] Tom. 3. dell' Ediz. del Morelli p. 343.

(*) Hactenus Clariſ. Bonarota in calce pag. 71. libri illius, quem ad hunc modum inſcripſit: *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro* in explicatione figu. 2. tabulæ 9.

modum abhorrentes non doctas fabulas, sed veras historias tabulis referre, aut marmore studebant.

IV. Eos porro, qui allata a nobis monumenta spernunt, quod pauca admodū, ac rara ea esse censeant, sic revinco. Tametsi paucissima ea essent, adhuc non levē existimationem ea mererentur, ut pote erepta ab edacis temporis faucibus, quod nobis potiora fortasse eripuit vetustæ Christianæ pietatis, ac munificentiæ monumenta. Sed pernego, quod tu audenter ais: pauca scilicet, ac rara admodum esse ea, quibus fidimus, monumenta. An pauca esse dices quinque, aut fortasse sex valde vetusta Christianorum monumenta? Minime, ut puto: quippe probe nosti, hujus modi numerum ad faciendam fidē satis esse. Ea porro sic statim enumero.

V. Testatur sane Clarissi: Gorius [*] Anconæ servari Sarcophagum simillimum illius, quem ille ex Burghesia villa describit, ideoque exhibentem puerum Jesum in præsepi positum, quem halitu suo Bos, & Asinus foveant. Porro antiquissimus Sarcophagus iste est; humatus quippe est in eo *T. Corgonius* (seu Gorgonius) *Comes Largitionum Privatarum*, ad quē anno 386. a Valentiniano Imperatore directa lex est. (*)

VI. Rursus libro 2. Aringhi (*) (nā Aringhi, & Bosii accuratissimorū sane scriptorū, auctoritate ac testimoniis; hæc lis potissimū dirimenda est) plane exhibetur Dominus Jesus nuper natus, fasciisque, viminea in cuna, obvolutus, quē asinus, & bos halitu suo fovere videntur. Antiquissimum porro esse sepulcrum, in quo ista sculpta sunt, ex mirabili anaglyphorum elegantià innotescere puto. Consulat, obsecro, Lector monumentum ipsum ære ex Bosio, & Aringo expressum, palamque conspiciet quàm recte de eo enunciarit Aringus: *Pluribus quà veteris, quà novi testamenti historiis eleganter insculpta est* (*) (ea arca marmorea ex Vaticano cœmeterio educta.) Rursus libro 3. (*a*) simillima plane specie Jesus infans exhibetur; & hic pariter Bos, & Asinus, halitu suo puerum Jesum foventes, exprimuntur. Idem occurrit statim (seu pagina subsequente:) iterum enim exhibetur in eo Sarcophago puer Jesus, cui bos, & asinus obsequia (ut ita loquar) præstant. (*b*) Sed nec omittenda ea est præsepis imago, quæ in sarcophago marmoreo, cujus typum exhibet pag. 355. tom. 2. extat: quippe puer Jesus in præsæpi positus

(*) *Osservazioni sopra il S. Presepio*. pag. LXXXI. Id ipsum per litteras didici a Doctissimo Joanne Baptista Mauro, qui diligentissime eundem sarcophagum adhibita cerea accensa face inspexit.

(*) Vide quæ tradit Clarif. Maffejus tom. 5. *Osservazioni litterarie* pag. 194. & 195.

(*) cap. 10. pag. 295 to. 1. n. 6.

(*) pag. 294.

(*a*) cap. 22. pag. 615. tom. 1.

(*b*) Duo hi marmorei Sarcophagi ex cœmeterio S. Callisti prope Ecclesiam S. Sebastiani effossi dicuntur.

situs

situs in eodem sarcophago exprimitur, hic pariter adstantibus (si loqui ita volumus) eundemque puerum Jesum halitu suo foventibus bove, & asello. Possem equidem & alium adjungere superiori simillimum: illum nempe qui pag. 395. ejusdem tomi (c) occurrit. Sed ut candide, quod sentio, eloquar, vereor ne per errorem in typos illapsum, repetitus is sit: nimis enim priori similis est. Eos conferat Lector.

(c) li. 4. cap. 47.

VII. Sed quoniam antiqua monumenta producere cœpimus, alia quoque producamus. Sarcophagum huc pariter pertinentem allegat, & licet simillimum illius, cujus nuper ex Aringhio meminimus, diversum tamen esse putat Clariss. Antonius Franciscus Gorius, propterea quia (d) tam etsi eum exacte describat Aringus, nunquam tamen inscriptionem ullam exhibet, quæ procul dubio in eo adest sarcophago, cujus typus refertur ab eodem præclarissimo Gorio, ex quo etiam discimus extare Sarcophagum hunc (quem alicui Christiano fuisse positum animadverterat Clariss. Eques Franciscus Victorius) *in villa Burghesia extra Portam Pincianam*, eumque pene diffractum, & utroque latere deficientem, & mutilatum, ideoque haud multum ab interitu remotum fuisse equitis Hieronymi Odam jussu delineatum, atque ære expressum, ideoque posterorum memoriæ servatum. (e)

(d) *osservazioni sopra il S. Presepio* pag. xcvi. tab. 2. n. 2.

(e) Vide n. 17. pag. 93.

VIII. Sed, ut candide, quæ sentio, exponam, eundem prorsus esse puto sarcophagum istum, atque eum, quem Aringus li. 3. ca. 22. pag. 615. to. 1. exprimit. Testatur scilicet Aringus ipse sarcophagum illum in villa Burghesia fuisse positum. (13) Cum ergo & easdem plane figuras, atque imagines habeat, atque in eadem Villa Bur-

(13) „ Bini hi Sarcophagi marmorei (nisi forte unum, & „ priorem alterius operculum esse dicamus) in Calli- „ sti Cœmeterio reperiebantur, in præsens vero in Vil- „ la Burghesia extra Portam Pincianam visuntur. Fi- „ guræ, quas continent, hæ sunt:
„ Conspici in primis illic datur in sinu Virginis Ma- „ tris Deus infans, quem tres Magi adorant. Et paulo „ ulterius idem Christus in præsepio recubat, quem „ bos & asinus, ut Propheta in spiritu longe ante prævi- „ derat, Dominum suum agnoscentes, halitu suo veluti „ fovent. „

Burghesia sarcophagus hic, de quo Clarifs. Gorius loquitur, extet, haud immerito conjicimus eundem esse.

IX. At caret (inquit Clarifs. Gorius) inscriptione is, quem describit Aringus; eam contra habet Sarcophagus ille, qui nunc in eadem villa conspicitur, & quē diligenter exscripsit Eques Odam. Probabilem conjecturam hanc esse fateor; sed cum reliqua omnia concurrant, quibus persuadearis, eundem sarcophagum esse, (idque in primis evincant marmor, imagines, locusque) cur ob omissam ab Aringo inscriptionem induceris, ut diversum censeas? Aliqua enim a viris etiam accuratissimis interdum omittuntur, quæ deinceps supplentur ab aliis. Fortasse etiam propterea eam inscriptionem omisit Aringus vel quia perfectum sensum ex ea assequi minime potuit; vel quia in eo sarcophago nuper e cœmeterio eruto, difficillime apparebant litteræ, mucore ex diuturnis illis tenebris, humidoque loco, contracto, obliteratæ, ac pene delitescentes. Sed dum hæc suspicor, Viri Clarissimi, quem ex animo colo, & plurimi æstimo, conjecturæ laudabili nihil detractum volo.

X. Sed cur ab aliis allegata tantummodo profero, qui domesticum (sic enim illud appellare me posse censeo) qui domesticum, inquam, monumentum a nemine antea evulgatum jure, meritoque proferre possum? Eburneum Anaghyphum videlicet Bononiæ habemus, illudque Museum Cospianum servat, non prorsus absimile ab illo Dyptico, quod ære expressum egregiis annotationibus illustravit Clarissimus Philippus Bonarota. (*) (14) Portio enimvero nobilis cujusdam

(*) In calce libri illius, quem inscripsit *osservazioni sopra alcuni frammenti &c.*

(14) Anceps hæreo, ad quam ætatem anaglyphum hoc referam. Forma enim ipsa anaglyphi, & vestes Pastorum, qui in eo repræsentantur, vetustissimum illud indicant; sed ædificia, quæ in inferiori strato exprimuntur, recedere videntur a prisca præstantiori architectura: vestes quoque mulierum (si vestem mulieris advenientis excipias) a vetusto Romano more plurimum absunt; sed fortasse in ea Urbe elaboratum est anaghyphum istud, in qua non optimæ vigebant artes, aut artifex ædificia

s. Eccle-

dam Dyptici fortasse fuit, cujus pars altera aut temporis edacitate absumpta est, aut aliò deducta. Sic vero elaboratum est illud. Tribus veluti stratis, seu ordinibus (*) priores Evangelii historias ad Incarnationem pertinentes exprimit. Superior duas exhibet; Angelum nempe, qui Virgini Mariæ Divini Verbi incarnationem in ea peragendam nunciat; (*) & eandem B. Virginem Elisabetham illius consanguineam visitantem, & complectentem, ideoque Joannem in utero positum sanctificantem. Alter, nempe intermedius ordo Divini infantis ortum exhibet. In sinistra porro parte adest Virgo veluti jacens, sed haud ignobili veste ornata: eamque circulare quoddam, seu potius ovalis formæ stratum, bullulis veluti interpunctum ambit: quod nimbum, seu aliquid nimbo affine primùm esse credideram, sed lectulus potius videtur esse, in quo illa jaceat. Ad illius dexteram proximus sedet quasi cogitabundus, & admirans Joseph, nonnihil barbatus, ætatemque 50. annorum, me quidem judice, præferens. Subsequitur divinus infans vimineâ paupere cunâ positus, proxime adstantibus Asino, & Bove. Advenit autem mulier (mulierem quippe indicare videntur vestes; nam ex vultu id non dignoscitur:) veluti properans, & accurrens: subjacet illi latum quoddam vas, veluti concha, aut catinum. Mariæ vero subjacet alterũ minusculum vas manicatum, & ore haud lato, quod ad effundendam sensim aquam elaboratum videtur. Num id respiciat ad ea, quæ de S. Anastasia Virgini Deiparæ in partu obstetricante apocryphi quidam libri tradunt, (*) an non; lector judicet.

---

5. Ecclesiæ sæculo fieri cœpta indicat; memini enim me vidisse aliquando ædificia, quæ ad eam ętatem referuntur, quæ valde a prisca elegantia deficiunt. Quod autem ad mulierum vestes attinet, eæ fortasse exprimuntur, quas præstantiores fæminæ nostrarum Regionum incolæ, deficiente Romano imperio, adhibere cœperant. Qua de re judicent alii.

[*] *tre piani* Italice dicimus.

(*) oblongam Crucẽ defert Angelus; quẽ morem nonnihil inverterunt deinceps pictores, dum Angelũ candidissimum lilium manibus deferentem, expresserũt. Maria porro quæ sinistra fusum videtur detinere; dexterâ elatâ & apertâ veluti annuens efformatur. Ad sinistram illius parte subiectum est vas, quo quidem, quid contineatur, ignoro: Sed fortasse eo indicatur linea supellex, ad quam elaborandam, dum ab Angelo visitata est, intẽta fingitur Virgo: fortasse etiam ignis exprimitur: tum porro symbolicum quoddam, & mysticũ denotatur.

(*) Vide quæ tradit Sanctissi. Benedict. XIV. in annota. ad diem 25. Decem: ad II. Missam: n. 628. quibus ea adde quæ in Menologio Basilii ad eandem diem repræsentantur.

Tertium denique ſtratum tres Paſtores ab Angelo ad præſepe accitos continet, ideoque quaſi perterrefactos, & ſtupidos. Ecce breviſſimam eburnei illius, quod dixi, anaglyphi, ſed, niſi me memoria fallit, veracem deſcriptionem. Hoc ipſum eburneum anaglyphũ typis, ut ſpero, aliquando dabitur, eamque in ſpem me erexit eruditus Abbas Joannes Hieronymus Caroli, cujus hortatu hoc ipſum eburneum anaghyphum, quod paucos ante dies is viderat, diligenter inſpexi, multiſque laudibus, & illuſtratione digniſſimum iudicavi.

XI. Monumentis porro his omnibus antiquius eſſe videtur vitreum illud Anaghyphum, cujus typum diligentia, atque induſtria Clariſsi: equitis Hieronymi Odam, delineatum, atque ære expreſſum typis edidere Viri præſtantiſſimi Moniglia, & Antonius Franciſcus Gorius, (*) qui etiam publici juris fecit brevem illam, nitidamque atque elegantem explicationem, qua deſcriptas in eo imagines illuſtravit eximius Eques Franciſcus Victorius. Eam porro in rem meam deducere, valde conveniens reor. „ *Praeſtantior longe* „ *eſt altera imago, quae alias valde majori modulo in* „ *vulgus emiſſa fuit, ex anaglyphis antiqui Vitri, Ora-* „ *culo Prophetae inſcripto* (*f*): Cognovit Bos poſſeſ- „ ſorem ſuum, & Aſinus Praeſepe Domini ſui: *ibi-* „ *que videre eſt Chriſtum jacentem in Praeſepio in me-* „ *dio duorum animalium, quae ligneis tranſtris, ſive cla-* „ *thris diſcernuntur, faſciiſque involutus eſt. Ad-* „ *ſtat Virgo Mater in lectulo rudi, ſeu potius ſca-* „ *mno ſedens, ut alibi in lectulo ſedens, (g) vel in-* „ *terdum etiam decumbens occurrit (b). Dextera* „ *manu Praeſepio innixa eſt ad caput Pueri, ſiniſtra ſu-* „ *pra ſe. Tunica induitur ad pectus religata, veloque* „ *patrio more caput, ac circum amicitur (i) linteolis* „ *(pari fortaſſe conſuetudine, tamquam recens a puerpe-* „ *rio) ab utero ac lumbis ad pedes conſtricta, ut Filii* „ *Dei Incarnationis myſterium infidelibus hac forma abſ-* „ *conderetur (k). Nimirum, quod ita pictum vel ſcul-* „ *ptum Virginis Mariae partum ſpectantes, neque intelli-* „ *gentes opus Spiritus Sancti, a Fidei Sacramentis minus* „ *abhorrerent. Alii vero putant, Hieronymi teſtimonio* „ *adverſus Helvidium, hunc morem ita depingendae Chri-*

„ *ſti*

[*] n. 3. pag. 35.

(*f*) *Iſaiae Cap. I. verſ. 3.*

(*g*) *Romae in Abſide Baſilicae S. Mariae Trans Tyberim, opere vermiculato.*

(*b*) *Veronae in Aede S. Joannis in Fonte. Maffei Verona illuſtrata Par. III. Cap. III. col. 64. in fol.*

[*i*] *Adi Tertullian. in lib. de Coron. Milit. Cap. IV. & de velandis Virginibus Cap. II.*

(*k*) *Ad diſciplinam Arcani id referendũ videtur, quemadmodum Hieronymus (Commentariorum in S. Matthaum Lib. I. Cap. I.) ceteris argumentis, quare Chriſtus non de ſimplici Virgine, ſed de deſponſata conceptus eſſe dicatur in Sac. Bibl. Codice, addit Ignatii Martyris opinionem, nempe,* ut partus eius celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, ſed de Uxore generatum. *Porro infideles, filii diaboli ſunt, &c.*

" *sti Nativitatis ex Libris Apocryphis emanasse. Joseph*
" *sedet cogitantis habitu, scilicet altera manu mento sub-*
" *posita* (l); *altera vero pallium relegens, quo circum-*
" *volutus est supra togam. Luna noctis typus conspici-*
" *tur, quae venerabili mysterio complementum dedit, dum*
" *in suo cursu medium iter perageret: & Stella crinita,*
" *Magorum adorationi praevia, Christi manifestationem*
" *indicit, & aperte declarat. Sane in iis Imaginibus,*
" *nimbus Pueri, tantum Cruce distinguitur. Monimentum*
" *huic adsimile exstare compertum mihi est apud Nobiles*
" *de Trautson: atque aliud vidisse memini apud eximium*
" *& praestantem ingenio Virum Paullum Sabbatinium Bu-*
" *lielli, Marci Antonii Sabbatinii magni Antiquarii hae-*
" *redem ex asse.* Censet porro eruditissimus Gorius medio fortasse tertio Ecclesiæ sæculo fuisse vitrum illud elaboratum. [15]

[l] Pausan. Lib. X. ubi de Antilocho in Inferno a Polignoto depicto. -- Agostini delle Gemme Par. I. Tav. 110. ediz. del Cav. Paolo Alessandro Maffei. -- Buonarotti Osservazioni Istoriche sopra i Medaglioni. pag. VIII. e IX.

XII. Cave vero putes desiisse subsequentibus temporibus morem eum, quem a veteribus Christianis servatum diximus; ut scilicet prope nuper nati Jesu cunas exprimeretur asinus, & bos. Eum postea etiam perstitisse subsequentium temporum monumenta declarant. Neque vero necesse est ea recensere, cum valde nota sint, & nulla fere inveniatur Dominici præsepis imago, aut descriptio, quæ bovem, asinumve prætereat. Et ego sane poscenti ostendam valde vetustum officium B. V. Mariæ, (cujus alibi memini) (*) in quo manifesto Asinus & Bos prope Domini cunas exprimuntur.

(*) cap. 28. §. 7.

XIII. Neque hæc Latinorum tantummodo consuetudo fuit, & constans ritus. Apud remotissimos Mesopotaniæ incolas, [*] apud Græcos, apud Mo-

(*) Gori osser. pag. 49., & 50.

X 2 scos

(14) " In questo stesso tempo stimo molto probabile, che
" sia stato lavorato questo insigne Vetro del Mu-
" seo de' Signori Vettori di Roma, o intorno alla
" metà del secolo terzo, o poco dopo, sul riflesso,
" che in quel tempo vieppiù si erano dilatati gli er-
" rori nefandi insegnati da Marcione, Basilide, Apel-
" le e Valentino, e da altri Eresiarchi, come ho det-
" to di sopra: intorno a che mi rimetto al giudizio
" de' più savj e dotti Letterati. " Hæc Clariss. Gorius pag. LXXXII.

ſcos eadem conſuetudo pariter viguit, cujus quidem rei pauciſſima, ſed ea indubitata argumenta indicabo. *Ephemerides Græco-moſcas* evulgavit Papebrochius Bollandi continuator. Inter icones vero in eo libro ære expreſſas videbit Lector præſepe Domini ex valde vetuſto exemplari deſcriptum. (*) At Græcas ſane picturas non adeo infrequentes habemus, ut ea de re dubitare poſſimus. Præter eam quam habet Papebrochius, (*) unam tantum hic indicabo, quam præfert celebratiſſimum Baſilii Menologium, Urbini, præclariſſimi Cardinalis Albani cura editum. Palam ſcilicet in iis Dominus in paupere cuna exprimitur, eum foventibus halitu ſuo bove, & aſino. (*)

(*) to. 1. Maji, ad diem 25. Decembris pag. 58.

(*) Ibidē p. 56. Eandē imaginem rurſus habes pag. 27. *Propylei apparatus ad Chronolog. Pontificii.*

(*) ad diem 25. Decemb.

C A P. XXXVIII.

Ea aſſerimus veterum teſtimonia, quæ vel teſtantur, prope Domini Jeſu cunas extitiſſe brutos animantes, vel expreſſius affirmant, Bovem illos fuiſſe, & Aſinum: quæ quidem teſtimonia Romani Breviarii verbis comprobamus. Denique ad id confirmandum (præter brevem animadverſionem in ea Scripturæ loca, ad quæ illi reſpexiſſe videntur) non levem conjecturam, recentiorum quoque interpretum, ac Theologorum auctoritatem adjungimus.

I. JAm vero Patres, vetereſque Eccleſiæ Scriptores recenſendi ſunt, qui ſuperiori capite vetuſtarum imaginum, ac utriuſque Eccleſiæ conſenſione quadam, atque auctoritate firmatam conſuetudinem verbis ſuis ac teſtimonio comprobant; quatenus videntur tradere verum Bovem, & Aſinum prope Domini cunas adfuiſſe. Ac primum quidem eos profero veteres Scriptores, qui tantummodo aſſeruere, prope Domini cu-

nas brutos extitisse animantes; quinam vero ii forent, reticent; tum eos adducam, qui expresse Bovis, & Asini meminere. Atque ut a primis exordiar, extat sane inter Lactantii opera carmen, quod *de passione Domini* inscribitur, quod Lactantio ipso minime indignum arbitratur egregius Tillemont (*) his clarissimis in rem nostram versibus.

Horrida prima mihi in terris magalia Judæ
Hospitia in partu, sociæque fuere parenti:
Hic mihi fusa dedit bruta inter inertia primum
Arida in angustis præsepibus herba cubile.

Copiosior est, nec minus disertus, aut perspicuus Prudentius, cujus quidem sententia in hoc, quo de agimus, argumento, expressissima est. His porro verbis Christum invocat ille (a)

Oh sancta præsepis tui,
Æterne Rex, cunabula,
Poplisque per seclum sacra,
Mutis & ipsis credita!
Adorat hæc brutum pecus,
Indocta turba scilicet,
Adorat excors natio,
Vis cujus in pastu sita est.
Sed cum fideli spiritu
Concurrat ad præsepia
Pagana gens, & quadrupes,
Sapiatque quod brutum fuit:
Negat patrum prosapia,
Perosa præsentem Deum &c.

quibus quidem postremis versiculis apertissime indicat, *litteraliter*, non *allegorice* eum velle accipi animalia illa, de quibus loquitur: distinguit enim a gentilibus: *pagana gens*, & *quadrupes*; & ab obsequio non modo a paganis, verum etiam a brutis ipsis animantibus Christi cunis delato, Judæorum pervicaciam coargui ait, qui Christum Deum fateri recusant.

Sed cum fideli spiritu &c.
Negat Patrum prosapia
Perosa præsentem Deum &c.

II. Sed jam afferenda sunt Patrū testimonia, quibus expresse, & nominatī, bovē, & asinum prope Domini cunas adstitisse monemur. Ab Origene auspicemur, vetustissimo enimvero scriptore. Hæc porro ad id, quod agimus,

(*) ,, Le poëme de ,, la Passion est fort ,, beau; & pourroit ,, estre attribué à ,, Lactance, s' il y ,, avoit quelque ap- ,, parence que l' on ,, mist dès ce temps ,, là un Crucifix au ,, milieu des eglises, ,, comme nous fai- ,, sons aujourd' hui. ,, (to. 6. histo. eccle. pag. 211. edit. ene.

(a) in li. Cathemeri. hymno *ad Kalendas Januarias* v. 78.

mus, maxime idonea ait (b): „ Quia festinantes venerant, & non pedetentim, neque fesso gradu, „ ideo invenerunt Joseph dispensatorem ortus Dominici, & Mariam, quæ Jesum fudit in partum, & ipsum Salvatorem jacentem in præsepio. Illud erat, „ de quo propheta vaticinatus est dicens: Cognovit „ bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini „ sui. „

III. Origenem subsecutus est Hieronymus, vetustus ipse quoque, & Origene probatior scriptor. Sic porro ille de Paula loquitur; (c) „ Inde Bethleem ingressa, & in specum Salvatoris introiens, postquam „ vidit sacrum Virginis diversorium, & stabulum, in „ quo agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ut illud impleret, quod in eodem „ Propheta scriptum est. &c. „

IV. Eadem Nyssenus his verbis affirmat. „ (d) Medium igitur in Præsepi se inter bovem, & asinum, „ utriusque Dominus locat. „

V. Eadem fuisse creditur Nazianzeni sententia: etenim & id videtur asserere, & id quod asserit, Isaiæ auctoritate comprobare, cum hæc inquit. (e) „ *Cognosce, ut* „ *bos possessorem tuum*, Isaias te admonet, & ut *asinus* „ *præsepe Domini tui*.

VI. Idem dic de Paulino Nolano. Etenim hæc ait: (f) „ In Bethleem quoque, ubi agnoverat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. „

VII. His adjungendus est Chrysostomus, (g) cujus hæc est allegati ab superioribus Patribus, Isaiæ testimonii explicatio. „ Quare in præsepio? Ut compleretur vaticinium Isaiæ Prophetæ: *cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*. Scriptum „ est in alio loco: *Homines, & jumenta salvabis, Domine*. „ Si homo es, panem comede; Animal es? ad præsepe accede. „ Quasi diceret: Si, quod hominem decet, ratione uteris, accede ad Christum. Sin minus, neque ratione uti scis; tamen accede, & Christum in præsepe positum reverere, irrationalium animalium secutus exemplum. Affinia tradit *in laudatione S. Stephani*.

VIII. Tum, qui hos omnes antiquitate superat, Cyrillus Hierosolymitanus in eundem sensum hæc eloquitur: „ (h) Audistis rursus Habacuc dicentem ad Dominum: „ *Cum appropinquabunt anni, agnoscetur; & cum advene-* „ *ris*

(b) hom. 13. in Lucam prope finem.

(c) in episto. ad Eustochium olim 27. ca. 4. In Veronen. edit. 108. n. 10.

(d) in die Nata. Domini to. 3. pag. 339. at verba, quæ alleganrur, extant pag. 349.

(e) orat. 38. pag. 623. to. 1.

(f) in epist. olim. 11. nunc 31. *ad Severum* n. 3.

(g) hom. 2. in Lucam aliàs *de nativitate Domini*: pag. 432. edit. Venetæ apud Sessam an. 1574.

(h) Catech. 12. n. 9. editio. Oxon. Thomæ Milles.

„ *rit tempus, demonstrabitur*. Et quod signum est, Pro- „ pheta, venturi Domini? Ille autem tunc dicit: *In* „ *medio duorum animalium cognoscetur*, hoc ad Dominū „ dicens manifeste.

IX. Adduci etiam, nec immerito, solet, sive Prosper, sive alius quispiam vetustus & doctus scriptor cui debemus librum *de promissionibus*: (*) is enim Isaiæ & Abacuch verba de veris, non de allegoricis animantibus, ideoque de bove, & asino, videtur accipere.

X. Claudat hæc testimonia Romani Breviarii auctoritas: siquidem in eo hæc recitare jubemur. (i) „ Benedicta & venerabilis es virgo Maria, quæ sine „ tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: Jace- „ bat in præsepio, & fulgebat in Cælo. Domine „ audivi auditum tuum, & timui: consideravi ope- „ ra tua, & expavi: in medio duorum animalium. „ Alibi etiam. (k) „ O magnum mysterium, & admira- „ bile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum „ natum jacentem in præsepio. „ Si in medio duorum animalium Christus in præsepio positus dicitur, quænam alia fuisse dices animalia illa, nisi bovem, & asinum, de quo disserimus

XI. Atque his quidem Patrū, atque adeo Ecclesiæ ipsius testimoniis constat, ea, quæ de bove, & asino circa Domini Jesu cunas positis, dicta sunt, haud temere fuisse tradita. Innititur scilicet hæc sententia tum aliis quidem probationibus, tum præsertim duobus propheticis testimoniis, nempe vers. 3. capitis 1. Isaiæ, & vers. 3. capitis 3. Abacuch: prout versiculum illum LXX interpretes ex hebræo verterunt: idest *in medio duorum animalium cognosceris*: adeo ut non modo Patrum testimoniis, verum etiam Scripturarum auctoritate fundata sit ea opinio, quæ censet, bovem, & asinum nuper nato Domino, & in cunis posito, adfuisse. Sic porro verba Isaiæ sumunt Viri præclarissimi, quorum explicationem comendat, illustratque Cornelius a Lapide, (l) a quo etiam non leve suffragium excipit ea explicatio, quæ vers. 3. capitis Habacuch vertit: *In medio duorum Animalium*; atque illa quidem animalia eadem esse vult, in quorum medio jacuit Christus nuper e Virgine natus. „ Octavo, & optime „ (inquit ille) *in medio duorum animalium*: idest in „ præsepio inter bovem, & asinum agnoscêris, ô Chri- „ ste,

(*) lib. 3. *promis.* seu cap. 5.

(i) in respons. lectionis III. secundi Nocturni in die Circumsionis.

(k) in respons. lectio. 1. secundi Nocturni nativita. Domini.

(l) In locum hunc. Habacuch.

,, ste, cum in Carnem, & Mundum venies juxta il-
,, lud Isaiæ 1. 3. *Cognoscet Bos possessorem suum, &*
,, *Asinus præsepe Domini sui*, quod Patres, quos ibi ci-
,, tavi, intelligunt de Christo reclinato in præsepio in
,, ter bovem, & asinum. Ita Ecclesia hunc locum
,, accipit in officio nativitatis.,,

XII. Cornelium a Lapide Ribera præcesserat. Etenim hæc ille scribit, [m] ,,Nos verissimam illam, ,, ac simplicissimam (*) arbitramur, quam Ecclesia ,, amplexa est, & rei exitus comprobavit, & quæ ,, verborum proprietatem maxime servat; de duobus ,, animalibus, inter quæ natus Christus Deus noster ,, jacuit in præsepio; & a pastoribus cognitus est. ,, Nam in officio Circumcisionis canit Ecclesia: Do- ,, mine audivi &c. ,, Tum hæc subjicit; Quare sub- ,, tile potius est, quàm verum, quod Eusebius &c.

XIII. Ac valde quidem id verisimile esse, ex eo persuademur, quod nihil facilius est, quàm quod in præsepe in loco a peregrinis, & advenis frequentato (uti erat Bethleem) asinus, aut bos, aut sæpe uterque simul, adsint. An nescis, hospitia publica, præsertim in Oriente, non minus ad homines, quàm ad Animantes recipiendas, atque in iis pascendas fuisse constructa? Cur ergo vacuum, & bestiis omnibus destitutum fuisse vis locum illum, qui tamen *præsepe* appellatur? An jubes vacua bestiis esse præsepia? An inconveniens, atque absonum esse putas, quod Christo in cunis posito obsequia sua brutæ animantes adhibeant, suumque noscant Dominum? Id sane minime absonum, neque inconveniens visi sunt putasse aut Patres illi, quos nuper retuli, aut Ecclesia ipsa, quæ *in medio duorum animalium* jacuisse vagientem Dominum testata est.

XIV. En paucis comprehensa omnia illa argumenta, quibus adducuntur Viri egregii, ut putent, prope Domini cunas revera asinum, & bovem extitisse: Quinam hi sint, exposcis? audite statim. Canisius, (n) Ribera, Baronius, Honoratus a S. Maria, Sandinus, Ayala, Graveson, Eminen. Gotti, Joañes Laurentius Berti, (o) & qui sapientiæ, prudentiæ, doctrinæque laude, non dignitate tantum, Catholico Orbi præfulget, Benedictus XIV. (p) aliique etiam in Theologicis studiis exercitatissimi.

(m) In allegatũ Habacuch locum.

(*) (interpretationem.)

(n) de corrupte: U. D. to. 2. li. 4. cap. 10. ubi inter cetera hoc disticum veluti a Christo Domino nuper orto pronunciatũ, adducit: *Aula mihi stabulum: thalamus præsepia: fœnum lectus: & excubitor bos, asinusque datur.*

(o) to. 5. Theolo. seu li. 20. de Theolo. discipli. cap. 4. n. 1. pag. 511.

(p) in annota. p. 1. in die Nata. Domi. §. 640. in quo quidẽ antecessorum Theologorum loca allegat.

CAP.

CAP. XXXIX.

Enumeratis ſcriptoribus iis, quibus maxime diſplicet, prope cunas Domini Jeſu, Aſinum, & Bovem exprimi, ſolutiones ab iis ſuperioribus argumentis adhibitas afferimus.

I. AT his non deterrentur, qui ſecus ſentiunt; Eraſmus ſcilicet, (*a*) Caſaubonus, (*b*) Tillemont, (*c*) Baillet, (*d*) Montacutius, (*e*) Baſnagius, (*f*) Calmet, (*g*) & Serry (*h*). Porro ex iis adhibitas ſuperioribus argumentis ſolutiones didici: quibus etiam (ne quid diſſimulem) nonnullas animadverſiunculas (ſi appellare ita ſinis) addere libet, quas ex domeſticis litteratorum colloquiis, hoc ſuper argumento habitis, excepi. Sic vero diſputant. Argumenta, quæ allata ſunt, ſi expendantur, revocari facile poſſunt, vel ad teſtimonia Scripturæ ſacræ, vel ad teſtimonia deſumpta ex Patribus, vel demum ad teſtimonia deſumpta ex Breviario Romano: (id enim, quod ex conjectura poſtremo loco deſumitur, tam leve eſt, ut refelli non ſit neceſſe:) At his facile occurritur. Quod attinet ad Scripturæ teſtimonia, duo illa ſunt: Verſiculus ſcilicet tertius capitis 1. Iſaiæ. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: me autem Iſrael non cognovit &c.* & verſ. 2. capitis III. Habacuch: ubi enim legitur in vulgata: *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies &c.* legunt Septuaginta: *cum appropinquabunt anni, agnoſcetur, & cum advenerit tempus, demonſtrabitur. In medio duorum animalium cognoſcetur.* Quæ quidem animalia ea fuiſſe ajunt, quæ ad illius præſepe adſtiterunt. At hæc facillime in alienum ab his interpretibus ſenſum deducuntur. Primum ſcilicet (*) vel litteraliter jubes accipi, vel allegorice. Si littera-

(*a*) in annot. in hym. Prudentii nuper allegatum.
(*b*) exerci. 2. ad an. 1. Baroni. n. 3. pag. 148.
(*c*) anno. 5. in Jeſu. Chri.
(*d*) in Vit. SS. 25. Decem. n. 3.
[*e*] par. 1. Orig. Eccleſ. n. 30.
[*f*] ad an. 5. ante Chriſtum n. 11.
(*g*) in Luc. cap. 2. 2. 7.
[*h*] exerci. 30. §. 4.

(*) deſumptum nempe ex v. 3. capitis 1. Iſaiæ.

liter, hic illius loci sensus est. ,, Ego eos adoptavi
,, in filios, & feci populum peculiarem, & partem
,, meam, ac funiculum hæreditatis meæ, appellavique
,, eos primogenitos: illi autem ne hoc quidem fece-
,, runt, quod bruta faciunt animalia, ut beneficiis vin-
,, cerentur, & intelligerent pastorem, ac nutricium
,, suum. Nec comparavit eos canibus, quôd sagacis-
,, simum genus animantium est, & pro parvo cibo do-
,, minorum tecta defendit: sed stolidioris sensus bo-
,, vi, & asino, quorum alterum carpenta trahens, du-
,, rissimas terræ glebas vertit vomere, alterum portat
,, onera, & hominum in gradiendo laborem temperat:
,, unde & jumenta appellantur ab eo quod juvent ho-
,, mines. Potest hic locus & de Deo Patre intelligi:
,, sed magis refertur ad filium, quod non cognoverit
,, eum, neque susceperit populus Israel. ,,

(*) in locum hunc.

II. Hactenus Hieronymum audistis, (*) cujus verbis ipsis uti volui, ne viderer hæc temere atque inconsulto proposuisse. Itaque cum eo spectet Isaias, ut hebetudinis, tarditatis, atque adeo incredibilis dementiæ Judaicum populum redarguat, exemplo utitur brutarum animantium, quæ præsepe suum sciunt, & ad illud sponte revertuntur, probeque norunt dominum illum, a quo pabula accipiunt; cum tamen Judaicus populus veram domum suam (patriam nempe cælestem) non agnosceret, nec verum esse Deum nosset illum, a quo reficiebatur, & terra *fluente lacte & melle* ditatus fuerat. Utitur autem aptissime peculiari exemplo asini, & bovis; quia bos tardum atque hebes animal est: asinus vero animalium omnium stupidissimum esse creditur. Quam ob rem hebetissimi fuerint necesse est Hebræi, si ea, quæ bos, & asinus exhibere cognitionis argumenta noverant, minime exhiberent.

III. Hoc porro argumentandi genus haud insuetum Prophetis est. Illud sane persequitur Jeremias, incredibilis hebetudinis eundem populum Hebræum coarguens: dum enim Milvus, & Turtur, & Hirundo, & Ciconia præscripta tempora noscunt, & servant, Hebræi imminens Domini judicium minime assequebantur. (*) *Milvus in Cælo cognovit tempus suum: Turtur, & Hirundo, & Ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.*

(*) cap. 8. v. 7.

IV.

IV. Quod si allegorice locutum prophetam existimas, tum prorsus a præsepi Domini asinum, & bovem abfuisse dices. Allegorice tamen locutum fuisse prophetam, cum perspicuis, tum crebris optimorū Parum testimoniis evincimus. Non obscurum, ut puto, scriptorem Ambrosium dices, qui tamen apertissime in allegoricum sensum allegata Isaiæ verba deducit (*i*). „ Quia in pannis est, (Christus) vides; quia in cælis „ est, non vides: infantis audis vagitus, non audis bovis „ Dominum agnoscentis mugitus: *agnovit enim bos* „ *possessorem suum, & asina præsepe Domini sui*; imo *præ-* „ *sepium* dixerim, sicuti scripsit qui transtulit, nihil e- „ nim apud me distat in verbo, quod non distat in sen- „ su . . . . Denique asinam illam irrationabilē „ non fuco deliciarum, sed succo naturalis alimoniæ „ præsepia sancta paverunt. Hic est Dominus, hoc „ præsepe, quo nobis divinum mysterium revelatum est: „ irrationabiles gentes, pecudum juxta præsepia more „ viventes, alimoniæ sacra ubertate pascendas! Agno- „ vit ergo asina, species scilicet, & forma Gentilium, „ præsepe Domini sui. Et ideo dicit. (*) *Dominus* „ *pascit me, & nihil deerit*. „

(*i*) lib. 2. commentario. in Lucam n. 42. pag. 1296. to. 1. editio. PP. S. Mauri.

(*) Ps. 22. 2.

V. Similiter in allegoricum sensum eadem Isaiæ verba deducit Nyssenus, cum hæc ait: (*k*) „ Præ- „ sepe vero, in quo Verbum gignitur, bestiarum est do- „ mus, ut cognoscat bos possessorem suum, & asinus „ præsepe Domini sui: per bovem intellige illum, qui „ legis jugo subjectus est: per asinum autem, quod est „ animal ferendis oneribus natum, eum, qui simula- „ crorum cultus onustus est crimine . . . . . . „ Quod autem ratione præditum est animal, vescitur pa- „ ne. Idcirco in præsepi, quod est animalium ratione va- „ cantium sedes, e cælo delapsus vitæ panis proponitur, „ ut & quæ a ratione remota sunt animalia, rationis cibo „ nutriantur, atque ita ratione decorentur .... Ut medium „ parietē maceriæ solvens duos condat in semet ipso, in „ unum novum hominē, ab altero grave legis jugum eri- „ piens, alterum simulacrorum cultus onere liberans., ,

(*k*) orat. *in diem Nativita. Christi* pa. 349. to. 3.

VI. In eandem sententiam descendisse visus est, aut certe parum ab ea abfuit Augustinus, dum (*l*) Judæos bovis typo, Gentiles vero per asinum repræsentatos fuisse docet. Sed ipsa met Augustini verba pro-

(*l*) serm. 6. in Epipha. in serie 204.

(*) n. 2.

ferre libet. (*) ,, Qui audierunt, & obedierunt, hinc
,, atque inde utrique venerunt, pacem tenuerunt, ini-
,, micitias finierunt: utrorumque primitiæ pastores, &
,, Magi fuerunt. In eis cœpit bos cognoscere pos-
,, sessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Ex
,, Judæis animal cornutum, ubi Christo crucis cornua
,, parabantur. Ex Gentibus animal auritum, unde
,, prædictum erat: *Populus, quem non cognovi, servivit*
,, *mibi, in auditu auris obedivit mihi*. (*) Ipse namque
,, possessor bovis, & Dominus asini in præsepi jacebat,
,, & ambobus alimentum commune præstabat. ,,

[*] Ps. 17. 45.

VII. Eadem prorsus tradit Chrysologus,
quem docentem audire vos volo. (*m*) ,, Acce-
,, dunt illi de proximo, hi veniunt de longinquo:
,, utrique tamen ad unum eundemque fidei locum
,, pia devotione conveniunt: ibique regem Chri-
,, stum appositum ante duo prophetica illa jumenta,
,, duorum videlicet populorum typum, figuramque ge-
,, stantia intuentur, admirantur, agnoscunt. *Agno-*
,, *vit enim bos possessorem suum, & asinus præsepe*
,, *Domini sui*. Agnovit enim bos Judæus jugo le-
,, gis excusso: agnovit & asinus Paganus stultitiæ fe-
,, ritate deposita: ille deserens superfluum observa-
,, tionis laborem, hic relinquens vacuum superstitionis
,, errorem. Uterque agnovit, quia uterque ad unum
,, præsepe Domini epulaturus accessit, epulaturus non
,, fœnum mortis, sed cibum salutis. ,,

(m) serm. 159.

VIII. Quin etiam ille idemmet Origenes, qui a
defensoribus litteralis sensus allegari solet, in eadem
ipsa homilia 13. in caput 2. Lucæ, quæ ab iis adduci-
tur, allegorici sensus se eximium patronum esse decla-
rat, dum hæc ait. ,, Illud erat, de quo propheta
,, vaticinatus est dicens (*) *Cognovit bos possessorem*
,, *suum, & asinus præsepe Domini sui*. Bos animal
,, mundum est, asinus animal immundum. Cognovit
,, asinus præsepe Domini sui, sed immundum animal ex
,, Gentibus. Israel vero me non cognovit, & popu-
,, lus meus me non intellexit. ,,

(*) Isa. 1. 3.

IX. Nec dissimilis fuit Gaudentii Brixiani
sententia: Etenim (*) hæc perspicue elo-
quitur. ,, Clamat utique per prophetam: Fi-
,, lios genui & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.

[*] serm. 10. pag. 123. editio. Cominia. Brixianæ vero pag. 205. Optimo Galeardo edente.

,, Agno-

„ Agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe „ Domini sui, Israel vero me non cognovit, & populus me non intellexit; tamquam si diceret, quoniam „ cognoverunt olim bruta animalia Gentilium populorum regnatorem Cæli, suumque possessorem, ac Dominum, humanorum peccaminum pannis indutum, „ & in angulo Judææ præsepio collocatum, Israeliticus vero populus liberatorem suum non voluit agnoscere. „ Et de primo quidem testimonio ex Isaia desumpto, hactenus.

X. Nec magis aptum censere te volo alterum, propheticum pariter, ex Habacuc sumptum. Quamquam enim minime constat, quænam illius loci verior sit interpretatio; indubitatum est tamen, hunc prophetæ locum prave reddi: *In medio duorum Animalium*: (n) Ac primum quidem ex iis constat interpretationibus tum multitudine, tum varietate celebratissimis, quæ hisce Prophetæ verbis adhibentur: quasque deinceps recensebimus, ut ex iis Lector judicet, verane dicamus, an non. Alterum porro (id est hunc Prophetæ locum temere reddi: *In medio duorum animalium*) evincunt Eusebii Cæsariensis monita, (o) quæ quidem recitare libet. „ Salvator autem, ac Dominus noster, ipsum utique „ hoc Dei Verbum in medio duarum vitarum cognitus est. Non enim *duorum animalium* est legendum; „ *sed duarum vitarum*. „ Tum sic prosequitur. „ Duarum ergo vitarum [inquit] medium cognoscèris. Cum enim una secundum Deum sit vita, & „ altera secundum hominem, & illa quidem mortalis, „ hæc vero sempiterna, merito cum utramque expertus esset Dominus, atque eo modo venisset, in medio duárum vitàrum esse cognitus dicitur, ex interpretatione, quam Septuaginta ediderunt. Nam ex „ ea, quam Aquila edidit, non item, sed sic: *dum appropinquant anni, vivifica illud*. Sed quidnam „ est illud, nisi quod ait: *opus tuum*? Theodotion „ vero ita ait: *In medio annorum vivifica ipsum*. Et „ Symmachus: *Intra annos reviviscere fac ipsum*, interpretatus est Cum igitur omnes, *vivifica ipsum*, „ dixerint, plane non de quibusdam veluti brutis, aut „ etiam ratione præditis animalibus sermonem esse declararunt. Quapropter cum apud Septuaginta sit „ dictum: *In medio duarum vitarum cognoscèris*, non

„ ex

(n) *omnino arbitrariam* appellat Clari. P. Serry. §. 6. hanc interpretationem.

(o) lib. 6. Demonstra. cap. 15. pag. 279. editio. Colon. 1688.

„ ex sententia eorum, qui nos antecesserunt, hoc ac-
„ cepimus, sed duas ejus, de quo Propheta loquitur,
„ vitas significari diximus, unam quidem divinam, alte-
„ ram vero humanam. „

X. Eusebium sequi videntur, & illius sane vertentis *duarum vitarum* interpretationem amplectuntur Cyrillus Hierosolymitanus, (p) & Theophilactus, (q) illamque minime reprobant Severianus Gabalensis (r), Cyrillus Alexandrinus, (ſ) Origines (t), Maximus Confessor (u), & Gergentius. (x) Ad illam quoque respicit Nyssenus. [y] Tametsi porro non *duarum vitarum* vertant alii, præsertim latini, non continuo eã interpretationem approbant, quam tu sequeris, idest quę vertit *duorum animalium*. Vulgata sane, cui adhæreamus, oportet, vulgata, inquam, (quod quisque novit) vertit *annorum*. (z) Atque eam interpretationem comendat, illustratque egregius Ribera, (aa) ad quem Lectorem rejicio.

XI. Quamquam hac in responsione non prorsus hæreo, neque tibi eripio interpretationem alteram, quã tu reliquis præfers, legitque: *In medio duorum animalium*. An propterea circumseptas, ut ita appellem, a bove, & asino Christi Domini cunas fateri compellimur? Minime vero. Patribus scilicet, quibus interpretatio hæc placet, placet etiam in mysticum & allegoricum sensum verba illa deducere, ideoque longe aliter interpretari, ac tu interpretaris. Num negas? audi quomodo ille idem Hieronymus, qui a prioris sententiæ defensoribus veluti patronus allegatur, audi, inquam, quomodo interpretetur. (bb) „ Quod multi putant de Filio intelligi, &
„ Spiritu sancto, eo quod Pater per Filium intelligatur,
„ & Spiritum: quæ quidem & duo Seraphim (*) in
„ Isaia, & duo Cherubim, scribi interpretantur in
„ Exodo, quæ contra se [cc] respiciunt, (*) & in me-
„ dio habent oraculum; & in Isaia velantia caput &
„ pedes Domini, in præsenti tantum sæculo volent,
„ & alter ad alterum mysterium inclament Trinitatis:
„ & mittatur unus de Seraphim (quod interpretatur
„ ardens) & veniat in terram, & mundet Prophetæ
„ labia, & dicat: (dd) *Ignem veni mittere super*
„ *terram, & quàm volo ut ardeat*. Hoc æstimant alii,
„ & ad hanc interpretationem multis Scripturarum u-
„ tantur testimoniis. (ee) Porro simplex interpretatio,
„ &

(p) Cath. 12. n. 20. edit. Ant. Augus. Touttèe, cujus adnotationem, ut lector adeat, obsecro. pag. 174. quod ante Touttèe, adnotarunt Malvenda lib. 1. de Antichristo c. 33. pag. 48. & in Append. & Tillemõt in adnotat. ad vitam Christi adnot. 5.
(q) in locum hunc.
(r) Oratione in vivificam Crucem. to. 4. Biblio. Pa. Lugd. pag. 1232.
(ſ) in locum hunc.
(t) lib. 1. de principiis cap. 3. n. 4.
(u) Quæst. 63. in Scripturam Tom. 1. pag. 247. to. 4.
(x) In disp. cum Herbano. Bib. PP. Græcolat. Tom. 2. pag. 217: nam vocẽ ζώων interpretatur duas Christi naturas.
(y) Hom. 12. in Can. pag. 647. to. 1.
(z) *in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*.
(aa) in locum hunc.
(bb) in lib. 2. Commen. in Habacuc.
(*) Isa. 6.
(cc) Exod. 25.
(*) aliter *respiciant, & habeant, & volantes*. Theodoretus (*in locum hunc*) interpretationẽ hanc appro-

„ & opinio vulgi de Salvatore intelligit, quod inter „ duos latrones crucifixus agnitus sit. (*) Qui autem „ melius hoc dicunt, quod in prima Ecclesia, quæ de „ circuciſſione fuit, & de præputio congregata, duobus „ populis ſe hinc inde cingentibus intellectus ſit Salvator, & creditus. Sunt qui duo animalia, duo intelligant Teſtamenta, novum & vetus, quæ vere animantia ſint atque vitalia, quæ ſpirent, & in quorum „ medio Dominus cognoſcatur. „

XII. Eidem interpretationi ſuffragatur apertiſſime Auguſtinus, dum allegata Habacuc verba exponens, hæc eloquitur. (*ff*) „ Quid eſt, niſi aut in „ medio duorum Teſtamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moyſi & Eliæ cum eo „ in monte ſermocinantium? „ Poſtremam interpretationem propoſuerat Tertullianus, quē mox citabimus.

XIII. In allegoricum quoque ſenſum ea animalia explicat Gregorius Magnus (*gg*) laudatiſſimis illis verbis. „ Herba onagri, & fenum „ bovis eſt hæc ipſa Mediatoris incarnatio, per quam „ ſimul Gentilitas, & Judæa ſatiatur . . . . . . „ Tunc ergo herbam onager invenit, cum gentilis populus gratiam divinæ incarnationis accepit. Tunc „ bos vacuum præſepe non habuit, cum plebi Judaicæ „ ejus carnem expectanti lex exhibuit, quem diu expectatum prophetavit. Unde & natus Dominus „ in præſepe ponitur, ut videlicet ſignaretur, quia „ ſancta animalia, quæ jejuna diu apud legem inventa „ ſunt, incarnationis ejus feno ſatiarentur. „

XIV. Convenit cum Gregorio auctor homiliæ *de cenſu.* [*] Etenim hæc ait. „ In præſepio reclinatur, ut humani generis brutalitatem emendaret, & duorum animalium cibus fieret. Quorum vero animalium? Ethnici, „ Judaicique populi, de quibus ſcriptum eſt: *In medio* „ *duorum animalium cognoſceris.* „

XV. Atque his quidem ea etiam diſſolvi poſſunt, quæ ex Patribus deſumuntur. Etenim Patres in allegoricum ſenſum ea Scripturæ verba deducentes, quibus prior illa opinio innititur, quæque ipſi allegant, perſpicue oſtendūt, ſe quoque in allegorico ſenſu ea animalia ſumere. Allegorice, procul dubio, ea animalia ſumunt Origines, Nyſſenus, Hieronymus, Chryſologus, aliique, quos neceſſe

approbat, duo animalia eſſe inquiens, *quæ torno elaborata ſunt in arca a Moyſe &c.*

(*dd*) Luc. 12. 49.

(*ee*) Marc. 15. & Joan. 19.

(*) Eccleſia ſane in die Paraſceve, in tractu prioris epiſtolæ, interpretationem hanc videtur ſequi.

(*ff*) li. 18. de Civita. cap. 32.

(*gg*) lib. 7. Morali. cap. 4. editio. Romæ.

(*) inter opera Athanaſii. tom. 2. Ope. Colon. 1686. pag. 647.

cesse non est hic rursus recensere, quorum quidem auctoritate quid ad alios paucissimos Patres, qui eadē Scripturarū testimonia comemorant, nec in quo sensu ea sumenda sint, (an scilicet in litterali, an in allegorico,) explicāt, respondendū sit, constat. Nū reliquis hi obsistent, qui in allegorico sumunt, ideoque tacite litteralem excludunt?

XVI. Sic plerosque explicare potes, qui tantum allegant notissima illa Prophetarum testimonia. *Agnoscet bos &c. In medio duorum animalium &c.* veluti est auctor homiliæ 2. in Lucam, & illius, quæ *laudatio S. Stephani protomartyris* inscribitur. (Quarum tamen homiliarum auctoritas levissima, aut potius nulla est: neque enim Chrysostomum habent parentem, sed græculum quempiam inelegantem, & indoctum) (*ii*) & auctorem libri *de promissionibus*. (*kk*) Hinc quamquam homiliarum earum auctor (si tamen unus idemque est) inter certos prioris sententiæ defensores recensetur a Calmet, (*ll*) & Serry, (*mm*): immerito tamen recensetur. Idem dic de auctore libri *de promissionibus*.

(*ii*) Vide quæ ad eā adnotant Fronto Ducæus, Tillemont & PP.S.Mauri. to.13. pag. II. præfa.
(*kk*) ca. 5. li. 3.
(*ll*) in Comment. in vers. 3. cap. 1. Isai.
(*mm*) exerc.30. §.6.

XVII. Sed præterire non licet, quod, ante nos, nonnulli adverterunt: scilicet litteraliter sumi adhuc posse animalia illa; nec propterea cogi te, ut ea bovem, & asinum esse dicas, in quorum medio jacuerit Dominus in cunis positus. Ubinam novisti, animalia rationis expertia tantummodo a Propheta indicari? Ubinam doceris, determinatum illud tempus hic significari, quo Dominus in præsepio jacuit? Utrumque rejiciunt tum Augustinus nuper citatus, tum vetustissimus scriptor Tertullianus, dum duo illa animalia esse ajunt (*oo*) Moysem, & Heliam, in quorum medio transfiguratus, & ab Apostolis agnitus est Christus. Nuper etiam Hieronymum, & Ecclesiam allegavimus, quibus quidem duos latrones, in quorum medio crucifixus est Jesus, iis animalibus indicatos fuisse constat.

(*oo*) 4. contra Marcio. cap. 22.

XVIII. Quāquā temere putatur, eos omnes, qui allegantur, quasi duo animalia comemorarint, *in quorum medio Dominus extiturus foret*, revera id tradidisse. Ut reliquos prætereamus, a P. Honorato *a S. Maria* inter eos, qui ita allegarint verba Habacuc, recensetur Cyrillus Hierosolymitanus. Etiam (quod jam diximus) is recensetur a Clariss. Milles Anglicano operum hujusce S. Doctoris interprete, quem Grodecius præcesserat. Imprudenter tamen id fuisse

factum

factum rectissime docent Malvenda,, & Tillemont; (pp) qui a Cyrillo lectum fuisse monent: *in medio duarum vitarum*; Et eam quidem interpretationem non modo sequitur Clarissi. Touttée, verum etiam ex serie ipsa, & continuatione sermonis id manifesto evinci ait: duas enim Christi vitas Cyrillus commemorat, mortalem ex Virgine nascentis, & immortalem ex sepulcro resurgentis: ad quas quidem vitas respexisse Prophetam inquit, atque ex iis dignoscendum fore Christum prædixisse: non ex eo, quod *in medio duorum animalium* futurus foret. Quot enim in medio animalium sunt, nec propterea Christus sunt? cum e contrario Christus duas has vitas in carne assumpta (de qua tum propheta loquitur) assecutus fuerit. Audi porro integrum Cyrilli testimonium, e græco illud vertente Optimo Touttée. (*) ,, Audisti rursus Abbacum ,, dicentem ad Dominum. (qq) *Cum appropinquarint* ,, *anni, agnoscêris; cum advenerit tempus, ostendêris*. Et ,, quodnam, ô Propheta, venientes Domini signum ,, erit? Ille autem subdit: *In medio duarum vita-* ,, *rum cognosceris*; In hanc sententiam Dominum per- ,, spicue alloquens: In carne adveniens, vives, & mo- ,, rieris, & resurgens ex mortuis, iterum vives.,,

XIX. Itaque, si qui sunt Patres, qui priori illi sententiæ faveant, non alii sunt, nisi auctor carminis *de passione*, quod inter Lactantii Opera reperitur (& temere eidem Lactantio adscribitur) & fortasse Prudentius. Sed quis demum est auctor carminis *de passione*, ut assentiri illius opinioni debeamus? Poeta nempe; ideoque ex eorũ hominum genere, quibus quidẽ quæcunque placent, fingere libet. En quem habet auctorem male consuta de bove, & asino Domini Jesu cunas halitu foventibus, fabella. *Hujus primum architectum* (inquit Doctissimus P. Serry (rr)) *fuisse crediderim auctorem poematis Lactantio perperam adscripti* de passione Domini: *ut quæ a Pictoribus incrementum acceptura erat inepta fabella, a Poetis ortum haberet: Pictoribus enim ac poetis summa semper cognatio fuit, audendique æqua potestas.*

XX. Si non eandem vis adhibere Prudentii carminibus responsionem, neque alterâ earum, quibus reliquorum veterum Scriptorum testimonia dissolvimus, uti vis, tu animose Prudentium relinque, ut iis adhæ-

(pp) de Antichrist. li. 1. cap. 33. pag. 48. & in appendice ad eandem pagi. & Tillem. in annot. 5. *in vitam Christi*.

(*) n. 20. Cathech. 12. pag. 173. & 174.

(qq) Haba. 3. 2. 22.

(rr) exerci. 30. n. 4.

adhæreas Patribus, qui in allegoricum sensum propheticas animantes deducunt.

XXI. Atque in allegoricum quidem sensum Ecclesia adhibet in die Parasceve: (rr) verba Habacuc *in medio duorum animalium* ad latrones, in quorum medio crucifixus est Dominus, referens: imo etiam quum in allegatis Romani Breviarii locis eorundem animaliũ meminit. Quamquam haud multam esse Romani Breviarii auctoritatem, ex Doctissi. Benedicti XIV. libris assequimur. Etenim apertissime (ss) docet ille recedere nos recte posse a traditis in Breviario Romano, si valde probabilis ratio, aut auctoritas adversus Breviarium Romanum adsit. Quænam porro probabilior ratio, aut auctoritas eâ, quæ male consuetam de asino, & bove circa Domini Jesu cunas extantibus, fabulam impetit?

(rr) in tract. epist. 1.

(ss) de *Canonizatione* li. 4. par. 2. cap. 13. n. 5. pag. 114.

XXII. Sed quid opus est pluribus, quando quidem Evangelistæ ipsi silentio suo haud obscure innuunt nullum circa Domini cunas extitisse bovem, asinum nullum? An id omisissent, qui non modo pastorum meminere, & Magorum ad Domini præsepe vocatorum, verum nec ipsam reticent inanimam stellam, cujus ductu, &, ut ita loquamur, obsequio ad Dominum in cunis positum adorandum, perducti sunt Magi?

CAP.

C A P. X L.

Quid ad superiora argumenta respondeant primæ opinionis patroni.

I. SEd tanto argumentorum apparatu se terreri non sinunt ii, qui primæ opinioni adhærent: atque has quidem solutiones superioribus argumentis adhibent. Cur *arbitrariam* eam interpretationem appellas, quæ verba Habacuc reddit: *In medio duorum animalium?* Siccine, Serry doctissime, (sinite enim ut vel mortuum interpellem virum eruditione, & ingenio laudatissimum, sed nimis ingenio suo quandoque indulgentem) siccine, inquam, Serry doctissime, ludibrio habes interpretationem ab Ecclesia palam exceptam, ut quod illa publice canit, *arbitraria* interpretatione fundetur? Siccine omnium fere Græcorum Patrum interpretationem contemptui habes, ut eam arbitrariam appelles? Si hæc Melancton aliquis, aut Beza traderet, patienter ferrem; sed quod hæc tradat Ecclesiæ filius, me continere non possum, quin eâ de re vehementer doleam. Age, si vis, præstat lectio illa, quam vulgata proponit. An statim deridenda altera, quam Septuaginta videntur proponere, & nonnulli latini, (*) plerique vero Græci sequuntur, & apertissime ea utitur Ecclesia? (*) Minime vero: immo utraque approbanda, item ut deridenda non est aut ea computatio annorum, quam 60. interpretes proponunt, aut ea, quam habet vulgata: Neutra enim Ecclesiæ displicet, utrâque interdum utitur, utramque proponunt Patres. (*)

II. Jam vero ad eos transeo, qui non de interpretatione diffident; fatentur enim eam ipsam esse probam, quæ vertit: *In medio duorum animalium:* sed allegorice accipienda esse monent, non modo Isaiæ, & Abacuch, ve-

(*) in S. Hierony. comenta. in locum hunc Habacuc, aliique etiam. Vide pariter, obsecro, quæ proponunt Ribera, & Malvenda, quos adversarii perperam in rem suam deducere student.

(*) in tractu primæ epistolæ in *die Parasce.* in quo quidem tractu Vulgatæ et â interpretatione sequi videtur. *In medio duorum animalium . . . . dum appropinquaverint anni &c.* Consule §. x. capitis 38.

(*) Ut reliquos sileam, eam sequitur Origenes, & Severianus Gabalitanus iis ipsis locis, quæ adversarii allegarũt.

verum etiam allegata verba Sanctorum Patrum, præeuntibus scilicet aliis pluribus Patribus, qui allegorice ea sumunt. Atque ego quidem statim fatebor, sumi illa posse allegorice, neque laudem minuo illius interpretationis, quæ in animalibus illis significatos vult Judaicum, & Gentilium populum, aliasque adhibet eisdẽ animantibus allegoricas, quas jam retuli, significationes. At quis te prohibet, ne litteraliter etiam accipias? Judice Serry ipso litteraliter accepit auctor carminis *de passione*, litteraliter etiam mihi videtur accipere Prudentius, & certe litteraliter accipiunt laudatissimi interpretes. Porro horum auctoritas in eo, de quo agimus, argumento, summa est: eruditione enim, & interpretandi laude præstant: favere porro eidem explicationi videtur Ecclesia tum in iis precibus, quas §. 10. capitis 38. recitavi, tum etiam quum ex vetusta consuetudine præsepe Domini Jesu exprimens, asinum, & bovem in illo efformat.

III. Neque vero litterali interpretationi quidquam detrahitur ex eo quod plurimi Patres in allegoricum sensum ea animalia deducunt. Plurimi quoque Patres in allegoricum sensum deduxere Asinam illam, & ejusdem Asinæ pullum, quo insedit Dominus; immo in allegorico sensu easdem animantes sumpsit Ecclesia, quum in Dominica palmarum hæc cani jus sit.

Si pius asseffor tu: (a) nos & simus asellus: (b)
Tecum nos capiat urbs veneranda Dei. (c)

An propterea nec verâ Asinâ, nec ejusdem Asinæ pullo usus est Christus, dum Hierosolymam ingressus est? Nihil minus. Disce ergo ad excludendum ab aliquo Scripturæ loco litteralem sensum non satis esse, quod Patres in allegoricum sensum eadem verba deducant, sed requiri, ut litteralem sensum excipere nequeant verba illa, & eam ob rem nullus e Patribus litteralem sensum in iis verbis agnoscat. An hæc de animantibus a Prophetis Isaia, & Habacuc commemoratis dicere audebis? Chrysologus sane, quem tu attulisti, (*) videtur allegoricam, quam adhibet, inpretationem, in litterali fundare.

IV. At eos Patres, & interpretes despicis, qui litteralem sensum in verbis iis agnoscunt, atque in primis

(a) o Christe.
(b) in codice allegato a Doctiss. Josepho Blanchino par. 2. psal. pag. 488. sic versiculus ipse exprimitur: *Si pius assensor tu; & nos simus asellus.*
(c) in eodem Blanchinii codice, *Deus.*

(*) ca. 39. §. 7.

mis auctorem carminis, quod *de passione Domini* inscribitur. Sed temere (absit verbo invidia) temere, inquam, hos, Patres & interpretes despicis. Ut a Patribus incipiam: cur carmen illud laceras, quod multi æstimavit egregius Tillemont: illudque Lactantio non judicavit indignum; palamque testatus est, se ab eo tantum detineri, quo minus indubitate Lactantio tribueret, quod vereretur ut Lactantii tempore Christi cruci affixi imago in media Ecclesiæ parte detineretur?(*) ad quem morem respicere videtur hic auctor, dum ita eloquitur:

. . . . . . En aspice crines
Sanguine concretos, & sanguinolenta sub ipsis
Colla comis, spinisque caput crudelibus haustum. &c.

An propterea spernes, quod carmine scripserit? At cur non Prudentium spernis, cujus tamen versus sæpissime Theologi allegant, & interdum allegare non dubitat Serry ipse? (*d*) Cur Aratorem non irrides, Paulinum, Alcimum Avitum, aliosque plurimos, qui Ecclesiæ dogmata, ritus, atque historias carminibus sunt persecuti? Donec porro Prudentium mihi eripueris, donec auctoritatem eorum, qui priori illi sententiæ favent, nullam esse evincas, (plurima porro ea est) donec in allegoricum sensum deducenda esse evincas verba libri, qui *de promissionibus* inscribitur, aliorumque Patrum, qui bovis, & asini circa Domini cunas positorum meminere, haud me vinci sinam a dictis tuis, nec recentem, nec levibus fundamentis innixam arbitrabor opinionem eam, quæ a veris, non allegoricis asino, & bove septas Domini Jesu cunas tradit: in quam quidem fortasse idem ille Cyrillus Hierosolomytanus inclinat, quem a nostra sententia alienum esse ais. Hæc quippe inquit. (*e*) „ At ille, qui venit *expe-*
„ *ctatio gentium*, quale iterum signum habet? ait con-
„ sequenter: *ligans ad vitem pullum suum*. Cernis
„ pullum illum, qui ab Zacharia diserte prænunciatus
„ est. „ (*) Sane cum de adventu Domini tum sermonē instituat, („ At ille, qui venit *expectatio gentium*, qua-
„ le iterum signum habet?„) & hoc signum det, quod pullus ad vitem sit alligandus: cum vitis nomine ibi procul dubio Christum intelligat, (*f*) haud temere

(*) Recole verba Tillemont allegata in margine §. 1. capitis 38.

[*d*] exer. 27. §. 7.

(*e*) n. 17. cate. 12.

[*] Zach. 9. 9.

[*f*] Vide quæ annotat in eum locum Optimus Touttèe.

fortasse dicemus, signum adventus Domini fuisse, quod Asinus ad eum foret alligandus: id est (nisi male conjicimus) statim prope ejus cunas sit extiturus, rursus vero adhibendus, cum Hierosolymam triumphantis more ingredietur Jesus. Sed hæc conjiciendo diximus: neque enim vel invitum Cyrillum in eam opinionem deducere volo. Mihi porro satis est, eos in rem meam allegare posse Patres, qui verba illa prophetica afferunt, nec allegorice explicant: cum enim ex veteri monito allegorice explicari non debeât ea Scripturarũ, & Patrum monita, quæ litteralem sensũ comode excipiunt, cur ea allegorice explicabimus, quæ *litteraliter* accipi possunt? Id porro Doctissi. Serry, & Calmet fateri videntur, dum certos patronos prioris opinionis esse ajunt librum *de promissionibus*, & auctorem homiliæ 33. tomi VI. Chrysostomi; quorum tamen verba Paulini, & Hieronymi verbis clariora non sunt, & expressius iis locuti sint Prudentius, & auctor carminis *de passione Domini*.

V. Eadem argumentatione permotus, Breviarium Romanum (ideoque Ecclesiam eo utentem) priori sententiæ patrocinari autumo; cujus quidem auctoritatem haud recte attenuas. Age: aliqua fuerint, quæ emẽdatione visa fuerint digna; supersint etiam alia, quæ corrigi possint: an ideo levis Romani Breviarii auctoritas? Minime vero; immo summa ea est: qua de re vide, obsecro, quæ tradit idem ille Sanctissimus, doctissimusque Pontifex Benedictus XIV. quem tu allegasti. Disces autem, si recte illius dicta perpenderis, disces, inquam, illos, qui Breviarii Romani auctoritatem attenuarunt, de illâ parte fuisse locutos, quæ historica est: in hac enim in dies proficimus, multaque deteguntur, quæ in Bibliothecis hactenus delituerunt, per quæ chronologia, quam Breviarii Romani scriptores secuti sunt, melior efficiatur, & accuratior. Repetiti etiam Litteratorum labores circa Sanctorum vitam, & Martyrum Acta, in lucem nonnulla eduxerunt, quæ antea nondum satis perspecta erant. At in ea parte, quæ preces Ecclesiæ, aliaque precibus affinia, (veluti sunt responsoria) validissima est Breviarii auctoritas, hæc tradente egregio Pontifice Cælestino: (*) *Legem credendi lex statuat supplicandi.*

(*) a quibusdam sic inscribitur episto. ad Episco. Galliæ cap. 10. ab aliis ve- r.. *Præteritorum sedis Apostolicorum auctoritates de gratia Dei, & libero voluntatis arbitrio.* tit. seu cap. 8. pag. 475. tomi 3. Conci.

VI.

VI. At si ita est, inquis, cur Patres allegoricè animalia illa interpretantur? Quia noverunt ab aliis fuisse litteraliter explicata, Deique, ac Christi gloriam promovere videbantur eæ allegoricæ explicationes, quibus edocebamur undique accita fuisse testimonia, quibus idem Christus innotesceret. Ea revera dum algoricas interpretationes adhibent Patres, minime vetant litterales ab aliis adhiberi, immo, nisi fallimur, litterali explicatione usi sunt interdum ii ipsi, qui ad allegoricas confugerunt, veluti Hieronymus, quem merito inter fautores litteralis interpretationis numerare possumus.

VII. Venio denique ad negativum argumentum ex Evangelii silentio desumptum. Si enim, inquiunt, bos, & asinus Christo nascenti, aut certe nuper nato adstitit, id minime omisissent Evangelistæ: omiserunt porro. En argumentum illud, in quo vires summas inesse ajunt. Sic porro diluitur. Dic age: cur alia omiserunt Evangelistæ multo majora, quæque scire optatissimum erat: quorum quidem in numero collocare merito possumus perpetuam Mariæ Virginitatem, baptismà pueris *valide*, *&* *licite* collatum, aliaque hujus generis sexcenta; & ne a Domini nativitate discedã, dic age, cur omiserunt describere locum, in quo natus est? an intra Urbem Bethleem, an in suburbio illius aliquo? Cur Magorum numerum, patriam, genus, dignitatem silentio præterierunt? Num didicisti ex Evangelio, an stella quæ apparuit, Firmamento inesset, an Phænomenis in humiliori aëris regione residentibus annumeraretur? an die resplenderet, an noctu tantum? & alia hujus modi, quæ si velim singula persequi, vereor, ne lectori molestus fiam. Disce itaque, ineptum esse ex Evangelistarum silentio desumptum argumentum, multaque esse, quæ silentio obvolverunt, non quo falsa essent, sed quod Spiritus Sanctus eas ob causas, quas ipse novit, & fortasse etiam, ut nostra studia exerceret, ea in Evangelio describi noluit.

CAP. XLI.

Finem imponimus huic controversiæ exponendo quid de ea sentiamus, & contendimus, servandam esse vetustam consuetudinem; ut scilicet prope Domini Jesu cunas bovem, & asinum efformemus.

I. IN utramque partem disputatum est hactenus: superest, ut candide exponamus, quid de hac lite sentiamus. Hæc est porro mea hac in disputatione sententia. Certum, exploratumque minime esse, extiterint, nec ne, prope cunas Domini Asinus, & Bos *litteraliter* sumpti: id est, qui veri fuerint bruti rationisque expertes animantes: valde tamen probabilem eorum esse sententiam, qui id affirmant. Propterea porro id minime compertum reor, quia tametsi id videantur aperte tradere Prudentius, & auctor carminis, quod *de Passione* inscribitur; idque, etiam indicent Paulinus, aliique, quorum jam allegavimus testimonia; duo tamen priores Patres minime (mea quidem sententiâ) satis sunt ad certitudinem hujusce sententiæ statuendam: alii vero non ita clare loquuntur, ut aliquâ comoda explicatione eorum testimonia eludi non possint. Ut vero valde probabilem affirmantem sententiam pronunciem, desumpta ex auctoritate, & ratione momenta me impellunt. Quis enim perspicuam duorum probatissimorum testimoniorũ auctoritatem contemnet, quibus quidem nemo obsistit; videntur autem favere alii plurimi Patres, atque adeo Ecclesia ipsa? Sane si juris peritorum judicio lis hæc dirimenda foret, is causam vinceret, qui cunis Domini adstantes describeret Asinum & Bovem; quod nemo ex veteribus neget, affirment certo aliqui, affirmare etiam videantur alii, quorum summa auctoritas est; ex recentioribus vero ii scriptores faveant, quos laudatissimos nemo esse negat. Ratio vero ea ipsa con-

conjectura est, quam §. 13. capitis 38. attulimus, & quã hic recole, si tu vis. Id porro satis est, ad vindicandam, approbandamque eam pictorum consuetudinem, cui nunquam Ecclesia obstitit; & quã foverunt atque auxerunt, si ita me loqui finis, viri Sanctissimi: (*) ut scilicet prope Domini cunas Asinus, & Bos exprimantur.

(*) Vide quæ Canisius capite 10. libri 4. to. 2. de Corrupte: de S. Francisco testatur.

II. Sed hæc ipsa omittamus, demusque severioribus Criticis, nulla vera jumenta prope Domini cunas extitisse, ideoque demus, animalia illa, in quorum medio cognitus est Dominus, allegorica fuisse. Vide quam comis sum, & ab altercando alienus. An continuo a picturis Christum Dominum nuper natum atque in præsepe positum ræpræsentantibus, ea animalia removenda? Id, ut puto, censebis. At non ita ego sentio. An ignoras Ecclesiam symbolicarum imaginum in sacris ipsis historiis exprimendis fuisse amantissimam? Id hic fusius non demonstro, quoniam id paulo ante attigi, & deinceps cumulatissime ostendam: consentiunt quoque ea de re Viri doctissimi, actumque agerem, si id ad demonstrandum susciperem. (16)

III. Itaque fac symbolica ea esse animalia, quæ veteres prope Domini cunas efformant, describuntque. Id mihi satis est, ut eorum exempla secutu, prope Domini cunas bovem, & asinum exprimam, & laudabilem eam esse consuetudinem dicam, quam jam pridem servavit, & nunc etiam servat Ecclesia. Id exposcit reverentia erga veterum monita, exposcit obsequium erga eandem Sanctissimam Matrem nostram Ecclesiam, exposcit denique conditio ipsa harum imaginum, quę sive realem historiam, sive allegoriam quandam denotent, nos procul dubio ad devotionis, & grati animi sensus excitant, permoventque. Inter eos sane, qui

---

(16) Ne multos afferam, audi quæ docet Ciampinus. (a) *Apud antiquos Christianos mos fuit hisce etiam emblematibus sua templa, Ecclesiasque ornare, ut Bosius in sua Roma subterranea ostendit, ejusque sectator Aringhus in Roma etiam subterranea: (b) & nos in nostro Opere de veter. Monim. (c) exposuimus.* Proderit etiam ad id ipsum confirmandum ea afferre, quæ egregius Philippus Bonarota edocet (d).

(a) de ædifi. Constantini. ca. 10. pag. 132.
(b) li. 6. cap. 45. to. 2.
(c) par. 1. cap. 27.
(d) ad fig. 1. tab. 1. pag. 6. & 7. illius Operis, quod ad hũc modum inscripsit: *Osservazioni sopra alcuni framenti di di vasi antichi di vetro. &c.*

ad allegoriam deducunt ea, de quibus fuse egimus, notissima Scripturarum loca, non desunt Viri Clarissimi, qui hanc Ecclesiæ consuetudinem retineri adhuc jubent, eamque laudatissimam censent, e quorum numero hic allego, & honoris caussa nomino, duos eximios sane, librisque editis celebratissimos, Paulum Galeardum, & Joannem Antonium Vulpium, ad quos Lectorem rejicio. (*a*) Concludere licet notissimis illis Augustini verbis. (*b*) *Si quid tota per Orbem frequentat Ecclesia; quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est* . . . . *Faciat ergo quisque, quod in ea ecclesia, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores, hic vel inde meliores. His enim caussis, id est aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa, consequenter noxia est.*

(*a*) Consule, obsecro, annotation. *b.* aliàs (*i*) ad serm. 10. Gaudentii qui quidem sermo *de Exodi lectione octavus* inscribitur pag. 295. editio. Brixi. Cominia. vero. 123.

(*b*) libro, seu epistola (olim 118. nunc 54.) ad Januarium ca. 5. aliàs n. 6.

CAP.

C A P. XLII.

De ænea statua, Christum Dominum repræsentante, Paneade erecta a muliere illa, quæ a sanguinis fluxu ejusdem Christi Domini miraculo convaluit.

Paucis complectimur, quid de ea statua Veteres tradiderint.

I. EAs grati animi significationes, quas tametsi innumeris beneficiis devinctus Judaicus populus Christo præbere recusavit, Gentiles, Judæis multo humaniores, stabilibus etiam monumentis declarare non dubitarunt. Atque inter hæc quidem illud in primis Veteres memoraverunt, quod mulier Chananæa, quæ Christi miraculo, sanguinis fluxu sanata est, erexit: „ collati scilicet (ut Eusebii verbis utar) (*) in „ eam a Servatore nostro beneficii illustre monumen- „ tum. Quippe juxta januam domus illius, ænea mulie- „ ris effigies stare dicitur columnæ lapideæ imposita; ge- „ nibus flexis, protensisque manibus instar supplicantis. „ Ex adverso autem effigies viri ex eodem metallo „ conflata, stantis, ac diploide decenter induti, manu- „ que mulieri porrigentis. Ad cujus pedes in ipsa ba- „ si ignota quædam nasci dicitur planta: quæ ad fim- „ briam usque æneæ diploidis assurgens, depellendis o- „ mnis generis morbis præsentissimũ remedium est. Hanc „ statuam Jesu Christi speciem referre ajebant. „

II. Eandem rem describit Philostorgius, (a) qui hæc etiam memoriæ prodidit. „ Hanc igitur sta- „ tuam, regnante Juliano, Gentiles, qui Paneadem inco-

(*) li. 7. histo. cap. 14. editio. Christoph. 18. Valesii, quo interprete utor.

(a) in excerptis li. 7. §. 3.

A a 2 „ le-

„ lebant, ad impietatem incitati, a basi sua revulsam, funibus ad pedes circumligatis, per mediam plateam traxerunt. Post hæc, reliquum quidem corpus distrahentes, confregerunt. Caput verò inter trahendum a cervice disjunctum, nonnulli id, quod fiebat, ægre ferentes, clanculo abripuerunt, & quoad fieri potuit, conservarunt. „ Cui quidem narrationi ea simillima est, quam habent Sozomenus, (b) & Cassiodorus. (c)

III. Illius quoque meminere Asterius Amasenus (d); Antipater Bostrorum in Arabia Episcopus [e]:, Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, (f) Gregorius II. Acta S. Artemii, (g), Hadrianus Papa (h), Nicephorus (i), aliique etiam.

(b) li. 5. cap. 21.
(c) li. 6. histo. Triparti. cap. 41.
(d) referen. Phot. ad cod. 271. pag. 1506. & 1507.
(e) eum allegat Gregor. Diacon. act. 4. Conci. 2. Nicæ. pag. 855. to. 8. Conci.
(f) in epistola ad Thomam Episco. Claudiapoleos recitata in Concil. II. Nicæno act. 4. (pag. 966. to. 8.) & in Concione ad Leonem Isauri. in vita S. Stephani Junio. (to. 1. anale. græco. Pat. S. Mauri pag. 413.)
(g) Apud Sur. XIII. kalen. Novem. cap. 38.
(h) in episto. ad Carol. M. pro Syno. Nicæ. II. par. 2. cap. 11. pag. 1583. to. 8. Concil. *adepta donum, titulum erexit Christo*.
(i) li. 6. cap. 15.

C A P. XLIII.

Afferuntur, ac dissolvuntur adversus hactenùs dicta quæ objici solent argumenta; atque hoc quidem in capite ea tolluntur, quibus infirmare student earum, quas attulimus, probationum auctoritatem.

I. VErsati usque adhuc fuimus in producendis argumentis, quibus innitimur, quando asserimus, erectam revera fuisse eam, quam descripsimus, statuam: pars altera laboris superest in eo posita, ut persuasionem nostram ab objectionibus vindicemus; atque harum quidem non unum est genus: sed facile omnes revocari ad tria suprema capita possunt: nempe eò ut ostendatur, levissimis probationibus innixam esse eam, quam adduximus, narrationem (& en caput primū);

Ut

Ut pariter ostendatur, eandē narrationē argumentis valde probabilibus falsam indicari: (& en caput alterum) ut denique ostendatur, etiam si vera ea foret, minus aptam esse eam ad sacrarum imaginum aut antiquitatem, aut probitatem evincendam: & tamen id potissimum Pontificii contendunt, quum eam narrationem adducunt: (Et en caput postremum). Audite porro, quid primum objectionum caput complectatur. Ea quæ allegata sunt Veterum testimonia, si recte expendantur, revocantur denique vel ad Eusebium, vel ad alios, qui eum exscribunt; at levissimam hac in re Eusebii auctoritatem esse, ex eo liquet, quod quicquid hac de statua narrat, veluti vulgata quadam, & populari famâ proditum narrat: *traxisse ferunt* : : : : *æxea mulieris stare dicitur*. : : : *Hanc statuam Jesu-Christi speciem referre ajebant*. An id ex animo tradidisse dicemus Eusebium, quod attestari non audet, sed, si quid narrat, ex vulgari, ut diximus, fama, plerumque fallaci & infida, se hausisse ait?

II. Ii porro, qui Eusebii verba exscribunt, tam et si plurimi sint, non aliud tamen ad fidem faciendam pondus habent, nisi illud ipsum, quod habet Eusebii auctoritas, qua unice innituntur. Non est itaque, cur Pontificii ad fidem promerendā veteres scriptores aggerant: Donec Eusebio vetustiorem, aut saltem illius æqualem, scriptorem afferant, nullo in pretio eam narrationem, ut pote incerto, dubioque rumore tantummodo innixam, habebimus: ideoque jure, & merito a Carolinorum librorum auctore asseremus eā fuisse contemptā. (*)

III. Mirabile est porro, quantum veteres ceteroqui laudabiles, quum de muliere hac locuti sunt, populari fallacissima fama illusi fuerint. Huic sane dum fidit Ambrosius, sororem Mariæ, & Lazari eam facit, Martham appellans, & Mariæ, ex qua Dæmones eiecti fuerūt, jungens, ideoque ex Chananęa Hebræam efficiens. (*a*) Quod si Missam, cujus alibi meminimus, (*) Ambrosio tribuis, is *Veronicam* mulierem hanc appellavit: quod ineptissimum procul dubio est: atque his quidem erroribus nos docuit, rectius sensisse, qui eâdem populari famâ contemptâ, nihil prorsus de mulieris illius patria, aut de statua Paneade erecta temere affirmare ausi sunt. Hæc adversarii.

IV. Quidquid tamen hi disputent, verissimum id esse, quod

(*) lib. 4. cap. 15. *In quo quidem facto, si tamen factum esse credatur &c.*

(*a*) in lib. *de Salomo.* cap. 5. in editio. Pat. S. Mau. serm. 46. n. 14. *Dum largum sanguinis fluxum siccat in Martha, dum Dæmones pellit ex Maria &c.*

(* cap. 34. §. 3., & cap. 35. §. 2.

se, quod de ea imagine narrat Eusebius, non modo ex ipso Eusebio, verum etiam ex subsequentibus & Patribus, & historicis liquet: inter quos Nicephorus tot Scriptorum (qui quidem vulgi fama se illudi non permisissent) monitis edoctus, narrationem hanc *dignam* appellat, *quæ sit in ore omnium*.

V. Veram quoque Christi imaginem ab alterâ earum statuarum referri agnovit Julianus apostata, dum eandem statuam everti jussit, suamque substitui: (*) agnovere Gentiles, dum contumeliæ causâ eam per vias traxere: agnovere Christiani, dum eam a Gentilium contumeliis ereptam sacro in loco collocavere, & honorifice servavere: quod quidem ex Philostorgio descripsi, & confirmant Sozomenus, Cassiodorus, & S. Asterii Acta.

(*) Sozom.

VI. Nec continuo ex eo quod Eusebius utatur his verbis: *fertur: dicitur: ajebant*: vulgatâ fama tantummodo innixam putat eam, quam de ea imagine texuit, narrationem. Recole hic, quæ §. 6. capitis 13. dissertationis 3. tradidi, videbisque apertissime, uti consuevisse Eusebium his vocibus, etiam quum minime ea de re dubitavit, quam historiæ suæ inseruit. (*)

(*) Addere, si vis, ea poteris, quæ capite proxime præcedenti (idest 17. libri 7.) de miraculo ab Asterio Cæsareæ Philippi peracto idē Eusebius narrat; de quo quidem miraculo minime dubitans utitur tamen verbo hoc *ajunt*.

VII. Non est vero, cur libros Carolinos adversus nos alleges, perinde quasi eorumdem librorum auctoritas præterri possit auctoritati eorum Scriptorum, quos ego protuli, aut græcam linguam, & historicorum, & Patrum, qui græce scripserunt, excellentiam, & discrimina nosset is (quisquis is sit) qui Carolinos libros exaravit. Sed de his libris, cum alibi copiosissime dicturus sim, hic agere omitto.

VIII. Cur porro Ambrosium (seu potius scriptorem alium sub Ambrosii nomine latentem) [b], cur, inquam, Ambrosium reprehendis, quasi Mariæ, ideoque Lazari sororem effecerit mulierem eam, de qua agimus. Quanam ratione id probas, cum nihil horum Ambrosius dixerit? Ceterum duobus quidem modis hæc tua, qualiscunque ea sit, difficultas tollitur: vel scilicet si dicas, Martham fuisse appellatam mulierem eam Chananæam, quæ a sanguinis fluxu Christi miraculo convaluit; (quod non ex Evangelio quidem, sed traditione didicerat Ambrosius: Neque vero ex eo quod utramque mulierem sermone jungat, ostendis sorores eas declarasse: sed ideo junxit, quia utraque per Christi miraculum

[b] Vide præfatiunculam a Patribus S. Mauri eidem sermoni 46. præpositam.

lum gravissimo morbo fuerat liberata.) Vel si dicas Martham quidem Mariæ, ac Lazari sororem iis Ambrosii verbis fuisse indicatam, ideoque mulierem a Chananęa, de qua nunc agimus, longe diversam: Martham porro eodem, qua Chananęa, morbo laborasse, atque ab eo Christi miraculo fuisse sanatam, tametsi Evangelium non doceat, probabili traditione, aut certe ex vetusto scriptore didicerat Ambrosius, qui propterea scriptis id prodidit: *multa enī signa* (inquit Joañes (c)) *fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. &c.*

(c) cap. 20. vers. 30.

IX. Quod vero *de Veronicæ* nomine in Ambrosiano Missali traditur, & hic objicitur, solutionem hanc habet. Si eam Missā Ambrosio tribuis, dicere facile potes, *Veronicæ* nomen ex iis esse, quæ adscititia appellant. *Veronica* scilicet appellari potuit illa, quod statuam Christi imaginem referentem erexerit. (d)

(d) Vide ca. 35. §. 2.

C A P. X L I I.

Occurrimus iis argumentis, quibus falsam esse contendunt Eusebii, ac Philostorgii de ea imagine narrationem.

I. SEd alia apparant, eaque, si adversariis credimus, validiora argumenta adversus eam, quam ex Eusebio, ac Philostorgio recitavimus, narrationem. En illa. Quis narrationem excipiat, quæ Evangelio adversatur? Evangelio porro adversatur narratio ea, quam ex Eusebio, & Philostorgio retulimus. Evangelium quippe adeo pauperem describit mulierem Chananæam, quæ a sanguinis fluxu, Christi miraculo, convaluit, ut nihil prorsus illi superesset, quod erogaret: quippe quæ *in Medicos omnem substantiam suam erogaverat*. (*) At vero non leves sumptus faciat, oportet, qui duas æneas statuas erigit. Sed cur ex solo Evangelio adversus eam imaginem argumenta depromimus, quum facillimum sit ipsis Ethnicorum consuetudinibus eam fabulam refellere? Quis ignorat non sine Principum concessione erigi potuisse a Gentilibus ipsis alicui statuam? Num vero putas

(*) Luc. 8. 43.

tas, permissuros fuisse Principes, Christianis valde infensos, Christo statuam erigi? Quod si dolo aliquo mulier illa facultatem extorsisset a Principe, quis sibi persuadeat, superstitem ad tria, & amplius secula permansuram in aperto & publico loco statuam, quæ Christum repræsentaret; quo quidem tempore monumenta omnia, quibus Christiana religio proficere posset, perdere viribus omnibus nitebantur Principes, & populi ipsi? Facile vero eorum præcluditur effugium, qui Ethnicis per ea sæcula ignotam fuisse eam statuam ajunt. An ignota esse potuit ea statua, quæ, uti diximus, in aperto, & publico loco erecta est? Quid quod si ignota ea fuisset, eam prodidisset, & plebi ipsi indicasset ea herba ad pedes statuæ Christum repræsentantis enascens, quam morbis omnibus profuisse ait Eusebius? Quæ quidem narratio cum fabulosum nescio quid sapiat, per se ipsa impetitur, & redarguitur. Ad hæc: si iis, quæ de statua hac narrat, fidem adhibuisset Eusebius, denegare non potuisset Constantinæ Augustæ imaginem Salvatoris, quam ipsa vehementer poscebat: quippe tam perspicuo, & probabili exemplo reprehensam vidisset alienationem suam a Christi imagine efformanda.

II. At non habent profecto adversarii, cur multum in argumentis istis glorientur. Ea quippe haud difficile solvimus. Ut a prima objectione exordiar: unde, obsecro, scis sic esse accipienda verba illa Evangelii, quæ objecisti, ut nullæ omnino superfuerint mulieri illi opes, quarum partem aliquam in hoc grati animi monumentum effunderet? *Late* enim, ut cum Scholasticis loquar, accipi ea Evangelii verba possunt: non *rigorose:* At age: nullas, cum a Christo Domino ab ægritudine liberata est, habuerit opes; potuit postea facile alias comparare, & quas antea in Medicos absumpserat, in æneas statuas erogare. Divitem sane eam fuisse testatur Nicephorus, quem Lector consulat. Id etiam innuit Antipater Bostrorum Episcopus, cum hæc ait: (a) *percepto dono, statuam erexit Christo, & quidem divitias expenderat in Medicos, sed divitiarum residua obtulit Christo.* Objectione priore soluta, sic alteram objectionum tuarum partem dissolvo.

III. Num ut statua aliqua in locis publicis erigeretur, Principis, aut Magistratus auctoritate opus esset, a viris

(a) act. 4. Nicæni II. pag. 855. to. 8. Concilio.

xis eruditis disputatur. Si necessariam esse vis eam auctoritatem, non erat admodum difficile mulieri, quam divitem diximus, & nisi fallimur, nobili, eam obtinere: immo revera obtinuisse ex Joanne Malala discimus. (*) Atqui ea fortasse minime requirebatur. Deinceps vero Civium negligentiâ, aut, si vis, divinæ sapientiæ consilio quodam, quæ eâ ratione ignotam priscis Tyrannis statuam servare voluit, hujusce rei fama evanuit, minime animadvertentibus iis, qui eandem statuam apud se retinebant litteras, quibus quem referret, dignoscere potuissent: humus quippe ad statuam aggesta, & easdem litteras obtegens, memoriam rei gestæ, & cujus exhiberet imaginem, sustulit. At tributa Ecclesiæ pace, quemnam referret, innotuit, manifestantibus litteris antea obtectis, & postea ablata humo apparentibus, vel potius miraculis per herbam ad ejusdem statuæ pedes enascentem, editis. Id vero dissolvit argumentum illud, quod a Gentilibus in Christianorum monumenta sævientibus desumptum est. Quod ne temere dixisse videar, affero Scriptoris minime hac in re suspecti, Philostorgii scilicet, verba. En illa. (*b*)
„ De statua Servatoris nostri, quã fides mulieris, quæ sanguinis profluvio laborabat, bene de se merito gratiam referens, erexit, scribit Philostorgius eam collocatam fuisse juxta fontem, qui est in Urbe, una cum aliis statuis, & jucundum atque amænum spectaculum præbuisse spectantibus. Cumque herba ad pedes Servatoris enata, adversus morbos omnes, præcipue vero adversus tabem, efficacissimum esset remedium, causâ hujus rei inquiri cœpit. Temporis enim lapsu memoria exciderat, & cujusnam ea effigies esset, & quam ob causam fuerat collocata. Quippe Servator sub dio stans, nudusque, haud exigua corporis parte obrutus fuerat, terrâ continuo ex superioribus locis, maxime verò pluviarum tempore ad statuam aggestâ, quæ literarum, quibus singula narrabantur, notitiam obliteraverat. Cum igitur diligens fieret inquisitio, pars quidem statuæ, quæ humo obruta erat, effossa est: litteræ verò repertæ sunt, quæ totam rei gestæ seriem indicabant. Ac planta quidem ex eo tempore non amplius visa est, nec ibi, nec alio in loco. „

IV. Atque hanc sane notitiam ad Constantini tempora

(*) Illuis verba referrem, nisi multa essent: Retulit tamen Joannes Damasce: *in testimoniis* pag. 77. editi. Zini. Ad eum Lectorem rejicio.

(*b*) li. 7. n. 3. interprete Valesio.

pora referre commode possumus: deperdita vero deinceps est herba illa, &, ut ita loquar, hominum oculis subducta, quia Dominus, qui eo miraculo allicere homines volebat ad eam statuam dignoscendam, hoc ubi obtinuit, id sustulit, quod eam notitiam hominibus ingesserat: *Ut enim ad fidem* (inquit Gregorius (c)) *cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda; quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terrâ jam coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.*

(c) hom. 29. in Evan.

V. Fabulosam porro temere appellas eam narrationem. Undenam eam fabulosam probare poteris, quando ego quidem Eusebium, Philostorgium, Sozomenum, aliosque etiam vetustos Scriptores proferre facile possũ, qui id certo testentur? An brachium Domini coarctare tu vis, pluribusque morbis eam herbam prodesse posse negas, quæ non naturali, sed divinitus tributâ, & miraculosâ, & valde aptâ ad deducendos ad fidem Christianam Gentiles virtute pollebat? Jam postremam objectionis partem aggredior.

VI. Eusebium fateor in Concilio Nicæno II. accusatum fuisse, quasi sacris imaginibus fuerit adversatus. Allata scilicet est epistola veluti ab eo scripta ad Constantiam Augustam, cui Domini Servatoris imaginem exposcenti se nullam mittere posse respondit: [*] Nam si humanæ naturæ imaginem illa poscebat, hanc habere non poterat: quippe humana natura a divina fuerat absorpta. Si vero divinæ, nulla arte, aut corporea specie eam efformare fas erat. Hinc propter hujus epistolæ improbitatem Nicæni secundi Patres sententiam in eum pronunciarunt, monueruntque negligendam esse prorsus Eusebii opinionem, ut pote hominis palam Ariani, & in ea secta primas fere tenentis. At, ut candide, quæ sentio, eloquar, his non adducor, ut Eusebium inter eos recenseam, quibus Christi imagines displicuerunt. Scilicet quidquid secus sentiant alii, Magnus Vir Petavius, & in veterum scriptis dijudicandis recti exquisitique judicii, Eusebio suppositã fuisse ait epistolam hanc, idque ex stylo ipso dignosci posse autumat. *Ego vero* (inquit Petavius (d)) *spuriam, & ab hæreticis Iconoclastis confictam fuisse arbitror. Certe Eusebiani styli, ac characteris venam non habet, ut quivis in ejus lectione detritus facile perspiciet.*

[*] Hæc epistola a multis allegatur: Sed certe actione sexta Concilii VII. generalis integra fere affertur, & refutatur. Vide columnã 1143. & subsequentes tomi VIII.

(d) li. 15. de incarnatione cap. 14. n. 9. Idest post 7mo.

CAP.

CAP. XLIV.

Ea affertur, ac dissolvitur objectio, quæ contendit, etiam si vera foret Eusebii narratio, minus aptam esse tamen ad Sacrarum Imaginum antiquitatem, aut probitatem evincendam.

1. AT en tibi objectionem alteram, eamque, si adversariis credimus, prioribus validiorem, quæ de narrationis illius veritate parum sollicita, hoc tantum contendit, minime ex ea id evinci, quod Pontificiis maxime est cordi, antiquam scilicet, & probam eam esse consuetudinē, quam iidem Pontificii servant, dum Christi imagines formant. Contemnendum nimirum volunt mulieris illius exemplum: etenim id egit, gentis suæ consuetudinē, & ingeniū secuta, cum tamen ab Ecclesia desumendi sint, quos sequamur, ritus, & mores. Id indicat porro Eusebius, cum hæc ait: *Nec vero mirandum est, Gentiles a Servatore nostro beneficiis affectos hæc præstitisse . . . . . quippe prisci illi absque ullo discrimine cunctos de se bene meritos gentili quadam consuetudine tamquam servatores colere hujus modi honoribus consueverunt*. Prosequitur multis hanc objectionem Carolinorum librorum auctor, cujus propterea verba referre hic placet. (e) ,, Si ergo illa mulier fœminei sexus facilitate, & quadam animi levitate, percepto sanitatis beneficio, ut pote Domini semper præsentiam quærens, eamque ubique esse posse ignorans, imaginem erexit, quis tam vecors perceptis sacræ fidei charismatibus, eumque ubique esse non nesciens, ut ejus habere queat præsentiam, idcirco imaginem eriget, eamque adorabit? Et si illa Mundo nec dum ab idolorum cultibus liberato, visis mortuorū quorundam hominum in urbibus, statuis, ob quarundam rerum memoriam, sive cultum erectis, similiter, prout valuit, agere studuit; quis sanæ mentis, ,, ejus

(e) li. 4. cap. 15. pag. 564.

„ ejus actibus adsensum præbebit, & Dominum non in „ manu factis, sed in cælo, vel potius ubique esse credens, talia agere curabit? Aut si forte illa superstitioso ritu habuit zelum Dei, sed non secundum scientiã, quis Catholicus in fide roboratus ex ejus actibus in „ hac parte exempla sumet, hisque similia faciet? „ (*)

II. Præsto tamen adest tam validæ, ut adversariorum verbis utar, objectionis solutio. Atque ut eos prætercam, qui præcise respondent, mirum non esse, si hæc scripserit Eusebius; quippe constat, eum, ut pote Ariana pice infectum, putasse, Dominum Jesum omnino pingi non posse; quo de argumento nuper egi: ut hos, inquam, prætercam: respondete, hæc minime obesse monitis nostris: quippe tantummodo docet Eusebius, consuevisse Gentiles iis, qui magna sibi beneficia contulerant, statuas erigere: quem tamen morem neque improbat ipse, neque improbatum ait a Christianis. In hac solutione antecessorem habemus eximium Petavium. Audite illũ copiose, uti solet, & erudite hoc de argumento disserentem. (b) „ Nam quod Eusebius de consuetudine Gentilium addidit, non eo spectat, ut imagines simpliciter facere peculiare ipsis fuerit: sed hoc solum, in eorum honorem statuas erigere, vel eos coloribus repræsentare, a quibus beneficium aliquod impetrassent: „ rem porro ipsam, nuda si ponatur, ne littera quidem „ condemnat, aut illicitam esse decernit. Quemadmodum si quis dicat, Ethnicis usitatum illud fuisse, ut ad eorum, quos pro Diis colebant, memoriam, ac venerationem, delubra, & aras extruerent, „ sacrificia iisdem offerrent, dies festos, & conventus solemnitates, & conviviorum hilaritates instituerent: „ tum facibus, ac cereis, thure, suffitu, aliisque id genus lætitiæ signis affectum erga illos suum, studiumque testificarentur: Qui hæc, inquam, & alia plura, quorum utique maxima copia est, ex Gentilium „ consuetudine referret: non propterea putandus esset, omnia ista quatenus ab idolorum, dæmonumque „ cultu ad usum veræ Religionis, & Christianæ transferuntur, damnare prorsus, ac respuere. Sane complures ritus ab Gentilibus usurpari solitos, qui quidem nulla per se se labe, ac flagitio essent obliti, ad „ Christianam Religionem traductos esse jam tum ab „ exordio Christianismi, ne illi quidem negare possunt,

„ qui

(*) Vide etiam, quæ tradit Gallæus in Lactan. *de Origi. Erro.* nota 4. pag. 145. edit. Lugd. Bata. 1660.

(b) li. 15. *de incarnatione* cap. 13. n. 5.

„ qui invidiam Ecclesiæ Catholicæ, ex Gentilium cære-
„ moniarum consortio, ac similitudine faciunt, idque
„ nos in superiore libro copiose demonstravimus, ubi
„ de cultu Martyrum, Sanctorumque reliquorum, de
„ Basilicis in eorum memoriam erectis, ac solemnibus
„ festis, & aliis ejusdem generis institutis plura differuimus. Nunc unicum ex Theodoreto locum hic
„ describemus, qui ad rem nostram potissimum facit.
„ Nam in calce libri, vel sermonis octavi contra Græcos, ubi de cultu Martyrum eleganter, ubertimque
„ disputavit, in locum falsorum numinum, & honorum, qui olim illis tribuebantur, successisse dicit Sanctos Christi Martyres, eorumque venerationem.
„ *Etenim illorum* (inquit de Diis loquens) *templa*
„ *ita penitus diruta, & dissipata sunt, ut ne figurarum*
„ *quidem species ipsa remanserit, nec ararum forma iis,*
„ *qui nunc vivunt, hominibus nota sit: horum vero materia omnis Martyrum templis consecrata fuit. Si quidem mortuos suos Dominus pro Diis vestris substituit:*
„ *& his e medio sublatis, & extinctis, eorum præmia in*
„ *illos transtulit. Pro Pandiis enim, ac Diasiis, &*
„ *Dionysiis, aliisque festis vestris, Petri, & Pauli, Thomæ, Sergii, Marcelli, Leontii, Pantaleemonis, Antonini, Mauritii, & aliorum Martyrum solemnia celebrantur &c.* Eadem & imaginum ratio est: quæ si
„ falsa numina repræsentent, idola sunt, & Christianis
„ interdicta: sin Christi, & Sanctorum effigies referant,
„ pie, ac citra culpam, & reprehensionem obtinentur.„

III. Advertit autem jam dudum Germanus Constantinopolitanus, illius statuæ erectionem, tam & si Gentilium more id fuerit factum, Christo fuisse acceptissimam: miraculo enim, quod jam descripsimus, (c) mulieris illius voluntatem approbavit. (*) *Quoniam & illud secundum gentilem consuetudinem factum, non renuente, sed volente Domino, ut in ipso demonstraretur per plurimum tempus ipsius bonitatis miraculum.* Atque hac responsione satis superque redarguitur, quidquid adversus hanc statuam, & mulierem, quæ illam erexerat, in Carolinis libris illaudabiliter disputatur.

(c) cap. 42. §. 1. & cap. 43. §. 3.

(*) in Epist. ad Tho. Episco. Claudiapo. citata act. 4. Con. II. Nicæ. pag. 966. to. 8. Conci.

CAP. XLV.

Satis fit objectionibus illis, quibus quidem ea, quae superioribus capitibus diximus, evertere student.

I. QUàm vere a veteribus sapientibus enunciatum sit: *nihil esse tam manifestum, quod hominum astutia abscondi occultarique non possit*, ex quorundam Protestantium conatu, quo hactenus tradita in dubium revocare student, assequi facile possumus. Quid indubitatius iis, quae de vetustate imaginum Christi Domini diximus, fingi poterat? quid Veterum auctoritate suffultum magis, & comprobatum? Tamen, haec ipsa minus certa esse asseverant, his quidem conjecturis innixi. Num aliquae Christi imagines primis ipsis Ecclesiae saeculis fuerint factae, nec ne, disputat nemo: at advertendum est, a quonam fuerint illae factae. Si diligenter Veterum dicta expenderis, a Gentilibus tantum, aut ab haereticis fuisse illas factas, retentasque, assequêris; quorum proinde exempla adducere abs re est. Nimirum haemorrhoissa e Phaenicia orta, patrium morem secuta, statuam Christo erexit. Similiter Alexander Mameae filius, in suo larario Christi imaginem servabat (*a*). Horum exempla secuti haeretici sunt: Etenim (quod ex Irenaeo (*b*), ex Epiphanio (*c*), & Augustino (*) assequimur) discipuli Carpocratis, qui se Gnosticos appellabant, Christi imagines efformabant, retinebantque. Egregios sane consuetudinis illius auctores, quam boni Pontificii a primis usque Ecclesiae seculis derivare nituntur! Haeccine exempla apud probabiles viros quidquam virium habebunt? Haec tamen unice proferre poterunt iidem Pontificii: tam & si enim Gregorii II., & Adriani, a primis usque Ecclesiae temporibus sacras imagines deducentium, dicta quae.

(*a*) referente Lampridio in vita Alexand. Severi cap. 29.

(*b*) li. 1. *contra haereses*, cap. olim 24. nunc 25. n. 6.

(*c*) li. 1. *adversus haereses* haer. 27. n. 6.

(*) *de haeres.* cap. 7.

quædam sæpe hi jactitent, neutiquam tamen perditæ causæ illa favent. Silentibus quippe priscis Scriptoribus, & morem hunc Gentilibus tantum, aut hæreticis, tribuentibus, horum Pontificum, *in propriâ* præsertim *causâ*, adtestatio nihil prorsus virium habet. Quod si hi advertissent, (quod deinceps Protestantes minime dissimularunt) (*d*) si, inquam, hi advertissent, testatos fuisse illos, quos allegavimus; hæreticos, eas, quas apud se servabant Christi imagines, a Pilato derivatas fuisse: plane agnovissent, Ecclesiam non modo a colendis, verum etiam ab efformandis servandisque Christi imaginibus abhorruisse. An mendaciter Pilato veluti auctori eas tribuissent, si Fideles omnes Christum tabulâ & coloribus referre consuevissent? Constat itaque hoc ipso istorum hæreticorum mendacio, a formandis, retinendisque Christi imaginibus abstinuisse Fideles veteres. Quid quod valde probabilis ratio eos avertebat a Christi imaginibus efformandis? Si de symbolicis imaginibus loqueris: hæ minime laudabiles sunt, ut pote quæ Christum revera non exhibeant, sed aliquod tantum illius attributum adumbrent. Hinc merito typicis substitutæ sunt eæ, quæ Christum humanâ ipsâ, quam habuit, formâ exprimerent. (Vide Canonem 82. Concilii Quini--sexti) (*) Si vero de postremo; hoc imaginum genere loqueris, eas quis approbet, *cum Christum dividant, qui nullo modo separari potest?* Fac, si potes, eas Christi imagines, quæ non humanitatẽ solam, verum etiam Divinitatem repræsentent; tum denique eas amplectemur, & retinebimus. At dum Christum exprimere cupiens, vilem exhibes naturam, præstantem obtegis, eas sane Christi imagines facies, quas sapiens quisque redarguet: ideoque, nisi plane fallimur, Veteres redarguerunt, & aversati sunt.

II. Quid tamen volunt pertinaces isti veritatis hostes, dum conjecturis adeo levibus rẽ plane indubitatã infirmare nituntur? Ergo ne ea, quæ attulimus, plurima sane, & perspicua, minus habebunt virium, quâm pauca ista, & (verbo absit invidia) futilia plane argumenta? Non a Gentilibus tantum, aut ab hæreticis Christi imagines priscis ipsis Ecclesiæ temporibus sunt efformatæ, sed a Catholicis etiam. Neque enim hæreticis boni pastoris imagines Tertullianus objicit, sed Catho-

(*d*) Dallæus *de imagini.* li. 1. cap. 7. pag. 110.

(*) pag. 1383. to. 7.

tholicis, quos ille temere accusat. Generatim quoque protulit hæc Eusebius (e): *Nec vero mirandum est, Gentiles a Servatore nostro beneficiis affectos hæc præstitisse; cum & Apostolorum Petri, & Pauli, Christique ipsius pictas imagines ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus.* Neque porro Eusebius ab hæreticis tantum, aut Gentilibus efformatas fuisse has imagines ait. Quam ob rem rectissime is sentit, qui a Christianis omnibus Christi imagines ab ipso Ecclesiæ exordio formatas putat.

III. At cur, inquis, Christi imaginum tantum meminere veteres Scriptores, quum ab hæreticis, aut a Gentilibus servatas fuisse tradunt? Nuper dixi, Eusebium, non ignobilem sane Scriptorem, minime tradere, ab hæreticis tantum, aut a Gentilibus factas fuisse, servatasque eas Christi imagines, quas ad suam usque ætatem superstites fuisse testatur, neque ullus veterum Scriptorum morem eum apud hæreticos tantum, aut Gentiles invaluisse ait. Imo (ut argumenta reliqua mittam) cum in vetustissimis Christianorum cœmeteriis tot Christi imagines repertæ sint, (*) facile assequimur, Christianos omnes Christi imagines efformare consuevisse.

IV. Quod si probabilem causam exposcis, ob quam Irenæus & Epiphanius, (ex quibus dicta sua desumpsit Augustinus) de Carpocratianis agentes propterea eos reprehenderunt, quod eas imagines servarent, ac colerent, continuo tres, (me quidem judice) haud illaudabiles præbeo. Carpocratiani scilicet in hoc etiam Ecclesiam accusabant, quod verâ Christi imagine destitueretur: eam porro laudem se consecutos fuisse ajebant, qui imaginem Christi coloribus tum expressam haberent, quum Pilatus eundem Christum populo ostendit. Temere vero in hoc Ecclesiam accusabant: cum indubitate asserat Gregorius II. (qui, ut recte conjicere possumus, id acceperat a veteribus) vivente ipso Christo imagines illius aliquas fuisse efformatas. (*)

V. Secundo merito redarguebantur, quod eas imagines in occulto servabant ac venerabantur, quasi eos puderet Christi imagines habere, ac colere. (*)

(e) li. 7. hist. in editio. Christo. cap. 14. Valesii vero 18.

(*) Recole, quæ capi. 36. §. 8. dicta sunt, quibus, si vis, ea adde, quæ de boni pastoris imaginibus deinceps dicemus.

(*) epist. 1. ad Leonem Isau. pag. 655. to. 8. Conci. *Qui Dominum cum vidissent, pro ut viderant, spectandum ipsum proponentes, depinxerunt.*

(*) *ejusmodi imagines occultas habent.* (Epiphanius.)

VI.

VI. Reprehensione demum dignissimi propterea erant, quia cultu superstitioso, ideoque Christo injurioso, easdem imagines colebant. Apertissime id tradit Irenæus, cujus verba recitare hic placet. *Et imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam a Pilato illo in tempore, quo fuit Jesus cum hominibus. Et has coronant, & proponunt eas cum imaginibus Mundi philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Aristotelis, & reliquorum; & reliquam observationem circa eas, similiter ut Gentes, faciunt.* An non Christo injuriosa est ea imaginum illius custodia, & veneratio illis adhibita, per quam constat eodem prorsus in honore habitum fuisse Christum (*), atque habebantur Philosophi, & Sectarum magistri, Pythagoras, Plato, & Aristoteles? (f) Si id ipsum erga Christi imagines fecissent Catholici, reprehensioni ii quoque fuissent obnoxii. Sed id minime egerunt, efformantesque Christi imagines ab iis caverunt, propter quæ Carpocratis discipuli jure, meritoque reprehensi sunt.

VII. Atque huic quidem explicationi non leve robur, & claritatem addunt ea ipsa Epiphanii, & Augustini testimonia, quæ objecerunt, quæque proinde recitare integra libet. Ecce Epiphanii verba, quemadmodum ex Græco ea transtulit eximius Petavius. (g) „ Habent porro Carpocratiani depictas coloribus imagines, quidam etiam aureas, aut argenteas, „ vel ex alia materia factas, quas esse Jesu effigies affirmant: easdemque a Pontio Pilato ad Christi similitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat. Sed ejusmodi imagines occultas habent, nec „ non & Philosophorum quorundam, ut Pythagoræ, „ Platonis, Aristotelis, aliorumque, quibus eas, quas „ dixi, Christi effigies miscent, & erectas simul omnes „ adorant, ad easque Gentilium ritus instituunt. Collocatis enim simulacris istis, quæ a Gentilibus fieri „ solent, deinceps perficiunt. Quinam vero sunt Gentiles ii ritus alii quàm sacrificia, cæteraque generis „ ejusdem? „ Ad hæc verba si diligentius animum advertisset Dallæus, ea adversus Catholicos non attulisset:

(*) Vox hæc *proponebant*, innuere videtur imagines propositas fuisse ad *adorandum*; ideoque æqualem cultum fuisse ab iis delatum imaginibus Christi, atque imaginibus Pythagoræ, Platonis, & Aristotelis. Sane Gregorius II. dum hæc ait: „ qui „ Dominum cum vi„ dissent ... ipsum „ *proponentes* depinxerunt &c. „ cultum imagini Christi adhibitum, nisi plane fallimur, indicat.

[f] has coronas non fuisse simplices, sed Gentilium more veluti consecratas, aut certe ejusdem plane honoris, qui deferebatur Pythagoræ, Platonis, & Aristotelis imaginibus, indices, indubitatum esse videtur. Coronas (aliquas saltem) superstitiosas prorsus fuisse palam testatus est Tertullianus in libro *de Corona*, ad quem lectorem allego. Consule etiam Tillemont tom. 2. histo. Eccles. peculiari articulo *de Carpocratianis*, pag. 255. edi. Vene.

(g) li. 1. pag. 108. edion. Coloniensis to. 1.

ſet: conſtat enim plane ex his non Jeſu Chriſti imagines quaslibet, cultumque iis adhibitum diſplicuiſſe Epiphanio, (quem Carpocratianorum errores ignoraſſe ne Critici quidem ipſi dicere audent) ſed eas imagines diſplicuiſſe, quarum origo Eccleſiæ demebatur, & per mendacium a Pilato deſumebatur, quæque turpes adeo fortaſſe erant, ut eas palam proferre vererentur Carpocratiani; eumque cultum illis delatum diſplicuiſſe, qui a Chriſtiano cultu alieniſſimus foret. *Sed ejus modi imagines occultas habent, nec non & philoſophorum quorumdam . . . . quibus eas, quas dixi, Chriſti effigiei miſcent, & erectas ſimul omnes adorant.*

VII. Ecce vero tibi Auguſtini de Carpocratianis loquentis verba. *Sectæ ipſius fuiſſe traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jeſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incenſumque ponendo.* Oſtende porro, quiſquis hæc objicis, minime potuiſſe reliquos Chriſti imagines facere, venerarique, quin in eum facerent finem, quo faciebant, & eo modo venerarentur, quo venerabantur Carpocratiani: tum porro ſtatim tibi obſequar, caviſſeque fatebor a Chriſti imaginibus efformandis, colendiſque Chriſtianos veteres.

VIII. Leviſſimum autem id eſt, quod ex ratione deſumunt, ut inviſas veteribus Chriſtianis fuiſse evincant imagines Chriſti. Quis hominem exprimere cupiens, illius doctrinam, & reliquas dotes, animam quoque aut præcordia, & viſcera, ſe eâdem imagine exprimere poſſe confidit? Ad tantam excellentiam humanas artes minime deduces. Satis itaque eſt, ut vultum Domini Jeſu, qua potes, egregia ratione exprimas; tum ſi qua forte deeſſe putes, ut a comuni vulgarique diſcernatur, tu alia apponas, veluti nimbum (ſic enim appellant) aut radios circa caput, Apoſtolos addas, & cetera affinia, quæ errandi periculũ tollant. Hæc, vel ſimilia ſi adſint, tum quæ vultum ipſum, & humanam formam exprimant, tum typicas, & ænigmaticas Chriſti imagines approbabo.

IX. Et has ſane objectus Concilii Quini-ſexti octogeſimus ſecundus Canon omnino non vetat fieri, ſed tantũ præfert typicis effigies eas, quæ humanam ipſam Chriſti formam exhibeant. Porro Germanus Conſtantinopolitanus Epi-

Episcopus in Epistola ad Thomam Episcopum Claudipoleos, quam recitavit in Concilii II. (*k*) Nicæni actione quarta Constantinus Diaconus, Domini Jesu coloribus expressam effigiem utilissimam esse ait, tum ob alios quidem titulos, tum etiã quia sensibili argumento eorum hæreticorum repellit errorem, qui veræ carnis fuisse expertem Dominum Jesum asserebant. ,, Domini autem secundum carnem visionis imaginibus ,, formari characterem in redargutionem quidem est ,, hæreticorum, qui phantasiâ, & non veritate hominem eum factum maledice perhibent, & in ,, manuductionem quamdam eorum, qui non omnino ,, ad celsitudinem ascendere spiritualis contemplationis valent. ,, Vide etiam Antirrheticum I. Theodori Studitæ, (*l*) & cap. 18. (*m*) lib. 15. Petavii *de Incarnatione*.

(*k*) pag. 954. to. 8. Conci.

(*l*) pag. 75. tom. 5. Oper. Sirmondi. Adde, si vis, ea, quæ idem Theodorus docet in reliquis duobus antirrhe: *in refuta. poem. Iconomach.* (Ibidem pag. 135. & seq.) & *in epistо. catechi.* (pag. 302., & 330. Denique in quæstio. propositis Icono.* pag. 160.

(*m*) id est postremũ.

CAP. XLVI.

De Symbolicis Christi Imaginibus.

Valde verisimilem eorum putamus esse sententiam, qui censent haud ita paucas fortasse fuisse symbolicas imagines, quibus Christum Dominum Veteres repræsentarent: potiores tamen, usitatioresque fuisse Boni Pastoris, Agni, & Piscis imagines: quibus quartam addere facile possumus, prima & postrema Græci alphabeti litteris (idest A. & Ω.) expressam. Atque hoc quidem in capite de prima agimus; id est de imagine Boni Pastoris, atque eam a primis usque Ecclesiæ sæculis apud Fideles adhibitam, probabilibus exemplis evincimus.

I. SÆpe numero studiosos adolescentes perquirentes audivi, num, quoniam typicis & allegoricis imaginibus veteres sapientes uti solebant, num, inquam, huic consuetudini obsecuta sit Ecclesia, typicisque, atque allegoricis imaginibus usa sit. Cui quidem quæstioni statim respondi: procul dubio typicis, atque allegoricis imaginibus eam uti consuevisse: atque id quidem Clementis Alexandrini vetustissimi, & doctissimi Patris auctoritate, ac verbis facile ostendi posse: ea quippe tradit, quibus perspicue innotescat (a), allegoricas, typicasque imagines mirum in modum, ab eo, immo, nisi plane fallimur, a Christianis omnibus fuisse approbatas.

(a) Tam multa sunt hoc de argumento Clementis Alexandrini verba, ut ea recitare minime possimus. Vide præsertim quæ tradit n. 4. li. 5. Stroma. pag. 658., & 659. edit. Potteri.

II. Quibus quidem positis, facile sibi quisque inducet in animum, ad symbola quædam, & allegoricas, typicasque imagines confugisse eosdem Christianos, cum hinc notissimam *arcani disciplinam* servare vellent, illinc vero Christi imaginibus destitui nollent.

III. Tam & si porro multa ex iis, quæ superioribus capitibus tradidi, hic repeti possent, quibus quidem

dem id, quod agimus, satis evinceretur, haud recuso tamen copiosius eo in argumento versari; & quoniam susceptæ tractationis ordo nexusque nos jubet in Christi imaginibus statim sistere, continuo quærimus, num Christus Dominus typicis, atque allegoricis imaginibus aliquando a Veteribus expressus sit. Atque huic quidē quæstioni responsum hoc præbeo: plures procul dubio apud antiquos Christianos fuere allegoricæ, & typicæ Domini Jesu imagines, at tres præ ceteris: boni pastoris, agni, & piscis, quibus quartam adjungere facile possumus, primâ, & postremâ græci alphabeti littera (idest A & Ω) expressam.

IV. Atque ut ab eo, quod primum dixi, exordiar; plures nempe fuisse apud priscos Christianos, allegoricas, typicasque Christi Domini imagines, non adeo indoctū Lectorem meum arbitror, ut nesciat variis allegoriis adumbratum, indicatumque fuisse Dominum Jesum, quibus eum facile exhibuere Christiani veteres. Multam profecto operam impendit Aringus, ut eos indicet veteris Testamenti sacros heroas, qui peculiarem in modum typi quidam, & remotiores Christi imagines fuere. (*) Aringum porro magna ex parte sequitur Bonarota; atque ad hos quidem egregios Scriptores eundem Lectorem rejicio. Sed ab aliquibus inanimis etiam rebus aliquando adumbratus est Jesus. Gemmis, quibus Judæorum Regum diademata ornabantur, & sacro oleo, quo illi ungebatur, significatum fuisse Christum, expressissime tradit Clemens Alexandrinus. (b) Et ne multa dicam, Clariss. Philippus Bonarota (c) censuit allegorica floris specie significatum interdum fuisse Dominum Jesum: *flos nempe campi est, & lilium convallium* (17) (*): *flos quoque est e radice Jesse progermi-nans*. (*) V.

(17) „ Nel mezzo della Corona si vede il fiore, in vece „ del quale in un' altro vetro in tutto, e per tutto „ simile al nostro, riportato dall' Arringhio (1), vi „ è il Monogramma di Cristo, il che ci fa credere, „ che questo fiore simboleggi il medesimo Cristo, e „ perciò Tertulliano: *Quid tibi cum flore morituro? „ habes florem ex virga Jesse, super quem tota divini „ spiritus gratia requievit, florem incorruptum, immar-„ cescibilem, sempiternum.* „

(*) lib. 5. cap. 7. n. 6. & subsequentibus fere omnibus capitibus ejusdem libri v.

(b) capite 8. libri 2. pedago. pag. 206. editionis Potteri. *Porro autem Reges Judæorum ex auro, & gemmis composita, ac varia corona utentes, atque etiam uncti, Christum in capite symbolice gestantes, imprudentes capite Domini ornabantur.*

(c) Ad figu. (seu imaginem) 1. tab. XVI. pag. 102., & 103.

(*) Cant. 2. 1.

(*) Isa. 11. 1., & Rom. 15. 12.

(1) T. 2. p. 403.

V. Sicut porro phænicis similitudine a Patribus (d), sic Phænicis specie Dominum Jesum a mortuis resurgentem, fuisse expressum a Pictoribus, arbitratur Ciampinus, (*) cujus sententiæ non adversatur quidem prorsus, sed nec in omnibus congruit Bonarota [*]: de qua quidem symbolica specie cum multa illi disputent, ad eos Lectorem rejicio.

VI. Ut illius indeficientem, & corruptionis expertē perfectionem innuerent, sub adolescentis specie veteres formavere. (*) Ut sumam potestatē, regnum quoque, Sacerdotium, & magisterium illius indicarent, virgam illi tribuêre (e). Fortasse etiam stellæ, solis, aliisque affinibus symbolicis imaginibus expressus is est: sed non vacat cuncta afferre, atque in iis immorari, præsertim cum plurima illa fuerint. Audite, ne cunctos veteres scriptores afferam, quæ tradit Damasus, seu alius, quisquis is est, Damasi nomine latens (f):

Spes, Via, Vita, Salus, Ratio, Sapientia, Lumen,
Judex, Porta, Gigas, Rex, Gemma, Propheta, Sacerdos,
Messias, Zebaot, Rabbi, Sponsus, Mediator,
Virga, Columna, Manus, Petra, Filius, Emmanuelque,
Vinea, Pastor, Ovis, Pax, Radix, Vitis, Oliva,
Fons, Paries, Agnus, Vitulus, Leo, Propitiator,
Verbū, Homo, Rete, Lapis, Domus, omnia Christus Jesus.

VII. Nec continuo symbola omnia, quibus expressus est Christus, his versibus comprehenduntur. Significatus etiam in Nuce est Christus, qui propterea sub eo symbolo pingi facile potuit. Id discimus ex Paulino, cujus hi versiculi sunt (g):

. . . . . In nuce Christus,
Virga nucis Christus, quoniam in nucibus cibus intus,
Testa foris, & amara super viridi cute cortex.
Cerne Deum nostro velatum corpore Christum,
Qui fragilis carne, est verbo cibus, & Cruce amarus.

Nec tamen his carminibus cōprehenduntur eæ duæ litteræ A & Ω, quibus adūbratū fuisse Christū, deinceps ostendā.

VIII. At illud procul dubio positum est, quod Aringhius, Bonarota, Boldetus, Marangonus, aliique clarissimi viri perspicuis, pluribusque exemplis compertissimum fecerunt: usitatissimum nempe veteribus Christianis fuisse, ut præsertim Boni Pastoris specie Christum Dominum exhiberent. An exempla requiris? Ecce tibi plurima. Atque ut a Scriptoribus exordiamur,

(d) Clemens Alexand. Zeno in sermone *de resurrectio*. *&c.* li. 1 tract. 16. n. 7. pag. 129. Vide adnot. 9. Fratr. Balleri.

(*) to. 2. vet. mon. cap. 7. pag. 61.

(*) pag. 45.

(*) Vide quæ tradunt Aring. lib. 6. cap. 17., & Bonarota pag. 59.

(e) Bonaro. pag. 51. Aringus quoque cap. 15. lib. 6. pag. 548. to. 2.

(f) carm. XI. pag. 545. to. 8. Biblioth. Pari.

(g) Natali 9. S. Felicis v. 282.

mur: Nonne apertiſſime Tertullianus (*) expreſſum fuiſse ait in calicibus, paſtoris effigie, Dominum Jeſum? *Procedant* (inquiens) *ipſæ picturæ calicum veſtrorũ, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius utrumne Chriſtiano, an Ethnico peccatori de reſtitutione conliniet? ..... Cui ille ſi forte patrocinabitur paſtor, quem in calice depingis.*

(*) in lib. *de pudic*: in ipſo initio capitis 7. & rurſus capite 10.

IX. Quod ſi adhuc ſuperſtites afferri vis vetuſtas imagines id ipſum exprimentes, ſtatim afferam, atque eas in primis, quas in vitreis calicibus in Chriſtianorum cœmeteriis repertis pictas conſpicimus; de quibus quidem imaginibus (quod ſæpe dixi) laudatiſſimum librum ſcripſit eruditiſſimus Philippus Bonarota. Porro in his crebro ſub paſtoris ſymbolo expreſſum videmus Dominum Jeſum: ideoque vel oves cuſtodientem, vel unam ex iis, impoſitam humeris deferentem: quæ quidem imagines manifeſto reſpiciunt vel ad verſicu. 11. & ſubſequentes capitis 10 Joannis, vel ad verſicul 21. capitis 13. epiſto. ad Heb (*b*) Vide, obſecro, imaginem I. tabulæ I. Tabulam etiam IV. Rurſus imaginem 1. & 2. tabulæ V. Item imaginem 2. Tabulæ VI. quæque explicationis cauſa ad illas docuit idem Clariſs. Bonarota.

[*b*] Id ipſum innuit Petrus epiſto. 1. ca. 2. v. 25. & cap. 5. v. 2. 3., & 4.

X. In cœmeteriis quoque eandem imaginem ſæpiſſime occurrere teſtantur Boldetus (*i*), & Marangoni (*k*), & ante eos Boſius, & Aringhius. Repetita ea quoque eſt tam crebro in Sarcophagis Chriſtianorum, ut neceſſe non ſit exempla adducere. Libebat ſcilicet Chriſtianis ea ſub ſpecie Chriſtum Dominum repræſentare, quia ea bonitatem erga nos ſuam maxime indicat, poſcitque viciſſim gratum animum atque amorem noſtrum.

[*i*] li. 1. ca. 5. pag. 21. Ejuſdem boni paſtoris imagines duas Chriſtum repræſentantes exhibuit Clariſs. Boldetus li. 1. ca. 39. pag. 21. & rurſus pag. 212. aliam affert, quam Bonarota non habet.

[*k*] Acta S. Victori. pag. 128. &, niſi fallimur, etiam 95.

XI. Ea quoque ſpecie ſe interdum viſendum exhibuit idem Chriſtus. Hinc Perpetua vetuſtiſſima Martyr extaſi abſorpta hæc ait. (*l*) *Vidi .... hominem canum, ſedentem in habitu paſtoris, grandem, oves mulgentem: & circumſtantes candidatos millia multa.* (*m*)

(*l*) Acta SS. Perpetuæ n. 4. pag. 82.

(*m*) ad hæc verba hæc annotatio adjicitur. *Vix ullum reperire eſt antiquitatis monumentum, in quo Chriſtus ſub paſtoris ſpecie depictus non ſit. Habes ejus rei multa exempla paſſim in Roma ſubterranea &c.*

XII. Hinc mirum non eſt, ſi ut præſentem haberent, & ea imagine recrearentur, atque ad virtutes excitarentur, ubicunque poterant, eam efformarent Fideles. Vidi ego ſane in annularibus gemmis, quas ad tria priora Eccleſiæ ſæcula referebat Reverendiſſimus D. Aſcanius Vareſe Canonicorum Regularium Lateranenſium, dum vivebat, exi-

eximiū decus, atque ornamentum; vidi, inquam, in annularibus gemmis expressam boni pastoris formam, cujus symbolum cum Gentiles non assequerentur, poterant cōmodius, tutiusque Christiani eâ uti, & ubicunque iis libebat, illam exprimere.

XIII. Ad eamdem fortasse ætatem referre poteris anularem gemmam, quam inter *cæmeteriales* exuvias repertam, & deinceps a præclarissima matrona Felice Rondanina servatam fuisse docet Aringus. (n) At etiam, quum Tyrannorum excusso jugo, optatissima pace potita est Ecclesia, vetustum morem retinuisse testatum fecit Eusebius: quippe (o) hæc scripsit: *Vidisses igitur in fontibus, qui sunt in medio foro, boni pastoris imagines, Divinorum Oraculorum peritis notissimas.* Et de symbolica boni pastoris specie dicta sint satis. Qui plura cupit, ea consulat, quæ Aringus hoc de argumento, multo copiosius tradidit. (p)

(n) l.6.cap.18.pag. 554. to. 2.

(o) cap.49. editionis Valesii (ātiquæ 48.) li 3. Vitæ Constantini, Valesio interprete.

(p) li. 6. cap. 18. & 19. pag. 550., & sequentibus.

C A P. XLVII.

De specie Agni, qua expressus est Dominus Jesus.

I. NEc minus antiqua, nec minus celebris inter symbolicas Christi imagines ea est, qua Christus Dominus Agni specie expressus est. A primis usque Ecclesiæ sæculis id apud Christianos fuisse usitatum manifesto docemur non modo a frequenti harum imaginum in vetustis cœmeteriis copia, (*) verum etiam ab ea imagine, quæ prior occurrit in tabula VI Clariss. Bonarotæ, quæque etiam refertur a Clariss. Boldeto. (*) Ea porro illius generis est, quod antiquissimum esse diximus, & Martyrum ætate formatum. (*) Antiquissimus etiam Sarcophagus ille est, in quo Junius Bassus tumulatus est. (18) (19) Porro in eo exprimitur Christus sub

(*) Boldetus lib. 1. cap. 5. pag. 22.

(*) li. 1. ca. 39. tab. 5. n. 13.

(*) cap. 36. §. 5.

(q) Vide illius formam ab Aringo ære expressam to. 1. li. 2. ca. 10. pag. 277. Inspice minutiores illas agni figuras, quæ super expressas in inferiori parte sacras historias occurrunt.

(a) de Ædificiis Constantini cap. 4. n. 65. pag. 108.

(18) De eodem Junii Bassi Sarcophago hæc ait Ciampinus: (a) „Præ-

ſub Agni ſpecie virgâ Lazarum e mortuis ſuſcitans, aliaque peragens fidei noſtræ Sacramenta: quibus quidem imaginibus apertiſſime conſtat, Chriſtum Dominum ſub agni ſpecie repræſentari conſueviſſe.

II. Perſtitiſſe vero deinceps eū morē, cum alia multa cōprobēt, illæ imagines indubitate cōmonſtrāt, quæ in muſivis veterum picturis ſuperſunt adhuc. Quid expreſſius iis agni imaginibus, quæ in arcu ſacræ ædis ſanctis Coſmæ & Damiano 530. (ſi Ciampino credimus) (r) anno

(r) par. 2. vete.moni. cap.7.tab. 15.& 16. pag. 38., & 66.

„ Prænobilis, ac miræ cælaturæ marmoreus ſarcophagus „ Junii Baſſi Urbis Præfecti, in cujus ſuperiori limbo hæc leguntur. *Junius Baſſus V. C qui vixit annis XLII. men. II. in ipſa Præfectura urbis Neophitus iit ad Deum VIII. Kal. Sept. Euſebio, & Ipatio Coſſ.* Vixit Junius ſub Pontifice Liberio, obiitque anno Chriſti 359. „

(19) „ Nel pilo del Sepolcro di Giunio Baſſo del Vaticano „ in certi emblemi, o ornamenti ſcolpiti ne gli angoli ſopra le colonne de' ripartimenti delle ſacre Iſtorie, ſi vede un agnello, che con una verga riſuſcita Lazzaro; ne ſegue poi un altro, che ſale verſo la Città Santa poſta ſul Monte, ed a quella ne guida un altro, indi ne ſegue uno, che pone un piede d' avanti ſul capo d' un altro, il quale ſta col rimanente del corpo immerſo nel Giordano, e vi è in aria lo Spirito Santo in forma di colomba; viene poſcia un' agnello, il quale con una verga tocca le ſporte del pane, per figurare il miracolo della moltiplicazione del medeſimo; nel penultimo luogo altro ve n' è, il quale tocca colla verga l' acque del Giordano per ſegno della ſantificazione dell' acque battesimali, per le quali deono paſſare gli eletti; finalmente in ultimo ſi vede un agnello, che nuota nel mar roſſo, e dietro a ſe un altro ne guida, ſimboleggiando così Geſù Criſto, il quale pel mare della ſua paſſione conduce alla ſalute i fedeli. Ho voluto notare queſti ſimbolici ornamenti non troppo oſſervati, per far vedere, come io diceva, il genio degli antichi Criſtiani di figurare il Redentore ſotto l' immagine dell'agnello. „ (*) Hactenus Clariſ. Bonarota.

(*) in eo libro, qui inſcribitur: *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro &c.* ad fig. I. tab. VI. pe. 45., & 46.

no erectæ, eodem tempore formatæ sunt, & etiam num supersunt? Idem porro Ciampinus (f) similem aliã agni imaginem affert in æde S. Vitalis Ravennæ jam pridem pictam. Ecclesiam S. Marci Romæ erectam, picturis ornatam fuisse Ciampinus pariter docet: (t) atque in ea quidem visitur adhuc agnus Christum repræsentans. (u). Paschalem I. in æde SS. Praxedis (x) & Cæciliæ (y) sub eâdem Agni effigie Christum indicasse compertissimum fit ex imaginibus, quas ære expressas idem Ciampinus evulgavit. His adde imaginem alteram ejusdem generis, quam ex vetusto, & nunc diruto musivo olim extante in Vaticana Apostoli Petri Basilica refert crebro allegatus Ciampinus: (z) quamvis enim minime constet, num ejus auctor, an restaurator Innocentius III. fuerit, illius tamen partis, quæ Christum sub agni specie exhibet, auctorem fuisse eundem Innocentiũ, simillimum veri est. Ex quibus porro imaginibus apertissime liquet non modo Romæ, verum etiam aliis in regionibus consuevisse sub agni specie indicari Christũ. Atque ea quidẽ, quæ de Romanis musivis attulimus, manifesto evincunt, Romæ eam consuetudinem invaluisse: ea vero, quæ ex Ravennatibus musivis exprimit laudatus Ciampinus, compertissimum faciunt, aliis etiam in locis id fieri consuevisse.

III. Ad id confirmandum Flori Lugdunensis versiculos quosdam adducit Clarissi. Philippus Bonarota, (aa) quos quidem referre placet, ut pote mirifice id, quod agimus, describentes.

Martyribus supra Christus Rex præsidet altus.
Circumstant miris animalia mystica formis,
Nocte, dieque hymnis trinum inclamantia numen.
Adstat Apostolicus pariter chorus ore corusco
Cum Christo, adveniet certo qui tempore Judex.
Vivaque Hierusales, Agno inlustrante refulgens,
Quattuor uno agitat Paradisi flumina fonte.

IV. Eundem porro morem aliis pariter in regionibus fuisse servatum, declarant ii Paulini versus, quos alibi allegavi. (*)

Sub Cruce sanguinea niveo stat Christus in Agno,
Agnus ut innocua injusto datus hostia lætho.

V. Sed cur tã multa affero, quando id indubitatũ efficit canon 82. Synodi illius, quæ Trullana a Trullo, ubi celebrata fuit ea Synodus, ab aliis vero *Quinisexta* inscribitur?

(f) ibidem cap. 9. tab. 18. pag. 68. Porro Sancti Vitalis ædẽ anno 547. ædificatã fuisse ait Ciãpinus. Picturas porro musivo opere in ea formatas ad an. 547. revocat. Ibidẽ pag. 65.

(t) Ibidem pag. 119.

(u) tab. 37. pag. 122.

(x) Ibidem tab. 46. pag. 147. & rursus tab. 47. pag. 148. deniquetab. 49. pag. 151.

(y) Ibidem tab. 62. pag. 150.

(z) *de ædificiis* Constantini. tab. 13. pag. 42.

(aa) in Analect. Mabillon. to. 4. vete. editio. at in recentiori 1723. pag. 416.

(*) cap. 26. §. 2.

bitur? Scilicet hic canon, dum vetat, deinceps sub Agni specie pingi Christum, jubetque, eum humana ipsa effigie exprimi, haud obscure innuit eam, de qua disserimus, consuetudinem. (*) At ipsa Canonis verba allegare juvat (*) „ Ut ergo quod perfectum est, vel colorum expressionibus omnium oculis subjiciatur, ejus, qui tollit peccata mundi, Christi Dei Nostri, humanâ formâ characterem, etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno statui ac pingi jubemus; ut per ipsum Verbi Dei humiliationis celsitudinem mente comprehendentes, ad memoriam quoque ejus in carne conversationis, ejusque passionis, & salutaris mortis deducamur, ejusque, quæ ex eo facta est, Mundo redemptionis. „ Qui Canon actione IV. septimæ Synodi relectus est. (*) Quoniam enim commodius videbatur Patribus illis, & longe utilius, si humanâ ipsâ formâ Christus exprimeretur: (tum si quidem in mentem facilius venisset, nostram ipsam carnem a Domino assumptam fuisse, & in ea, ut nos redimeret, passum, & mortuum) hanc effigiē postmodū priori effigiei prætulerunt.

III. Quanti vero hujusce Concilii editionem fecerint Ecclesiastici, & præsertim Romani, compertissimum fit ex iis, quæ nuper de Christi imagine agni specie a Paschali, &, nisi fallimur, ab Innocentio etiam III. expressa diximus. Quin etiam nuper *in instituti scientiarum* impluvio marmoream Crucem vidi, in cujus medio Agni specie Christus sculptus est. Porro, quantum ex ipsa Crucis forma assequi possumus, quatuor, aut quinque ab hinc seculis eadem Crux elaborata est. Quæ si satis non putes ad ostendendum post sæculum etiam VIII. consuevisse Fideles sub Agni specie Christum Dominum exprimere, præter illa exempla, quæ, de Basilicis S. Praxedis (*bb*), & S. Laurentii *extra Muros* agens, Ciampinus adducit: (*cc*) (quippe in priore illa Agnus in medio Angelorum, & Evangelistarum positus Christum exhibet: in altera vero duo illi agni, Christum Dominum repræsentantes, ab Honorio III. efformati fuisse videntur) præter hæc, inquam, exempla, tu illud adjunge, quod adhuc Ecclesia Romana servat, dum in cereis imaginibus, quas peculiari ritu benedicit Romanus Pontifex, imaginem Christi sub specie agni crucem deferentis imprimi vult; adeo ut *Agnus Dei*, seu, *Agni Dei* cereæ istæ imagines appellentur.

(*) Agit quidem hic Canon tantummodo de Imaginibus repræsentantibus Christum, *qui digito præcursoris monstratur*; sed ratio, quā affert, omnibus imaginibus Christū Agni specie exhibentibus convenit; ideoque de omnibus hujusce modi imaginibus loqui videtur. Vide Petav. *de incar.* li. 15. cap. 13. §. 9.

(*) pag. 1383. to. 7. Conci.

(*) pag. 882. tomi 8. Con. Idem Canon a Theodoro Studita sæpe allegatur; veluti in Antir. 2. n. 28. *in refuta. poema. Iconom.* n. 27. in cateche. ad Theodo. pag. 305. to. 5. Sirmon. &c.

(*bb*) par. 2. vet. mon. cap. 25. tab. 46. pag. 147.

[*cc*] Ibidem cap. 13. tab. 28. pag. 102.

IV. Atque, ut clarius intelligi possit, cur id fiat, ad alios rejecta peculiari tractatione, quæ earum cerearum imaginum, quarũ modo meminimus, defensionem, ac laudes sibi vindicet, atque in formâ ipsa agni nos continentes, ea specie, jure meritoque expressum fuisse, ac nunc etiam exprimi Christum ex iis scripturarum locis facile evincitur, in quibus *cum agno mansueto ad victimam ducto* comparatur idẽ Christus, quæ quidem notissima sunt, atque illud in primis celebratissimum, quod Jeremias capite 11. (*) scriptis tradidit. (*) Hinc sub agni mactati specie in veteribus musivis expressum sæpissime conspicimus Christum. Sed ad eumdem sub agni specie repræsentandum Fideles etiã impulere ea Apocalypsis loca, in quibus sub agni forma indicatur, & describitur Christus: quæ quoniam notissima sunt, ab iis allegandis abstineo. Illud tamen peculiariter commemorare æquum censeo, quod capite v. legitur: adoratum scilicet sub Agni forma fuisse Christũ, clamantibus millibus millibũ Angelorum in circuitu throni positis: (dd) *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Quibus quidem dictis, hæc Joannes subdit: *Et omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno: benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas: & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.* Luculenter etiam hoc de argumento agit Aringus (ee), quem Lector consulat.

[*] v. 19.

(*) Adde quæ Isa. 53. v. 7. & Acto. 8. 32. habentur.

(dd) cap. 5. v. 11.

(ee) lib. 6. cap. 20. pag. 556., & subseq.

CAP.

CAP. XLVIII.

De Symbolica Piscis imagine, qua expressum novimus Dominum Jesum.

I. MIratos audivi multos, propterea quia in veteribus Christianorum cœmeteriis haud raro expressi appareant pisces. At mirari desinent, si quod his imaginibus indicatur, noscent: quod is facile assequetur, qui in veterum Patrum scriptis detritus sit. Fideles nuper per baptismatis aquas ablutos, & in iis veluti natos, natantes, adultosque significatos fuisse, alibi ostendam. At Christum ipsum ea etiam symbolica specie fuisse indicatum, minime dubito. Id declarat (multorum quidem judicio) Clemens Alexandrinus, cum hæc ait: [a] *In multis enim gemmis, & parvis una est, in captura autem piscium unus est sacer piscis:* (b) sed apertissime id significat Optatus Milevitanus hæc inquiens. [c] ,, Sed nescio, an cum illo pisce, qui Christus intelligitur: qui in lectione Patriarchæ legitur in Tigride flumine prehensus, cujus fel & jecur tulit Tobias ad tutelam fœminæ Saræ, & ad illuminationem Tobiæ non videntis: Ejusdem piscis visceribus Hasmodæus dæmon a Sara puella (quæ intelligitur Ecclesia) fugatus est & cæcitas a Tobia exclusa est. Hic est piscis, qui in baptismate per invocationem fontalibus undis inferitur, ut quæ aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocitetur. Cujus piscis nomen secundum appellationem græcã in uno nomine per singulas literas turbam sanctorũ nominum continet, ΙΧΘΥΣ, quod est Latine, Jesus Cristus Dei Filius Salvator. ,, Præiverat Optatum Tertullianus, cujus hæc est sententia (d): *Sed nos pisciculi secundum ἰχθῦν nostrum Jesum Christum in aquis nascimur.*

II. Æqualis Optati Zeno Veronensis, nisi fallimur, fuit. In eandem vero sententiam hæc ait ille (e) [explicans notissima Verba Jesu ad Petrum (f): Mit-

[a] Strom. 1. cap. 1. pag. 325. editio. Potteri.

(b) in editione Potteri legitur *Gallionymus: Anthias* in editionibus aliis.

(c) lib. 3. pag. 61. editio. Albaspin.

(d) *de baptism. ca. 1.*

(e) li. 2. tracta. 13. n. 2. pag. 178. edit. ab optimis fratribus Ballerinis elaboratæ.

(f) Matth. 17. 26.

te hamum in mare: & piscem, qui primus adscenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies duos denarios, da pro me, & te.] „ Piscem primum a mortuis adscendentem „ Christum debemus accipere: cujus ex ore duo de- „ narii, ideft duo teftamenta prolata sunt, quæ saluti „ cum Domini gloria, & Petri felicitate, ut pote su- „ per quem ædificavit Ecclesiam, duobus populis pro- „ fecerunt. Mare autem Mundum significasse, non du- „ bium eft. Hamum vero prædicationem, quia sicut „ hamus missus in mare mortem piscis oftendit; ita „ evangelica prædicatio missa per Mundum, mortem „ Domini, adventumque teftatur: sicut ad Corinthios „ scriptum eft: (*) *Annunciabitis mortem Domini, donec* „ *veniat*. Aperies os piscis, hoc eft sacramentum: vel, „ quæ in proverbiis locutus sum, non intelligentibus „ explanabis.

(*) 1. Cor. 11. 26.

III. Tradit id & Maximus Auguftinus, simulque rationem adducit hujusce symbolicæ imaginis [g]: *Ichtis* (inquiens) *in quo nomine myftice intelligitur Chriftus, eo quod in hujus mortalitatis abyſſo, velut in aquarum profunditate vivus, hoc eft sine peccato esse potuerit.*

(g) de Civit. li. 18. cap. 23. n. 1.

IV. Inter præclarissimos Doctores, quos Latina Ecclesia veneratur, Prosper recenseri merito solet. Porro hic symbolicæ hujus imaginis allegoricam rationem indicat; eam primum ex pisce, quem Tobias, Raphaelis monito, cepit, desumens, tum generatim monens *piscis* symbolo denotari posse Chriftum: quod quidem a Sibylla insinuatum refert, dum scilicet acrofticis versibus Salvatorem noftrum designans, *Ichtis* nomine [quo sane piscis significatur] eum indicat. Sed juvat ipsa Prosperi monita adducere (*h*): *Satians ex se ipso in littore discipulos, & toti offerens se Mundo Ichtis. Namque latine piscem sacris litteris Majores noftri interpretati sunt, ex Sibyllinis versibus colligentes, quod eft Jesus Chriftus Dei filius Salvator.* (*i*) *Piscis in sua passione decoctus, cujus ex interioribus remediis quotidie illuminamur, & pascimur.*

(h) de promiss. & prædiction. par. 2. cap. 39.

(i) Vide locum S. Auguftini nuper allegatum.

V. Rationem aliam adducit auctor sermonis olim 28. *de sanctis* inter Auguftinianos, nunc 205. inter eos, qui in appendicem rejecti sunt, (*) quem Lector consulat.

[*] n. 1.

CAP.

C A P. XLVIII.

De Jesu-Christo, illiusque præclarissimis attributis indicatis duabus illis Græcis litteris A *&* Ω.

I. DIu anceps fui, num symbolicis imaginibus, quibus Dominum Jesum, illiusque præstantiam, & attributa denotare Fideles solebant, an potius signis, quibus ejusdē Christi nomen occultius conscriberetur, usitatissimas illas veteribus Christianis litteras (primam nempe, & postremam Græci alphabeti, seu *Alpha*, & *Omega*) adscriberem (*a*). Aringus scilicet Vir præclarissimus, nomen Jesu per eas occultius ac compendiosius indicatum ait (*b*). Contra alii advertentes, minime consuevisse eas notas solas per se consistere, sed vel circa ipsam Domini Jesu imaginem, vel saltem circa Crucem fuisse positas, sibi in animum induxere, symbola quædam esse illas, quibus mysteria multa denotarentur: atque in primis edoceremur, cuncta renovanda, & veluti ad rerum primordium revocanda esse per Christum. Audi porro Tertullianum (*c*): *Dicit & Apostolus scribens ad Ephesios, Deum proposuisse in se met ipso ad dispensationem adimpletionis temporum, ad caput, idest ad initium, reciprocare universa in Christo, quæ sunt super cælos, & super terras in ipso. Sic & duas Græcas litteras, summam & ultimam sibi induit Dominus, initii, & finis concurrentium in se figuras; ut, quemadmodum Alpha ad Omega usque volvitur, & rursus Omega ad Alpha replicatur, ita & ostenderet in se esse & initii decursum ad finem, & finis recursum ad initium; ut omnis dispositio in eum desinens, per quem cœpta est, per Sermonem scilicet Dei, qui caro factus est, proinde desinat, quemadmodum & cœpit.*

II. Sed cur omitto Hieronymum, cujus gravissima hæc est sententia (*d*)? *Docet Apostolus scribens ad Ephe-*

(*a*) Respexere procul dubio ad vers. 8. capitis 1. ad vers. 6. capitis 21. ad vers. 13. capitis 22. Apoca.

(*b*) *Sacrosantum Christi nomen variis item formis, ac notis pia antiquorum manu exculptum, sed græcis duabus illis præcipue* A, *&* Ω, *prima videlicet, ac postrema græcis ipsius alphabeti litteris exaratum conspicitur*. li. 6. cap. 22.

(*c*) *de monoga*. ca. 5.

(*d*) li. 1. in Jovini. n. 18. col. 267. tom. 2. editio. Veron.

Ephesios (*), *Deum præposuisse in adimpletione temporum recapitulare omnia, & ad principium retrahere in Christum Jesum, quæ sunt super Cælos, & super terram.* *Unde & ipse Salvator in Apocalypsi Joannis: Ego sum, inquit, Alpha & Omega, initium & finis.*

(*) cap. 1. v. 10.

IV. Copiosius porro Rupertus (e): *Quid dixerit* (inquit), *quid intelligi velit per Alpha & Omega, confestim exponit dicendo:* Principium & finis. *Duæ nempe literæ Græcorum, quibus, & cujus linguæ Ecclesiis hunc librum scripsit, duæ, inquam, literæ illius linguæ, summa & ultima istæ sunt α, & ω. Ut ergo dubium non sit, quale, vel cujus rei principium sit, vel finis: per Alpha commoniti, quæ littera, ut jam dictum est, Græci Alphabeti prima est, ad sacræ Scripturæ exordium respiciamus, ubi scriptum est* (*): In principio creavit Deus Cælum & terram. *Et per Omega, quæ ultima est, item commoniti, ad finem ejusdem Scripturæ in Evangelico volumine respiciamus, ubi scriptum est:* Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*): *Ut veraciter credamus, & confiteamur, hunc esse & principiũ, in quo omnia facta sunt, & finem sive consummationem, qua omnia restaurata, & perfecta sunt.*

(e) in Apocaly. li. 1. pag. 10. editio. Lovan. 1563.

(*) Gen. 1. 1.

[*] Matth. 28. v. ult.

V. Æternitatem Verbi in iis verbis designatam detegunt alii: *Sicut enim Alpha litterarum nulla præcedit, ita & Filium Dei nulli secundum constat esse;* ajuntque, Augustinum in eadem esse sententia.

VI. Utrũque vero jungere videtur Beda, cujus verba mirũ in modũ Christi æternitatem, ac præstantiã proponentia recitare hic libet (f): *Ego sum Alpha & Omega, initium & finis..... Initium, quia nullus præcedit: finis, quia nullus in regno succedit.* Congruit plane ea interpretatio cum ipsis Apocalypsis verbis; etenim post voces illas: *Ego sum alpha, & omega,* statim adjicitur, *primus, & novissimus* &c.

(f) in Apocaly. 1. cap. 1.

VII. Eleganter quoque, ut solet, Prudentius (g) iis litteris indicari ait, Christum esse rerum omnium initium, & finem, ideoque eum, a quo cuncta processere, & ad quem pariter referuntur. Sed ipsa Prudentii verba referre præstat:

(g) Catheri. hym. 9. v. 11.

Alpha & Omega cognominatur,
Ipse fons, & clausula
Omnium, quæ sunt, fuerunt,
Quæque post futura sunt.

VIII.

VIII. Significationes alias, easque valde laudabiles harum litterarum ad Crucis latera positarum præbet Paulinus [*], quem Lector consulat.

IX. Sed jam afferenda sunt hujusce moris exempla. Porro statim tibi plurima præbeo, eaque antiquissima. In Imagine, seu figura IV. tab. III. Boldeti (b) (qui eo in loco fragmenta vitreorum calicum in Romanis cœmeteriis repertorum, de quorum præstantia, & antiquitate alibi egimus, refert (i)) ad latera signi illius, quo Christi nomen ab antiquis exprimi consueverat, [de quo etiam deinceps agemus] extant eæ, de quibus agimus, litteræ, ideſt Α & Ω.

X. Valde antiquum etiam haud temere censemus esse monumentū illud, quo Sacrum Faentiæ Martyris cadaver depositum est (*). Martyrem quoque fuisse *Marciam*, (*) ex vase illius sanguinem continente, & ad ejus sepulcrū posito, compertum fit. Appositæ tamen his omnibus sunt notæ istæ, de quibus disserimus, ideſt Α & Ω. Atque his quidem exemplis ii revincuntur, qui putant, tum cœpisse his appositis notis Christi nomen ornari, quū Ariana hæresis Ecclesiā inficere studuit. (*) An non antiquiora hæresi Arianâ ea monumenta sunt, quæ nuper protuli?

XI. At non continuo nego, eas notas adhibitas fuisse a Catholicis, ut se ab Arianis exteriori aliquo signo secernerent. Immo simillimum veri arbitror id, quod Ciampinus (k) tradidit: Catholicos scilicet jussisse, cadaveribus suis capsulas aureas appendi, *in quibus una ex parte græcis litteris Sanctissimum Christi nomen insculptum erat, ut vides*, (ideſt Α & Ω) *ex altera autem columbarum effigies, quæ cum pacis symbolum sint, per hæc hieroglyphica denotabant, defunctorum animas in pace ad Dominum evolasse*. (Statim autem Ciampinus Lectorem rejicit ad Aringum li. 3. ca. 2. (*) multa hoc de argumento tradentem:) id, inquam, simillimū veri arbitror. At minime puto vel tum cœpisse eum, de quo disserimus, morem, vel eo tantum consilio adhibitas fuisse notas illas, ut Catholici ab Arianis secernerentur. Si enim ante natam Arianam hæresim eæ adhibebantur, ad alium finem eæ procul dubio tum respexere. Sed tempore ipso vigentis Arianæ factionis, ab

(*) Natali xi. v. 643. *Et quia morte crucis &c.*

(b) li. 1. ca. 39. pag. 194.

(i) cap. 36. §. 5.

(*) lib. 2. ca. 3. pag. 346. Ex palma apposita Boldetus, aliique viri doctissimi, (quorū meminimus differ. 8. cap. 18 §. 22.) eam martyrem esse conjiciunt.

(*) Ibidem pag. 345.

(*) Ramirez apud Ciampinū pag. 336.

(k) de ædificiis Cōstantini cap. 4. sect. 14. litt. X. pag. 95. & 96.

(*) Error irrepsit in Ciampini typos. Aut itaque allegavit caput 10. lib. 2. (pag. 336. tom. 1.) aut librum 6. ca. 35. (pag. 607. tom. 2.) Aringhii, quæ quidem loca Lector consulat.

iis ipsis adhibitæ eæ notæ sunt, quos minime inter Nicænæ Synodi defensores recensebis: habentur quippe in nummo Magnetii. (*l*) Quis tamen Magnetium inter Nicænæ fidei patronos recenseat? Quid quod tum etiam adhibitas novimus easdem notas, quum extincta jam esset Ariana factio? Ut itaque omittam exemplum illud, quod præbet Ecclesia S. Vitalis Ravennæ: (*m*) ut etiam omittam, quod occurrit in Ecclesia S. Apollinaris *in classe* ejusdem Urbis (*n*): ut illud denique omittam, quod de his litteris, in porta Latina Romæ a Belisario reparata expressis, ex Boldeto discimus, (*) [etenim aliquæ Arianorũ reliquiæ iis tẽporibus superstites adhuc erant] sane eas litteras in eo Basilicæ S. Marci Musivo conspicimus, quod anno 774. confectũ Ciampinus putat (*o*): quo quidẽ tẽpore Ariana hæresis dudũ desierat. Quin etiam in eo musivo conspiciebantur, quod in abside Vaticanæ S. Petri Basilicæ olim extabat, quodque Innocentium III. auctorem [magna saltem ex parte] habuit (*p*). Adeo alienum a vero est, his litteris tum usos tantummodo fuisse Fideles, quum eo argumento ab Arianis dignosci cupiebant. Eo itaque respexisse illos puto, quò temporibus omnibus veri Christi cultores respexerunt; ut scilicet Christum tum rerum omnium, tum manifestius Redemptionis nostræ originem, & auctorem; tum finem, & metam mundanarum quidem rerum, sed præsertim fidei nostræ faterentur: qua de re cum copiosissime alibi, & nuper etiam egerim, necesse non est, ut hic multis differam (*q*). Et de symbolicis Christi imaginibus satis diximus.

(*l*) Baro. an. 350. n. 2. &c.

(*m*) Vide tab. XX. & XXI. par. 2. vete. moni. Ciampini. pag. 69. & 70.

(*n*) Ciampi. tom. 2. tab. XXIV. pag. 80.

(*) lib. 2. cap. 3. pag. 358.

(*o*) Ibidem cap. 19. pag. 119. Vide tabulam XXXVII. pag. 122.

(*p*) Ciampi. *de ædifi. Constan.* tab. XIII. cap. 4. sect. 2. pag. 42.

(*q*) Multa hoc de argumento in tractatu *de incarnatione*, ubi *de objecto incarnationis* disputavi, collecta sunt.

CAP.

DE SIGNIS DENOTANTIBUS CHRISTUM JESUM.

AFfinia Imaginibus signa sunt, ideoque consentaneum videtur, ut postquam de Christi Imaginibus copiose diximus, ad signa sermonem transferamus. Plurima signa esse, quibus denotetur Dominus Jesus, comperta res est: de quibus omnibus si loqui volumus, in immensum excrescet oratio. Pauca itaque, sed praeclariora seligam. Sunt vero Crux, Nomen Christi, nomen Jesu.

CAP. XLIX.

De Cruce.

I. CRuce Dominum Jesum denotari consuevisse, quis neget? Veteres profecto Christiani id agnoverunt, cum Crucem gloriam suam, laudem suam, triumphum suum esse dixerunt, cum non Crux ipsa, sed Christus eorum gloria, laus, & triumphus esset. Item cum Crucem erigebant, colebantque: id enim agebant, ut testarentur, se eam Religionem profiteri, quam Jesus Cruci affixus instituerat, seque eundem Christũ cruci affixum colere. Non hic refero id, quod probati Scriptores de militibus Christianis in Antonini columna expressis referũt: in eorũ scilicet clypeis Crucẽ cõspici.[*] Neque etiã hic refero, quae de veterum Christianorũ anulis, in quibus Christi Crux insculpta erat, Clarifs. Heineccius refert (*). Sed me continere non possum, quo minus aliqua veterũ testimonia huc spectantia referam. Leontius Neapoleos Cypri Episcopus (*a*) id apertissime docet haec inquiens: *Usquequo compacta sunt duo ligna Crucis, adoro figuram*

E e 2 pro-

(*) Hujusce rei typum dedit Casalius *de veteri. Christiano. ritibus* cap. 3. pag. 30.

(*) de veteribus Sigillis par. 1. cap. 8. n. 2. pag. 63.

(*a*) allegatus actio. 4. Conci. 2. Nicaeni pag. 886. & a Damasceno orat. 3.

propter Christum, qui in ea Crucifixus est &c. . . . . ita & nos Christianorum pueri figuram Crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, sed signum, & anulum, & characterem Christi (*) . . . . . *ita & nos omnes fideles, ut virgã Christi, crucem adorantes* . . . [*] *Cum ergo videris Christianos adorare Crucem, scito, quia crucifixo Christo adorationem offerunt, & non ligno*.

(*) *inanimatum characterem Christi* mox rursus appellat crucem iis verbis: *inanimatum characterem Christi tenens &c.*

[*] pag. 894.

II. Ut interea sileam, quæ ex Eusebii li. 1. *de vita Constantini* cap. 29. mox proferam; audi quid memoriæ prodiderit Theodoretus sic Theodosium suos milites alloquentem (*b*) describens: *Neque enim decet, ut divinam quidem crucem tantæ imbecillitatis probro maculemus; Herculis autem imagini tantam vim ac potentiam confessione nostra tribuamus*. Crucem nempe, quam ii in vexillis [*], & nisi fallimur, in clypeis etiã gerebant, (b¶) pro Christo, illiusque religione Theodosius hic accipit, id confirmante his verbis Ambrosio [*]: *Habebis, Imperator, Comitem prævaricatorem, & huic vexilla committes victricia, huic labarum (hoc est Christi sacratum nomine) qui Synagogam instauret, quæ Christum nesciat? Jube labarum Synagogæ inferri: &c.*

(*b*) li. 5. Histor. ca. p. 24.

[*] *Hunc enim exercitum Crux . . . antecedit.*

[*] in epist. olim 29. in editio. PP. Benedictin. 40. class. 1. n. 9.

III. Et sane Crucis signo, in militaribus vexillis expresso, Christum fuisse significatum, hæc Prudentii verba declarant. (*)

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum: clypeorum insignia Christus
Scripserat: ardebat summis Crux addita cristis.

(*) 1. advers. Sym. epig. 19. v. 21.

Et rursus (*):

. . . . . : cecinere tubæ; prima hasta Draconis
Præcurrit; quæ Christi apicem sublimior effert.

(*) 2. ad: Sym. sect. 6. v. 65.

IV. Id quoque perspicue videtur tradere Hieronymus (*c*) hæc inquiens: *Vexilla militum Crucis insignia sunt*.

(*c*) Epist. ad Lætam. olim 7. in Vero. edit. 107. n. 2.

V. Atque id enimvero sibi maxime acceptum esse ostendit

(b¶) Id sane indicat Prudentius mox allegandus; sed id tradit & auctor libri *de mortibus persecutorum*: quippe cap. 44. hæc ait: *Commonitus est in quiete Constantinus, ut cæleste signum Dei notaret in scutis, atque ita prælium committeret*. Quamvis autem idem auctor Christi monogramma in iisdem scutis notatum significet; ea tamen res minime prohibet, quominus crucem in eodem monogrãmate expressam fuisse putemus. *Immo* revera in Christianorum scutis eo modo fuisse expressam, ex scuto eo, cujus typũ Ciampinus 2. p. moni. tab. 22. exhibet, discimus.

dit Christus ipse, dum Constantino apparens, Crucem in nubibus resplendentem ostendens, hæc addidit: *Hac vince*: (*) tum subsequenti nocte dormienti apparens (*) *cum signo illo, quod in cælo ostensum fuerat, præcepit, ut militari signo ad similitudinem ejus, quod in cælo vidisset, fabricato, eo tanquam salutari præsidio in præliis uteretur: &c.* signum scilicet suum esse significans Crucem, in qua mortem turpissimam passus, hominem redemerat, Dæmonemque devicerat; in cujus virtute Christianæ Religionis, & Romani Imperii hostes expugnaturus erat Constantinus: veracem visionem demonstrante eventu; domuit enim *instinctu divinitatis* (ut Romanus ipse populus triumphali arcu eidem Constantino erecto testatus est:) domuit, inquam, Constantinus Tyrannos, & Christianæ Religionis hostes, diuturnumque, ac diu pacatum consecutus imperium est.

VI. Sed non hæc una fuit Christi, sub Crucis specie, apparitio. Ante quã conspiceretur a Constantino, Euphemiæ sub ea specie apparuerat, veluti invitans ad subeundum Martyrium. (*) (19) Apparuerat quoque Theodoto, ejusque asseclis, Sanctarum Tecusæ, & sociarum in palude mersarum corpora perquirentibus, viam inter pericula, & tenebras veluti sternens, aperiensque. (20)

VII. Post Constantinum vero varias Crucis apparitiones recensent historici, & Patres. Triumphantem victoremque Christum, ejusque Religionem domitâ superstitione regnantem visa est significare illa Crux, quæ imperante Constantio, Hierosolymis in Cælo conspecta est per Sanctos Pentecostes dies, protendebaturque a Calvariæ monte ad montem usque Oliveti, quod spectaculum toti Civitati admirabile, & Christianis jucundissimum, plures horas perduravit. (*) Narrant hanc ipsam rem Sozomenus (*d*), & Philostorgius (*e*). Atque

(*) Euseb. 1. *de vita Constant.* in editio. Christo. 22. Valesii 28. capite vero subsequenti eandem crucem *signum* appellat. *Apparuit cum signo illo &c.*

[*] cap. 29.

(*) Is procul dubio Asterii est sensus, si legendum est *Oppetentis*. Quod si *appetentis* legendum est, aliò respicit. Hoc dubium abstulisset Græcus ipse codex, quem frustra perquisivi.

(*) Cyril. Hierosoly. in epist. ad Constan. pag. 352. &c. editio. Touttée. n. 4.

(*d*) li. 4. cap. 5.

(*e*) li. 3. ca. 26. Adde, si vis, Scriptores alios, quos recēset Clariss. Touttée pag. 355. ad quam quidem Lectorem amando.

(1) Aster. in homilia, quam in Sanctæ hujus Virginis encomium edidit.

(2) Act. Theodoti, & Sancta. septē Virgin: n. 17. pag. 302. editio. Vero.

[19] *Porro oranti illi apparet super caput ejus signum illud, quod Christiani adorare, ac appingere solemne habent: putoque oppetentis passionis symbolum.* (1)

(20) *Rursus ergo perterrefacti, Crucis signum sua quisque impressit fronti. Et mox apparuit eis Crux illustris, quæ videbatur ex parte orientali radium ignitum emittere &c.* (2)

que id ipsum, nisi fallimur, declararunt eæ Cruces, de quibus meminere Socrates *(f)*, & Sozomenus *(g)*, Rufinus quoque *(h)*, denique Theodoretus *(i)*. *Scilicet in Judæorum vestibus, signaculum Crucis ita evidens apparuit, ut etiam quum diluere pro sui infidelitate voluissent, nullo genere valerent eas abolere*. Cui non levi sane portento aliud addidit idem Theodoretus historicus fide dignissimus, scilicet *eadem*, (qua nempe eversa sunt ædificia a Judęis in Urbe Solymæ erecta) *& proxime insequenti nocte salutaris Crucis lucidum in Cælo signum apparuisse; ... quæ cum vidissent hostes Dei, & inflictas a Deo plagas extimescerent, diffugerunt, & ad suas quisque sedes reversi sunt, Deum esse confitentes eum, quem majores ipsorum olim Cruci suffixerant*. Hæc Theodoretus, quem præivit Gregorius Nazianzenus (*) his verbis. „ Quod „ autem hoc etiam mirabilius clariusque fuit, lux in „ in cælo stetit, Crucem in orbem describens; ac no- „ men illud, & figura, quæ in terra prius impiis con- „ temptui fuerat, in Cælo nunc omnibus ex æquo „ ostenditur, Deoque victoriæ adversus impios obten- „ tæ trophæum efficitur, trophęo omni sublimius, & „ præstantius.„ Et mox. [*] „ Proferant nunc quoque „ vestes suas, qui hujus miraculi spectatores, & con- „ scii extiterunt, illas, inquam, crucis notis tunc inu- „ stas, & consignatas! „

VIII. Facile porro ad gloriosas, victricesque (ut ita appellem) Crucis apparitiones deduci poterit illa, qua Martyr Theodorus Cruce armatus apparens, Scythas in fugam vertit. (*)

IX. Nonnullas alias Christi, sub Crucis specie, apparitiones Lectori exhibet Astolphus Congregationis nostræ Canonicus (*). At non omnes ab eo descriptas probabunt Critici: sed nec omnes reprehendere merito poterunt. Ego sane (ut reliquas hic omittam) de ea minime dubito, quam recenset auctor vitæ S. Audoeni, ad quam Lectorem allego (*).

X. Causam autem, ob quam Christus peculiare signum suum esse voluit Crucem, alibi indicavimus *(k)*, eamque in rem aptissima verba Petri Cluniacensis, & Belethi adduximus. Sed præstat rem eandem antiquiorum Patrū dictis illustriorem facere, & probatiorem. Præeat ceteros Chrysostomus, qui tum sæ-

pe

(f) li. 3. cap. 20.
(g) li. 5. cap. 22.
(h) lib. 1. aliàs 10. historiæ cap. 39. id est postremo.
(i) li. 3. cap. 20.

(*) oratione 4. pag. 112 quæ est *invectiva secunda in Julianum*.

[*] pag. 113.

(*) Nisse. oratio. in S. Theodo. n. 1.

(*) in eo libro, quē inscripsit *miracoli della Croce* li. 3.

(*) Sur. 24. Augus. ca. 17. pag. 904.

(k) disser. 8. cap. 12. §. 1. & 2.

pe alibi, tum potissimum in tribus iis homiliis, quarum prima *de Cœmeterio, & Cruce*, (*l*) reliquæ duæ *de Cruce, & latrone* inscribuntur, multa de Crucis laudibus disserens, aptissimam argumento meo materiam subministrat. Paucissima seligã. N.3. orationis, quæ *de Cœmeterio, & Cruce* inscribitur, hæc occurrunt. (*),, Multa victoriæ symbola habuit trophæum. Spolia superne de
,, Cruce pendent. Quemadmodum enim magnanimus
,, aliquis rex confecto feliciter difficillimo bello, tho-
,, racem, & clypeum, & arma tyranni, & militum,
,, quos devicit, super excelsum trophæum ponit: sic
,, & Christus, finito bello, quod cum Diabolo gesserat,
,, arma ejus universa, mortem, & maledictionem ab
,, excelsa Cruce suspendit, tamquam de trophæo quo-
,, dam, ut omnes tropæum illud conspicarentur, su-
,, pernæ virtutes, quæ in cælis, homines, qui inferne
,, terram incolunt; ipsique mali dæmones, qui devi-
,, cti sunt.,,

(*l*) to. 2. pag. 397. & sequentibus.

(*) pag. 402.

XI Jam vero scis, cur Dæmones Crucem aversentur, & fugiant (*) An non id aversabuntur, & fugient, in quo victi sunt, & quod Christus suam esse voluit notam, & veluti trophæum, & signum? Scis quoque, cur summis laudibus Crucem Patres celebrent; & ne a Chrysostomo discedam, cur idem Chrysostomus verbis paulo præcedentibus hæc dixerit (*m*): Crux tropæũ
,, contra Dæmones erectum, gladius contra peccatum,
,, gladius, quo serpentem confodit Christus. Crux Pa-
,, tris voluntas, Unigeniti gloria, Spiritus exultatio, An-
,, gelorum decus, Ecclesiæ securitas, gloriatio Pauli,
,, Sanctorum murus, totius orbis lumen. Quemadmo-
,, dum enim si quis lucernam in domo quapiam tene-
,, bris obsitâ accendat, & in altum statuat, tenebras
,, de repente fugat; sic tenebris per universum orbem
,, sparsis, Christus, tamquam lampadem quamdam,
,, Crucem accendit, & in altum erexit, omnemque
,, caliginem totius terræ dissipavit. Et quemadmodũ
,, lampas supra in vertice lumen habet, sic & Crux
,, habuit supra in vertice solem justitiæ effulgentem.,,

(*) Hoc de argumẽto copiose agemus in appendice *de Cruce*.

(*m*) n. 2. pag. 400.

XII. Scis quoque, cur Cassiodorus in eandem sententiã (*n*) hæc tradat. ,, Sicut nuntius Imperatoris portat imagi-
,, nem, ita & fidelibus signa cælestis Principis impri-
,, muntur: hoc munimine diabolus multiformis expel-
,, li-

(*n*) *commentariis* illustrans versiculum sextum psalmi quarti: idest verba illa: *Signatum est super nos vultus tui, Domine*.

„ litur, & fraudulenta machinatione non prævalet su-
„ perare tentatum, quem habuit primi hominis suasio-
„ ne captivum. Crux est enim humilium invicta tui-
„ tio, superborum dejectio, victoria Christi, perditio
„ Diaboli, infernorum destructio, cælestium confirma-
„ tio, mors infidelium, vita justorum. „ Tum eam homiliam, quæ aliquando præposito Chrysostomi nomine, hoc præposito lemmate prodiit: *In venerabilem, & vivificam Crucem*; nunc inter spurias recensetur, (o) his verbis allegat. „ De quo loco Joannes Constan-
„ tinopolitanæ Civitatis antistes, quasi multifarias defini-
„ tionum stellas in Crucis declamatione lampavit, dicens.
„ *Crux est Christianorum spes, Crux Romanorum victo-*
„ *ria, Crux mortuorum resurrectio, Crux Græcorum dux,*
„ *Crux conversorum via, Crux claudorum baculus, Crux*
„ *pauperum consolatio &c.* „ quæ ab eo in hunc modum
„ divina aspiratione profusa sunt. Ecce vera munera, ec-
„ ce dona præsentia, quibus maledicorum linguæ damna-
„ tis faucibus obstruuntur. „

XIII. Nunc vero mirari desines, cur Imperatores, & Principes diademata, & vestes Crucis signo sæpe honestaverint. Id profecto Augustinus videtur innuere, dum (p) hæc ait. „ Attende saltem gloriam Crucis i-
„ psius. Jam in fronte Regum Crux illa fixa est, cui ini-
„ mici insultaverunt. „ Quamquam alii id, „ quod ad diademata multi referunt, ad denotandum signum Crucis, quod in fronte facere consueverant Christiani, ideoque etiam Reges, aut certe quod in fronte Cathecumeni fit, dum baptisma suscipit, deduci volunt, quorum etiam sententiæ favere videtur idemmet Augustinus: (*) „ Ad hoc
„ enim (inquiens) & ipse Dominus Crucem suam,
„ ubi eum dementia superbæ impietatis irrisit, in
„ eorum, qui in illum crederent, frontibus fixit, ubi
„ est quodammodo sedes verecundiæ, ut de nomine ejus
„ fides non erubescat, & magis Dei gloriam, quàm ho-
„ minum diligat. „ Simillima alibi tradiderat (q).

XIV. Nonne etiam eodem spectat Hieronymus (r) iis verbis? *Regum purpuras, & ardentes diademaтum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat.*

XV. Hæc omnia porro complectitur, & elegantissime exponit Chrysostomus, alia adhuc addens ad rem nostram aptissima, quæque propterea recensenda omnino

(o) extat pag. 820. to. 2. Vide pag. 822.

(p) n. 12. enarrationis in Psalmum 54.

(*) n. 13. tractatus 53. in Joannem.

(q) n. 9. tractatus 43. in Joannem.

(r) in Epistola ad Lætam olim 7. in Veronensi editione 107. n. 2.

no sunt: „ Attamen (*s*) (inquit ille) Maledi-
„ ctum illud execrabile, extremi supplicii symbolum,
„ nunc desiderabile, amabileque factum est. Nihil enĩ
„ imperatoriam coronam sic exornat, ut Crux univer-
„ so Mundo preciosior: & quod omnes olim exhor-
„ rescebant, ejus nunc figura ita certatim exquiritur ab
„ omnibus, ut ubique reperiatur, apud Principes, &
„ subditos, apud Mulieres, & Viros, apud Virgines,
„ & nuptas, apud servos, & liberos: nam illud o-
„ mnes signum frequenter imprimunt in membrorũ no-
„ biliori parte, & in fronte, ceu in columna figuratũ
„ quotidie circumferunt. Hoc in sacra Mensa, hoc in
„ Sacerdotum ordinationibus, hoc rursum cum corpo-
„ re Christi in mystica Cœna refulget. Hoc ubique ce-
„ lebratum videre est, in domibus, in foro, in deser-
„ tis, in viis, in Montibus, in Saltibus, in collibus, in
„ Mari, in Navibus, in Insulis, in lectis, in Vestimen-
„ tis, in Armis, in thalamis, in conviviis, in Vasis ar-
„ genteis, & aureis, in Margaritis, in parietum picturis,
„ in corporibus brutorum male affectis, in Corporibus
„ a Dæmone obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in no-
„ ctibus, in Choreis tripudiantiũ, in sodalitiis se se mace-
„ rantium; adeo certatim donum hoc mirabile, ejusque
„ ineffabilem gratiam omnes perquirunt. Nemo pu-
„ dore afficitur, vel erubescit, dum cogitat hoc maledi-
„ ctæ mortis Symbolum esse; sed illo omnes magis
„ exornamur, quàm coronis, diadematibus, & mille
„ margaritarum monilibus; ita non modo non aver-
„ samur Crucem, sed etiam amabilis illa desiderabilis-
„ que omnibus est: ubique illa fulget, in parietibus do-
„ morum, in tectis, in libris, in Urbibus, in Vicis, in
„ incultis, in cultis locis. „

XV. Horum pietatem palam præivit Constantinus, dum statuam sibi Romæ erectam sine Cruce esse noluit. Id testatur Eusebius (*t*), ad quem Lectorem amando.

XVI. Eidem Constantino debemus, quod Crux quã honorificentissime extructa in sublimi Regii palatii loco collocaretur. Narrat id Eusebius (*u*) his verbis. *Tantus porro divini numinis amor Imperatoris animum occupaverat, ut in totius palatii eminentissimo cubiculo, in maxima tabula, quæ in medio lacunaris inaurati ex-*

(*s*) in eo, quẽ contra *Gentiles, & Judæos de Christi divinitate* scripsit, libro. to. 1. pag. 558. sed hoc testimoniũ respondet pag. 570., & 571.

(*t*) ca. 40. libri 1. *de Constantini vita*.

(*u*) cap. 49. libri 3. vitæ Constãtini Valesio interprete.

pansa est, signum Dominicæ passionis ex auro, pretiosisque lapidibus elaboratum infixerit. Atque hoc tanquam præsidium, ac tutelam Imperii, piissimus Princeps statuisse mihi videtur.

XVIII. Eo pariter spectant ea, quæ idem Eusebius alibi (x) his verbis tradit: *Porro Imperator triumphale illud signum colit, ut pote latentem in eo vim divinitatis expertus. Etenim hostium agmina ab hoc signo in fugam versa, & invisibilium Dæmonum exercitus profligati. Hoc signo insolentia eorum, qui Deo bellum indixerant, compressa; & maledicorum atque impiorum linguæ constrictæ. Hoc signo barbaræ gentes subactæ, & superstitiosi dæmonum cultus, fraudes, ac ludibria convicta sunt. Huic denique (quod omnium bonorum caput, & summa est) Imperator quasi debitum quoddam persolvens, ubique terrarum arcus triumphales erexit.*

(x) cap. 9. Orationis illius, quam *de laudibus Constantini* in Tricennalibus recitavit.

XIX. Quibus positis, quis mirabitur, cur idē Constantinus vetuerit, Cruci deinceps quēquā affigi? (21) An reos Cruce plecti conveniens erat, postquam Christus Crucem veluti peculiare signum elegerat?

XX. Atque hæc sane videtur fuisse causa, ob quā plures tum Ecclesiasticæ, tū Imperatorū leges sculpi in pavimento vetuerint Crucis imagines; ne scilicet pedibus eas terentes homines, viderentur despicere, & conculcare. En porro lex (y) ad Eudoxium directa his verbis. *Cum sit nobis cura diligens per omnia superni numinis religionem tueri; signum Salvatoris Christi nemini licere, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere, sed quodcumque reperitur, tolli: gravissima pœna mulctandum eum, qui contrarium statutis nostris tentaverit, imperamus.* Dat. 17. Kalen. Junii Hierio, & Ardaburio Coss.

(y) In Codice Justiniani li. 1. titulo XI. *lege uni: Cū sit nobis.* Imp. Theodosio, & Valen. Augus.

XXI. Ii ergo qui sive per fraudem, sive per imprudētiam (z) omittentes verbū illud *humi*, vetitum fuisse ajunt a Christianis Imperatoribus pingi, sculpique Crucem, redarguendi sunt maxime. Crucem enī pingi, efformarique non

(z) Petrus Crinitus *de honest. discipli.* li. 9. ca. 9. pag. 153.

(21) Id intelligimus ex Sozomeno (1): *Denique* [inquiente] *supplicium Crucis, quod apud Romanos antea erat usitatum, lege lata sustulit.* Indicat id etiām Augustinus multis in locis, veluti num. quarto sermo. 2. enarrationis in psalmum 36. Expresse nu. 4. tract. 36. in Joannem. Denique apertissime id testatur n. 8. alias cap. 9. sermonis olim 18. de verbis Domini. (2)

(1) lib. 1. cap. 8.

(2) in nova serie Patrum Benedictinorum 88.

non vetant Imperatores, sed tantū vetant pingi, efformarique humi: honoris scilicet causâ, ne conculcetur; quod fassus est, referente Alano Copo (*), Pantaleon, tam & si ex Protestantium numero, hæc elocutus. *Theo-*
„ *dosius, habito conventu, lege probibuit, Crucem, vel si-*
„ *gnum Servatoris in solo, silice, aut marmore humi po-*
„ *sito insculpi, ne hominum pedibus tereretur.* „

XXII. Hanc Legem Synodus Trullana (*a*) renovavit his verbis. „ Cum Crux vivifica salutare nobis osten-
„ derit, nos omne studium adhibere oportet, ut ei, per
„ quam ab antiquo lapsu salvati sumus, eum, quem
„ par est, honorem habeamus. Unde & mente, &
„ sermone, & sensu adorationem ei tribuentes, Crucis
„ figuras, quæ a nonnullis in solo, ac pavimento fiunt,
„ omnino deleri jubemus, ne incedentium conculca-
„ tione, victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur; eum,
„ qui secus fecerit, excomunicari decernimus. „ Atque hunc Sanctissimæ Cruci a Tiberio Constantino Imperatore adhibitum honorem non sine ampla mercede extitisse, tradit Paulus Diaconus [*b*], ad quem quidem lectorem rejicio.

XXIII. Crucis signum humi pingi vetuere pariter Pius IV. Pontifex Maximus (*c*), & Cardinalis Borromæus Mediolanensis Episcopus (*), aliique etiā Præsules, quorum curam Viri sapientes, & docti approbarunt, optantque ab omnibus executioni mandari.

XXIV. Videtur denique hæc fuisse causa, ob quam vetuerint Principes in locis publicis, quæque spectaculis tribuerentur, crucem poni. (*) quippe eâ positâ profana loca purgabantur, Deoque dicabantur [*].

XXV. Rectissimū porro est celeberrimum illud Cassiani monitum (*d*): *Maximum utique, & immanissimum scelus est, ut ideo apud nos minus honoris habeat* (Christus Cruce significatus), *quia plus amoris impendit.*

XXVI. Honoremus itaque in Cruce Christum: sicut eum in Cruce agnoscimus, & in novissimos Crucis hostes ea verba intorqueamus, quæ in Claudium Taurinensem olim intorsit Jonas Aurelianensis. (*e*) „ Ut
„ quid Vexillum Crucis exhorrescis? . . . . „ Per
„ crucem namque mortis auctor superatus est; & mor-
„ talibus vita reddita est. „

(*) lib. 4. cap. 22. in fine pag. 516.

(*a*) can. 73. col. 1382. to. 7.

(*b*) li. 18. Re. Roma. *in Tiber. Constanti.*

(*c*) referente Alano Copo dial. 4. ca. 11. pag. 514.

(*) Conci. Provin. III. cap. 5. pag. 147. Et Conci. Prov. IV. cap. 2. pag. 150. to. 22. Conci.

(*) l. 26. Cod. Theo. C. *de Episco.*

(*) le. ult. tit. *de Pagan.* Codicis Theodos. & nov. 5. cap. 1. aliisque in locis, quæ allegat Gothofredus in locū hunc. tom. 6. pag. 297. editio. Lug. an. 1665.

(*d*) 2. *de Incarn.* ca. 3.

(*e*) li. 1. in Clau. to. 4. Biblio. Pat. pag. 553.

CAP. L.

De Nomine Christi, Monogrammate expresso.

I. Consuevisse veteres brevibus quibusdam notis non breves voces describere, indubitata res est: eoque de argumento multa cum laude differuere præter Ausonium vetustum sane poetam (*a*), Paulus Diaconus, (qui imperante Carolo Magno summo in honore fuit) & inter minus antiquos Ursatus (*b*), & Mabillon (*c*). Mori huic obsecuti pariter Christiani sunt, & sacratissima nomina Christi, & Jesu, quibus ad Sanctissimi Redemptoris sui memoriam, ac cultum excitarentur, brevibus notis expresserunt: Et quod ad Christi nomen attinet, illud prioribus duabus græcis litteris, quæ Christi nomen efformant, (X scilicet, & R ad hunc modū expressis ☧) exhibuerunt: (*) de quo quidē signo hæc eloquitur Paulinus (*).

Nunc eadem Crux dissimili compacta parata
Eloquitur Dominū, tamquam Monogrammate, Christum.
Nam nota, quæ bis quinque notat, numerante latino,
Calculus hæc Græci Chi scribitur, & mediū est Rho. (*)
Cujus apex, & signa tenet, quod rursus ad ipsam
Curvatum Virgam facit O, velut orbe peracto.
Nam rigor obstipus facit I, quod in Ellade Jota est.
Tandem stylus ipse brevi retro acumine ductus:
Efficit . . . . .

II. Ac primis quidem Ecclesiæ sæculis Christi nomen ea, qua diximus, ratione, fuisse conscriptum, probatissimis exemplis discimus. Num contemnes exempla ea, quæ ex veterum Christianorum anulis Viri Clarissimi repetunt? (*d*) (22) Id minime, ut puto, ages. Tamen, si alia

(*a*) in epigrammate, quod ad hunc modū inscripsit: *In Notariū velocissime scribentē.*
(*b*) in peculiari libro, quem *de notis Romanorū inscripsit.*
[*c*] in Paleographia Græca.

(*) *In hoc salutaris appellationis signū; duæ videlicet litteræ nomen Christi primis apicibus designabant, littera P. in medio sui decussatā.* Euseb. li. 1. *de vita Constant.* cap. olim 25. in editio. Vales. 31.
(*) Natali XI. v. 617. Atque ad hos quidē, & subsequētes Paulini versiculos præclarissima adnotat Clarissimus Muratorius.
(*) Conjecturam Clariss. Muratorii hic, & in postremo versu sequor.
[*d*] Heineccius *de veteribus Sigillis* par. 1. cap. 8. n. 2. pag. 62. 63.

[22] „ Ceteri Christianorum annuli, qui extant, plerique „ crucem, aut Christi monogramma in crucis speciem „ confictum præferunt, quorum plures sunt apud Licetum, Gorlæum, Aringhum, Baronium, Lipsium, Pal„ latium, aliosque hujus generis scriptores. „

si alia adhuc vis ad id ipsum probandum aptissima monumenta, ea facile præbebunt illa veterum calicum fragmenta, quæ in Christianorum cœmeteriis reperta sunt, quæque ære expressit, & egregiis explicationibus illustravit Clarissi. Philippus Bonarota. Consule, obsecro, imaginem, seu figuram I. Tabulæ VIII. Rursus figurã II. Tabulæ XIV. Ambas imagines, seu figuras Tabulæ XV. Secundam Tabulæ XX Tertiam quoque Tabulæ XXI. eaque comentaria, quibus, uti dixi, has imagines Vir inclytus illustrat. Ea porro, quæ idem Vir doctissimus in præfatione (*) docet, rursus nos certos faciunt, ante Constantini tempora consuevisse Fideles hoc Christi Monogramate uti; & dubium sane omne amovet ea inscriptio, quæ Mario antiquissimo Martyri, (Hadriano nempe imperante Martyrium passo) ea quoque quæ Alexandro, qui Antonini temporibus fortissime pro Christo mortem obiit, posita est: (e) quibus, si vis, eam inscriptionem, quæ Cajo Papæ sub Diocletiano Martyrium passo posita pariter est, (f) aliaque monumenta adjunge, quorum Boldetus meminit, Lectorem rejiciẽs ad Bosium, Severanũ, & Aringhiũ.

(*) pag. XII. XIII. & XIV.

(e) Has inscriptiones recensuit etiam Boldetus lib. 1. ca. 44. pag. 232. & 233.

(f) Ibidẽ. pag. 234.

III. Nec prætermittẽdę sunt inscriptiones, quas idẽ egregius Boldetus copiosissime affert, (g) e quibus nonnullæ fortasse ad tempora Constantino posteriora pertinent: sed certe Martyrum sepulcris appositæ quædam sunt: qua de re ad ipsos Boldeti (h) libros Lectorem amando. Verum tum maxime in usu esse cœpit hoc signum, quũ Constantinus Magnus, Dei jussu, illud in militaria vexilla, veluti Romani imperii veram laudem & præsidium, (23) intulit: tum enim veluti debellatis superstitione, & Tyrannis, ideoque triumphans majorẽ gloriam obtinuisse visum est, nec intra cœmeteria aut privatas Christianorum domos se continuit, sed palam, atque in ædibus publicis expressum est. Atque eam, quam dixi, relatã de superstitione, & Tyrannis victoriã haud obscure indi-

(g) pag. 334. &c.

(h) li. 2. ca. 3. pag. 334. & subsequen.

(23) Id sane indicant celebratissimi ii Prudentii versiculi, quos jam retulimus: [1] Sed & ea adde, quæ Eusebius ca. olim. 25. in edit. Valesii 31. libri 1. de *Vita Constantini*, & auctor libri *de mortibus Persecuto:* cap. 44. tradunt. Habitum deinceps etiam fuisse signum istud veluti præsidium a militibus, id innuit, quod in musivo Ravennatis Basilicæ S. Vitalis expressũ adhuc extat, & a Ciampino refertur. [2]

[1] cap. 49. §. 3.

(2) 2. p. vet. mon. tab. 22. pag. 73.

indicare videtur ea inscriptio, quæ ab Asello, & Lea eorum patri Prisco posita est: circumdatum enim palmis apparet Christi monogramma: veluti superatis hostibus palmâ potitum (*i*).

IV. Quibus quidem positis, mirum non est, si (uti dixi) tum ipsis Constantini temporibus, tum subsequentibus etiam, in excelsa, sublimique ac conspicua templorum parte vel Crux, vel ipsum Christi nomen hisce brevibus notis efformatum, atque in publicis ædibus positũ sit. Ad Constantini profecto tempora referre videtur Bonarota (*k*), & Ciampinus (*l*) musivum illud, quod in æde S. Constantiæ visitur, exprimitque Dominum Jesum Apostolo (fortasse Petro) tradentem volumen, in quo verba hæc leguntur: *Dominus pacem dat*: ad cujus lævam extat illud, de quo agimus, monogramma.

V. Subsequentibus vero temporibus adhibitum illud fuisse a Christianis, & publicis ædibus expressum, præter quam quod rationi maxime consentaneum est: (cur etenim Crucem in Templorum parietibus, aliisque sacris, & publicis locis expressam fuisse dices; eum vero honorem Christi nomini denegatum?) præter quam quod, inquam, rationi maxime consentaneum id est; variis etiam exemplis evincitur.

VI. In celebri Triclinio, quod in antiquo Lateranensi palatio a Leone III. constructum est, Christi nomen monogrammate delineatum in apsidis vertice positum est. (*m*) Positum pariter eâdem formâ est in apsidis vertice in Ecclesia S. Mariæ Novæ (anno fortasse 848.) musivo opere decorata. (*n*) Fortasse etiam in Ecclesia S. Cæciliæ (*). Rursus in linea inferiori, & veluti base picturæ, quæ in Aquisgranensi Basilica a Carolo Magno constructa est, (*o*) musivoque opere (si Ciampino credimus (*p*)) anno fortasse 802. ornata est: in iis denique locis, quibus constaret summo in honore, ac pretio illud haberi consuevisse. (*)

VII. Causam porro, cur sic veteres Christi nomen expresserint, aperit Paulinus, (*q*) ad quem Lectorem rejicio. Sed præstat pauca decerpere (*r*).

> Virga quasi sceptrum regale superbius extat
> Significans regnare Deum super omnia Christum,
> Qui Cruce dispansa per quattuor extima ligni,
> Quattuor attingit dimensum partibus Orbem,
> Ut trahat ad vitam populos ex omnibus oris.

CAP

(*i*) Hæc inscriptio refertur a Boldeto li. 1. cap. 19. pag. 85. & rursus ca. 51. ejusdem libri pag. 273.

(*k*) *Osservazioni sopra alcuni frammenti: &c.* in præfatione pag. XIV.

(*l*) *de ædificiis Constantini* cap. 10. tab. 32. fig. 1. pag. 131.

(*m*) Vide tab. XXXIX. to. II. *Veterum Monumentorũ Ciampini* pag. 128.

(*n*) Vide tab. LIII. ejusdem tomi pag. 152.

(*) Vide diadema Agni tab 52.

(*o*) Ibidẽ tab. XLI. pag. 134.

(*p*) par. 2. vete. moni. cap 22. pag. 129.

(*) Aliqua exempla præbet ex Optimis scriptoribus Boldet. li. 2. cap. 3. pag. 335. Atque ad eum quidẽ locum Lectorẽ rejicimus.

(*q*) Natali XI. v. 628. & seq.

(*r*) v. 638.

C A P. L I.

De Venerabili nomine Jesu coloribus, aut ære expresso.

I. FIdelibus probis, divinique Salvatoris amantibus, ac studiosis satis visum non est, Christi nomen sive integrum, sive brevibus notis exprimere. Venerabile nomen *Jesu*, quo ab Angelo, Virginem in Nazareno cubiculo salutanti, Salvator noster, *priusquam in utero conciperetur*, (*) vocatus est, exprimere pariter consueverunt. Quàm vetusta ea sit consuetudo, me ignorare fateor. Sed tum certe maxime viguit, quum S. Bernardinus Senensis concionibus suis ad pœnitentiam populos advocans, Sancti nominis *Jesu* imagunculas affabre pictas, & radiis ornatas, variis in locis appendit: e quibus tres hac nostra in urbe adhuc superstites vidi, quarum prima in sacra æde S. Petronii sublimis erecta est, altera vero in eo cubiculo, quod ejusdem Basilicæ Concionator incolit, veluti privato ejusdem concionatoris comodo, & ad pietatem excitamento, ab eodem S. Bernardino posita est. Tertiam denique in sacra *æde S. Pauli in monte* Patres Minores Observantes Reformati servant. Hic ea Caroli Sigonii verba, quæ mirum in modum Bononiensium pietatem comonstrant, & ad illud, quod agimus, argumentum illustrandum apprime conducunt, libentissime describerem, nisi multa, & notissima forent. Ad eum itaque Sigonii locū, quem in margine allego, Lectorem rejicio (*a*).

II. Juvat autem adjungere, ita consuevisse Venerabile hoc nomen coloribus in tabula, aut tela exprimi, ut ære pariter expressum sit. Quæ quidem variatio levissima est, & eam, qua de agimus, consuetudinem, minime immutat.

III. Alia plura de hoc venerabili nomine tum coloribus in tabula expresso, tum peculiari officio, & Missa celebrato agunt Sanctissimus Benedictus XIV. (*b*), & Benedictus Ajala (*c*). Ad præclarissimos eos viros Lectorem plura nosse cupientem allego. Sed & proderit ea consulere, quæ Eminentissimus Querinus de Poggio morem hunc reprehendente, docet [*d*].

[*] Luc. 2. 21.

(*a*) de Episc. Bononi. l. 3. in ipso fere initio. (Porro de Nicolao Albergato agit), pag. 174. editio. Bonon. anni 1586.

(*b*) *de Canoniza.* l. 4. p. 2. cap. 30. n. 3. 4. & 5.: & in annota. *ad festum SS. Nominis Jesu* §. 85. & sequ.

(*c*) in eo libro, quē *Pictor Christianus* inscripsit, lib. 3 in appendice ad caput 2. pag. 81.

(*d*) in eruditissima *diatriba præliminari ad Francisci Barbari epistolas* pagina ccxxx.

De Picturis, atque anaglyphis, Veteris ac Novi Testamenti historias referentibus.

N*Emo miretur, quod ego post eam tractationem, in qua de Christi imaginibus disputavi, ad eas imagines illustrandas transitum faciam, in quibus veteris, novique testamenti historia exhibentur. In plerisque earum historiarum Christum fuisse repræsentatum, is facile fatebitur, qui Apostolicorum effatorum meminerit*: Omnia in figura contingebant illis (*a*): Finis enim legis Christus [*b*]: *& plane noverit, plurima ex iis, quæ remotissima a Christo apparebant, illum revera indicasse. Quid remotius a Christo videbatur lapide illo, ex quo, in deserto, aquæ scaturierant?* (*) *Eo porro fuisse Christum designatum, perspicue Paulus docet*: Petra autem (*inquiens*) (*c*) erat Christus. *In Davide quoque, illiusque de arrogante Golia relatâ victoriâ, Christum, illiusque adversus Dæmonem, ob inflictas hominibus neces tumidum, ac superbientem, receptas palmas fuisse præfiguratas, discimus ex Augustino, seu, si vis, ex Cæsario* [*d*]: *& ne multis in re minime controversa disputem, tradidere jam dudum Magistri nostri, ea omnia, quæ in veteri testamento Fideli populo videbantur accidere, ad Christum, institutamque ab eo Ecclesiam referri debere.* [*e*] *En cur tractationi illi, quam de Christi imaginibus habui, jungo eam, qua veteris testamenti historias*

(*a*) 1. Co. 10. 11.
(*b*) Rom. 10. 4.
(*) Exo. 17. 6. Num. 20. 11.
(*c*) 1. Co. 10. 4.
(*d*) olim 197. de tẽpore nunc 37. in appendice n. 7. *Sicut enim baculus Crucis typum habuit, ita etiam & lapis ille, de quo percussus est, Christum Dominum figuravit. Ipse enim est lapis vivus &c.*
(*e*) *Christus erat panis, Christus petra, Christus in undis* (inquit Sedulius lib. 1. *de product. aquæ.* Vide etiã, quæ tradit August. sermo. olim 72. *de tempore*: nunc 2. n. 7. Aptissima etiam ea sunt, quæ lib. 4. *de Trinit.* cap. 7. aliàs n. 11. iis verbis: *Hoc Sacramentũ, hoc sacrificium*, & subsequentibus docet. Nec prætermitte, quæ copiose ille prosequitur cap. 40. & subsequen. li. 12. contra Faustum.

rias

ridi marmore, aut coloribus expressas sibi vindicat. Quis vero vertere in dubium ausit, num has subsequi debeant novi testamenti historiæ, marmore itidem, aut coloribus expressæ? Nonne aut ea partem aliquam vitæ Christi, illiusve monita complectuntur, aut eorum gesta sub oculos ponunt, qui vel sanguine conjuncti fuere illi, vel cælestem doctrinam ab illo hauserunt, & in gentes omnes, & tribus diffuderunt? Ne porro diu in præfatione haream, continuo imagines ipsas aggredior.

CAP. LII.

Probabilibus argumentis ostendimus, primis ipsis Ecclesiæ seculis consuevisse Christianos veteris testamenti historias tabula, aut marmore exprimere.

I. CRebro experimento edocti Christiani, ad excitandos in nobis pietatis sensus plurimas habere vires veterum exemplorum memoriam, non modo scriptis ea prodidere, quorum lectione ad virtutem posteri accenderentur, verum etiam diligentissime studuere, ut eadem exempla coloribus, aut marmore exprimerent: ut ii scilicet, qui libros pervolvere minime possent, facili ratione ob oculos haberent ad virtutem consectandam excitamentum, ac stimulos. Visus est sane (multorum quidem opinione) Damascenus

scenus (a) quædam Eusebii verba ita sumpsisse, (b) ut docuerit Eusebius, expressã fuisse ad Terebĩthũ, ubi Dominus Abrahamo apparuit, ipsius apparitionis historiam. Verba autem, quæ Damascenus ex Eusebii libro allegavit, sic in latinum transfert optimus, atque eruditus le Quien. (*) „ Unde locus iste, ceu divinus ad honorem eorum, qui Abrahamo illic apparuerunt, a vicinis populis hodieque colitur. Nunc etiam Terebinthus illa superstes visitur, quique ab Abraham hospitio excepti sunt, sic picturâ repræsentantur, ut duo quidem hinc inde cernantur, medium vero locum, qui præstantior est, teneat. Hic porro sit ipse Dominus Salvator noster, qui se se nobis manifestum faciebat, quemque dum ignorantes colunt, divinorum eloquiorum fidem firmant. Ipse igitur profecto fuerit, qui ab eo tempore religionis semina inter homines jaciens, humanam speciem, & formam subiens, se ipsum, quisnã foret, religioso parenti Abrahamo videndum præbuit, eidemque Patris notitiam dedit. „

II. At (ne quid dissimulem) erunt fortasse, qui hanc interpretationem eo nomine reprehendant, quod in ambiguitate græcæ vocis γραφῆς hærens, picturam esse voluerit id, quod probata alia interpretatio *scripturam* reddidit. En illa, quam dico, probata Eusebii interpretatio (c): *Atque etiam nunc ibidem permanens Terebinthus conspicitur: qui enim ab Abraham hospitio suscepti sunt, ut habet scriptura, recumbentes erant, duo quidẽ utrinque, medius autem excellentior, & qui reliquos anteiret.*

III. At non statim inopportune Eusebii verba a Damasceno relata volo: potuit enim propterea afferre, ut ostenderet, imagines, seu species minime improbandas esse, quoniam ipsemet Filius Dei (teste Eusebio) speciem humanæ formæ sumpsit, multo ante quàm humanam ipsam naturam sumeret.

IV. Ceterum apertissime testatur Eusebius, veteris testamenti historias eo, quo ille vivebat, tempore in locis manifestis, & publicis fuisse expressas. Repetam, quod alibi attuli, (*) Eusebii testimonium. *Vidisses igitur* [inquit ille] (d) *in fontibus, qui sunt in medio foro, boni pastoris imagines, Divinorum Oraculorum peritis notis-*

(a) oratione tertia inter eas, quas pro *imaginum defensione* scripsit.
(b) ca. 9. libri quinti *demonstrationis Evangelicæ.*
(*) in eo capite, quod inscribitur: *Priscorum, probatorumque Patrum testimonia pro imaginibus* pag. 367.
(c) anno 1628. Parisiis, & iterum 1688. Coloniæ edita.
(*) *ca. 46. §. 13.*
(d) cap. olim 48. in editione Valesii 49. li. 3. *de vita Constantini.*

ostissimat. Danielis item effigiem una cum leonibus ære expressam, & auri bracteis refulgentem.

V. Sed necesse non est in uno Eusebio immorari. Indubitatum est siquidem, totam fere historiam sacram a veteribus Christianis fuisse aut coloribus, aut marmore expressam, eamque intuentium oculis fuisse propositam. Atque ad hunc quidem morem respexit Nilus ille, qui in epistola ad Olympiodorum Proconsulem hæc scripsit: (e) „ Novi, ac veteris testamen-„ ti historiis hinc inde parietes templi repleri doctissi-„ mi pictoris operâ velim, ut scilicet ii, qui literas „ non norunt, neque sacram scripturam legere que-„ unt, contemplatione picturæ in memoriam reducant „ quinam generose, & ex animo, vero Deo per fortia „ facta servierunt, atque in certamen excitentur glo-„ riosorum, & laudatorum facinorum, per quæ cum „ cælo terram commutarunt, venerantes scilicet per „ contemplationem ea, quæ non viderunt &c. „

(e) allegatum est hujusce epistolæ testimonium actione 4. Synodi Nicanæ II. col. 875. & 1395. tomi 8. Conci.

VI. Sed cur ad Nili desiderium confugio, quando quidem non conjecturis, aut infirmis probationibus id, quod tradidi, evincere possum, sed vel monumentis, quæ etiã num supersunt, vel quæ certe diu superfuisse nemo inficiatur? Hæc si a me exposcis, facile obsequor, & per præstantiores veteris testamenti historias decurrens, argumenta indico, quibus mihi persuasum est, eas priscis ipsis Ecclesiæ seculis fuisse a Fidelibus expressas, & palam propositas ad visendum. Rerum omnium creationem in Ecclesia à S. Neone Ravennæ constructa fuisse omnium oculis picturâ subjectam, tradit Agnellus (g), qui versus etiam describit picturæ illi appositos.

(g) cap. 1. Vit. S. Neonis pag. 58. par. 1. to. 2. rer. italica.

VII. Sed non is tantum locus fuit, qui creationis, librique Geneseos historias exprimeret. Ut id præteream, quod aliquando observavit Ciampinus (h); expressã scilicet fuisse in vetustæ Crucis summitate Adami creationem, Evæ formationem, aliasque affines historias: (fortasse enim veluti minus antiquam Crucem illam omittendam esse censebis) ut id, inquam, præteream: nonne ad picturam, quæ Adami creationem sub oculos poneret, respiciunt ii Paulini versiculi (i)?

(h) *de Cruce statio-nali* differens to. 2. vete. monu. cap. 6. pag. 44. n. 3. §. *Adami &c.*

(i) Nata. 9. v. 607.

De Genesi, precor, hunc orandi collige sensum:
Ne maneam terrenus Adam, sed virgine terra
Nascar, & exposito veteri, nova former imago.

VIII. Hanc ipſam hiſtoriam a Græcis fuiſſe expreſſam alia quidem monumenta fortaſſe teſtantur; ſed ego quoque unum afferam, cujus (ut pote hactenus deliteſcentis) nemo adhuc meminit. Eburneum anaglyphum hoc eſt, duabus lamellis conſtans, duabus pariter unciis altum; latum vero fortaſſe ſeptem. Formatio Adami, & Hevæ ex illius latere eductio extremis partibus exhibentur: medias vero habet Cain lapides in Abelem injiciens, eâque ratione ipſum proſternens, occidenſque. Chriſtus Dominus ad vivum expreſſus (id indicantibus græcis litteris IC. XC. ideſt Jeſus Chriſtus, ad illius imaginē appoſitis) ſuperiorem partē occupat ſiniſtræ partis, cui reſpondet formatio Adami quo quidem monito edocemur, Verbo Divino Adami formationem potiſſimum tribuendam eſſe. Hevæ vero ex Adami latere prodeunti iminet manus e nubibus educta, treſque digitos tantūmodo extendens, reliquos duos ſupprimens; quo quidem ſymbolo divinam Trinitatem exprimi norunt omnes: Ea quoque ratione edocemur, non ita Verbo Divino tribuendam eſſe Adami formationem, ideoque Hevæ ex illius latere eductionem, ut reliquæ Trinitatis perſonæ excluſæ fuerint. Poſſidet hoc anaglyphum, antiquitate, & elegātia præclarum, Vir præſtantiſſimus Hieronymus Baruffaldi, Oppidi Centi Archipresbyter, poetica laude, eruditione, & editorum librorum copiâ laudatiſſimus.

IX. Progenitores noſtros Adamum, & Hevam ſerpentis fraude deceptos, ideoque decerpentes ex arbore vetitos fructus, repræſentant duo illa vitra, quæ priore tabula expreſſit Clariſſi. Philippus Bonarota. Iſtorū porro vitrorum vetuſtatem non eſt cur hic comemorem; id enim alibi fuſe ſum proſecutus (*k*).

X Adamum pariter & Hevam prope arborem illā poſitos, ſerpētiſque ſubdola verba audiētes exprimit vetuſtiſſimus Junii Baſſi Sarcophagus: (*l*) exprimebat etiam Sarcophagus ille, quem ex parte fractum delineari, typiſque evulgari juſſit Aringus (*m*). Perſpicue quoque eos referunt Sarcophagi alii ab eodem Aringo evulgati. Nec omittitur eorum imago in cubiculis cœmeteriorum (*n*).

XI. Eoſdem primos parentes e paradiſo ejectos, eòque adactos, ubi ærumnis, ac laboribus fatigati miſe-

(*k*) cap. 36. §. 5.

(*l*) li. 2. ca. 10. pag. 277. to. 1. Aring.

(*m*) Ibidē pag. 315. to. 1.

(*n*) lib. 2. cap. 10. pag. 325. Rurſus eodem cap. pag. 331. Item lib. 3. cap. 3. pag. 427. tom. 1. Quin etiam lib. 4. cap. 14. pag. 109. & 117. Capite quoque 15. pag. 123. Ca. 18. pag. 143. Denique ca. 27. pag. 193. & 199. to. 2.

feram vitam ducant, alibi fuisse expressos testatur Aringus, (o) ad quem Lectorem rejicio. His adjicias imagines illas, quas a Constantino Magno in Lateranensi Basilica fuisse elaboratas Legatorum Romani Pontificis in Nicæno II. residentium indubitato testimonio assequimur. En illud (*) : *Petrus, & Petrus Deo amabiles Presbyteri, & Vicarii Hadriani Papæ senioris Romæ dixerunt: Tale quid & divæ memoriæ Constantinus magnus Imperator olim fecit: ædificato enim templo Salvatoris Romæ, in duobus parietibus templi historias veteres, & novas designavit; hinc Adam de Paradiso exeuntem, & inde latronem in paradisum intrantem figurans, & reliqua &c.*

(o) li. 3. ca. 22. pag. 613. 621. & 623. to. 1.

(*) Act. 4. in ipso fere initio pag. 878. to. 8. Conc.

XII. Sacrificium a duobus prioribus germanis Abele, & Cain Deo oblatum quidam Sarcophagi ostentant. Horum, quæ dixi, vadem Aringum profero (p). Sed procul dubio Abelem præsefert musivum quoddam Ecclesiæ S. Vitalis Ravennæ erectæ (q). Ideo porro (nec fallimur) Melchisedech sacrificanti, & Abrahamo Isaacum jam sacrificaturo in eo musivo (r) Abel est junctus, quia horum sacrificia mirum in modum Deo accepta fuisse videntur. Hinc Ecclesia Deum in canone sic deprecatur: *Supra quæ* (hostiam, & calicem nuper a Sacerdote consecratum) *propitio, ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Ad quæ verba vide quæ docet Sanctissi. Benedictus XIV. (s)

(p) li. 3. ca. 3. pag. 427. to. 1. & li. 4. cap. 25. pag. 167. to. 2.

(q) Consule tab. 21. tom. 2. moni. Ciampi. pag. 70.

(r) Ibidem tab. 20. pag. 69.

(s) in explicatione canonis Missæ §. 273. & subsequentibus decem.

XIII. At non modo Sacrificium Deo ab Abele oblatum, verum etiam mortem Abeli a Cain illatam, Deum alloquentem Cain, aliasque affines historias in Cruce vetusta Stationali, cujus paulo ante memini, fuisse expressas testatur Ciampinus, (t) ad quem quidem Lectorem amando.

(t) to. 1. vet. mon. cap. 6. pag. 45.

XIV Diluvium, quo plane obruta est terra, in basilicâ a Neone Ravennæ ædificatâ, coloribus fuisse expressum, ex his Agnelli verbis assequimur (u). *Historiam psalmi, quem quotidie cantamus,* (idest Laudate Dominum de cælis) *una cum Cataclysmo in pariete parte Ecclesiæ pingere jussit:*

(u) Vit. S. Neonis cap. 2. pag. 58. par. 1. to. 2. Rer. Itali.

XV.

XV. Noe in arcam recipiens columbam antea emissam, conspicitur in priore illo vitro, de quo nuper mentionem feci. Conspicitur pariter in sarcophagis, & cœmeteriorum cubiculis ab Aringo delineatis haud sane paucis (x). Huc pariter spectat subsequens Ambrosii distichon. (nam illud, aliaque affinia disticha (y), Ambrosio Tillemont (z), & Juretus (aa) tribuunt.)

Arca Noe nostri typus est, & spiritus, ales
Qui pacem populis ramo prætendit olivæ.

XVI. Præclara quædam Abrami gesta musivo opere expressa habes in laudatissima æde S. *Mariæ Majoris*. Expressere vero musivi illius picturas egregii Ciampinus (bb), & Franciscus Blanchinus (cc): his tamen minime indigemus.

XVII. Abrahamum sane, Dei jussu, ex Ur exeuntem (dd), Angelos quoque humanâ formâ contectos, a Loth hospitio exceptos (ee): versam denique in statuam salis uxorem Loth, coloribus fuisse, Paulini jussu, expressa, ex his ejusdem Paulini versibus discimus (*).

Educar tellure mea, generisque mei sim
Degener; & sponsæ festinem ad mellea terræ
Flumina, Chaldæi servatus ab igne camini.
Sim facilis tectis, quasi Lot, fore semper aperta,
Liberer ut Sodomis; neque vertam lumina retro,
Ne salis in lapidem vertar, sale cordis egenus.

XVIII. Amplissimam illam promissionem, qua a Deo certus factus est Abraham, multiplicandos fore *sicut cæli stellas*, ejusdem Abrahami posteros (ff), fuisse a S. Ambrosio in Basilica ab illo erectâ coloribus expresfsâ, conjicere merito possumus ex hoc disticho.

Æthereum spectare polum Patriarcha jubetur,
Stellarumque modo sobolem sperare micantem.

XIX. Ejusdem quoque Ambrosii distichon aliud, res capite 18. Genesis descriptas indicans, Lectori exhibeo.

Hospitio largus Christum quoque suscipit Habran:
Sara pudore latis, (*) fida pietate ministrat.

XX At peculiariter illud Abrahami sacrificium, quo se paratum præbuit ad primogenitum suum Isaacū Deo victimam offerendum, tam crebro a veteribus Chri-

(x) li. 2. ca. 10. pag. 325. Rursus eodem capite pag. 331. & 333. Item li. 3. cap. 22. pag. 619. to. 1. Denique, ne infinitus fimili. 4. cap. 14. pag. 67. & 101. to. 2.
(y) Biblioth. Pat. Pari. an. 1544. to. 8. pag. 941. & 942. idest postremis.
(z) to. 10. hist. Eccl. de S. *Ambrosio* ar. 47. pag. 187. edi. Vene.
(aa) Juretus in añota. 44. ad Carmen quod Tertulliano adscribitur, extatque pag. 938. ejusdem to. 8. allegat, adscribit quippe Ambrosio versiculos eos. *Excipit innocuo &c.* Ideoque alios in eodem loco positos.
(bb) to. 1. vet. mon. tab. 50. & seq. pag. 212. & seq.
(cc) tom. 3. Anasta. Biblio. in Sixtum III. sect. 65. pag. 124, & seq.
(dd) Gene. 12. v. 1. &c.
(ee) Ibi. cap. 19. v. 2. &c.
(*) Nata. 9. v. 610.
(ff) Gen 15. 5.
(*) error aliquis forsasse irrepsit.

Christianis expressum est, ut infinitus propemodum fierem, si singula loca, in quibus illud adhuc visitur, persequi vellem. Ad aliqua tamen digitum veluti intendā, ut in his habeat Lector, quæ statim consulat. Consule itaque imaginē, seu figuram I. Tab. I. Primā item Tab. II. Bonarotæ. Ea quoque Aringhi (*gg*), & Ciampini (*hh*) loca, quæ in margine doceo. Alia non deerunt, si primā crucem stationalem (*ii*) ab eodem Ciampino explicatam, aliaque vetera monumenta pervolveris.

Eo pariter spectat distichon illud Ambrosii (*kk*)

Offert progeniem Sacris altaribus Habram:
Patris & est pietas, caro non parcere nato.

Gregorius Nyssenus (*ll*) vetustus, & eloquens Pater, dū sacrificiū illud, quo Isaacū Deo mactare paratus erat Abrahamus, describit, haud infrequentes hujusce historiæ imagines fuisse innuit: *De hinc* (inquiens) *vinculis ligatum prius assumit filium Pater. Hujus acerbæ rei imaginem depictam sæpius vidi, nec a lacrymis temperare unquam potui; cum ars perspicue rem gestam oculis explicaret &c.* Id ipsū discis ex epistola Cyrilli Alexandrini ad Acaciū [*] Denique, ut finem horum faciam, non modo hoc, de quo agimus, sacrificium, verum etiam partem aliam, ut ita appellem, vitæ Abraham capite 26. Genesis descriptam exprimi jussit, & in S. Felicis basilica spectandam proposuit Paulinus Nolanus; quod ex his versibus discimus (*)

Hostia viva Deo, tamquam puer offerar Isac:
Et mea ligna gerens sequar almum sub cruce patrem,
Inveniam puteos; sed ne, precor, obruat illos
Invidus, & viventis aquæ cæcator Amalec.

Vide etiam, si vis, quæ de hac historia coloribus expressa tradidere Patres Concilii II. Nicæni (*mm*).

XXI. Ad Isaacum, cujus paulo ante meminimus, pertinuit procul dubio pictura illa, cui Ambrosius versiculos hos apposuit.

Præstolatur oves sponsæ de gentibus Isaac:
Ecce Rebecca venit sublimi vecta camelo (*nn*).

XXII. Eundē Isaacum benedictionem Jacobo impartientem (*), erecta ab eodem Ambrosio pictura exprimebat, cui hos versiculos addidit.

Jacob fraude bona patri dum suggerit escas,
Præcipit eulogiam; sed dulcia frusta lucratur.

(*gg*) lib. 2. cap. 10. pag. 305. 309. & 317. Rursus li. 3. ca. 3. pag. 423. & cap. 22. pag. 539. to. 1. Item li. 4. cap. 14. pag. 67. & 87. tom. 2. Eodem etiam li. 4. cap. 37. pag. 311. judice Aringo, exprimitur Isaacus, jubente Abrahamo, lignorum struem ad altare deferens: pag. vero 257. repræsētātur Abrahamus, & Isaac Deo gratias agentes propter substitutum eidem Isaaco hircum.

(*hh*) to. 2. vete. moni. tab. 20. pag. 69.

(*ii*) to. 1. vete. mon. pag. 45.

(*kk*) in Biblio. Pat. Par. loco nuper allegato.

(*ll*) in Oratione, quā de Filii, & Spiritus Sācti divinitate habuit. Oratio ista extat to. 3. Operum Parisiis anno 1638. editorum pag. 465. at testimoniū, quod hic allegatur, habes pa. 476. Allegatur etiam hic sermo in Nicæ. 2. act. 4. pag. 851. to. 8. & rursus a Germano Patriar. Ibidem pa. 958.

(*) allegatur actio. 4. Conci. II. Nicæni pag. 854.

(*) v. 615. Nat. 9.

(*mm*) in ipso fere initio actio. IV. pa. 851.

(*nn*) Gen. 24.

(*) Gen. 27.

XXIII.

XXIII. At non modo eundem Jacobum benedictionem a patre surripientem, verum etiam ad Laban deinceps aufugientem, ut iram fratris declinaret; a Labano pariter exceptum, aliaque multa ejusdem Jacobi gesta refert stationalis illa Crux, de qua antea sermonem habui. Aufugientem pariter fratris iram Jacobum [oo] in S. Felicis Basilica expressum fuisse a Paulino, versiculi hi declarant. (*)

Sim profugus mundi, tamquam benedictus Jacob:
Fratris Edom fugitivus erat; fessoque sacrandum
Supponam capiti lapidem, Christoque quiescam.

Ad Jacobum quoque pertinet illud Ambrosii distichon.

Pascit oves Jacob varias: (*) vos discite patres
Diverso populos virtutum adsuescere cultu.

XXIV. Ea porro stationalis Crux, de qua crebro dixi, illud quoque musivū, quod in æde S. Mariæ Majoris Romæ elaboratum, & vetustissimum esse monui, plurima ad Jacobi, filiorumque illius historiam pertinentia complectuntur. Consulat, obsecro, Lector ea, quæ Ciampinus, & Blanchinus de iis disserunt. At cave omittas ea, quæ in antiqua Pontificia sede Ravennæ a Maximiano [pp] (nisi probabilis conjectura nos fallit (qq)) constructa, & imaginibus anaglyphitico opere ornatâ: in ea quippe non modica pars earum historiarum, quæ in postremis Genesis capitibus leguntur, expressa est.

XXV. At peculiariter expressus fuisse videtur Joseph. Ad illius sane imagines pertinent septimum, & tria subsequentia Ambrosii distícha. Quin etiam impurissimæ dominæ illecebras declinantem ostentabat pictura quædam a Paulino in S. Fælicis Basilica elaborata; quod quidem ex his ejusdem Paulini versibus constat (rr).

Sit mihi castus amor, sit & horror amoris iniqui:
Carnis ut illecebras, velut inviolatus Joseph,
Effugiam vinclis exuto corpore, liber
Criminis, & spolium Mundo carnale relinquam.

XXVI. Suspicati sunt etiam Viri doctissimi, Josephū, dum innocens ab uxore Putipharis falso criminis accusatus in carcerem conjiciebatur, expressum conspici in superiori parte trium sarcophagorum, quos exhibet Aringus libro 2. cap. 10. (ss): in eo quoque sarcophago, quem habes li. 3. cap. 22. (tt): in ea item pi-

(oo) Gen. 28., & 29.

(*) Nata. IX. v. 619.

(*) Gene. 30. v. 32. &c.

[pp] Ordinatus est Maximianus *pridie idus Octobris* anni 546. obiit an. 552. Kalen. Martii (pag. 16. Agnelli.)

(qq) Vide pag. 215. 1. p. to. 2. rer. Italica.

(rr) v. 623. Nata. IX.

(ss) pag. 277. 315. & 331. to. 1.

(tt) pag. 615. to. 1.

picturâ, cujus typum præfert liber 4. cap. 27. [uu]: iis denique in sarcophagis, quorum imagines ita fere ille explicat, ut velit in iis Christum in horto, aut Apostolū Petrum a satellitibus apprehensum repræsentari. (xx) Sed sane Josephum fuisse non raro in Christianorum monumentis expressum, minime dubito: fuit quippe is ex illustribus iis viris, qui Christum innocentem impudentissimâ accusatorum calumniâ primûm quidem proditum, tum exaltatum, & honorificentissime habitum adumbrarunt. (yy) Profecto supplices ante Josephum fratres veniam ab eo deprecaturi, mih exhiberi videntur in secundo cœmeterii S. Calixti cubiculo, quod quidem describit Aringus. (zz)

XXVII. Atqui ea, quæ narrat Exodus, aliique Pentateuchi libri omissa non sunt; atque adeo omissa non est maxima pars eorum, quæ in libro Josue prodita scriptis sunt. Utinam superessent eæ picturæ omnes, quæ primis Ecclesiæ sæculis in Christianorum templis Romæ præsertim elaboratæ fuerunt: plerasque sacrorum librorum historias in iis procul dubio conspiceremus. At jacturam hanc aliqua ex parte reparant alia quædam vetusta monumenta, quæ temporis edacitas nobis minime eripuit.

XXVIII. Moysem enimvero *pascentem oves Jethro soceri sui* (a) (Ciampini quidem sententiâ, quam ego non improbo) exhibet vetustum musivum Ravennæ elaboratum (b): exhibet quoque, nisi fallimur, vetustus Sarcophagus ab Aringo relatus li. 4. ca. 37. (c)

XXIX. Idem Moyses accessurus ad Dei alloquium (d) (judicibus Aringo (e), & Ciampino [f]) exhibetur in iis monumentis, quæ in margine adnoto.

XXX. Israeliticum Populum, eodem Moyse ducens mare rubrum pertranseuntem (g) ob oculos ponunt Sarcophagi illi, quos capite 10. libri 2. (h), & alibi etiam (i) recenset Aringus. Eandem historiam in S. Felicis Basilica posuisse Paulinū ex versibus 630. & subsequentibus Natalis IX. discimus.

XXXI. Eundem populum manna excipientem repræsentari ait Aringhus in eo sarcophago, quem pag. 399. to. 2. describit. Item manna (ejusdem Aringhi sententia) (*) sæpe alibi exprimitur, veluti libro 4. cap. 14., aliisque in locis, quos omnes innuere non est necesse.

(uu) pag. 211. to. 2.

[xx] Vide Sarcophagos delineatos li. 2. cap. 10. pag. 321., & 323.

(yy) Vide quæ tradit Aringus li. 5. c. 22. pag. 480. & subsequen. to. 2.

(zz) lib. 3. cap. 22. pag. 539. to. 1.

(a) Exo. 3. 1.

(b) to. 2. vete. monu. tab. 21. pag. 70. fig. 4.

[c] pag. 267. to. 2.

(d) Exo. 3. 2. &c.

(e) li. 2. ca. 10. pag. 333. & li. 3. ca. 22. pag. 589.

(f) to. 2. vet. mon. tab. 21. pag. 70. fi. 3.

(g) Exo. 14. v. 21. &c.

(h) pag. 331. to. 1.

(i) li. 4. ca. 47. pag. 397. tom. 2.

(*) pag. 555., & 539. to. 1. Et 91., & 99. to. 2.

XXXII. Moysem porro educentem e rupe aquas (k) creberrime habent veteres Sarcophagi, & cœmeteriorum cubicula, e quibus loca aliqua, quæ in marginem conjeci, seligere libuit (l). Hæc porro, nisi plane fallimur, ætate præcessit vitreum illud fragmentum, quod n. 1. Tabulæ I. refert, & præclaris annotationibus illustrat Clarifs. Bonarota.

XXXIII. Frequentissime quoque Moysem accipientem a Domino legem (m) veteres Sarcophagi, & cœmeteriorum cubicula exprimunt. Lectori molestus fiam, si loca singula indicem. Aliqua tamen innuam, ut ex his conjiciat, quàm crebræ fuerint apud veteres Fideles hujusce historiæ effigies. Intuere itaque Sarcophagum descriptum li. 2. cap. 10. pag. 291., aliaque monumenta, quæ in margine commemoro (n).

XXXIV. Sampsonem portas urbis Gazæ gestantem (o) refert pictura cubiculi illius, quod lib. 4. cap. 37. (p) descripsit Aringus.

XXXV. Davidem fundam manu gestantem, ideoque paratum ad ineundum cum Goliat singulare certamen (q) intuentium oculis subjicit cubiculum III. cœmeterii Calixti [r].

XXXVI. Arcam fœderis a quatuor viris devectam repræsentari in quodam cœmeterii S. Calixti cubiculo testatur Aringus (s). Sed fortasse aliud quodpiam ea pictura significat. Sane Levitas fuisse vectores eos, ex vestibus minime dignosces. Tamen non defuere, qui dicerent, eam sacræ historiæ partem hoc in loco fuisse expressam, quæ capitibus 5. & 6. libri 1. Regum describitur.

XXXVII. Sed cur reticemus Ambrosii distichon, Absalomi mortem (t) sic describens?

Pendet Absalon adstrictus in arbore guttur,
Ne Celum patricida ferus macularet, humumque.

XXXVIII. Nec Eliam curru igneo in cælos raptum (u) omisere iidem Fideles. Vide quæ tradit Aringus, (x) quibus hoc Ambrosii distichon junge:

Helias ascendit equos, currusque volantes
Raptus in ætheriam, meritis cælestibus, aulam.

XXXIX. Id vero, quod capite 4. libri 4. Regum de filio mulieris viduæ ad vitam excitato docemur, (si Aringo credimus] (y) etiam expressere.

XL. Commemorandum hic quoque id venit, quod

(k) Exo. 17. 6. & 7.

(l) li. 2. ca. 10. pag. 313. 319. 323. 325. 331. 339., & lib. 3. cap. 22. pag. 535. 539. 547. 563. & 589. to. 1. Nec minus crebro eadem species occurrit t. 2.

[m] Exod. 31. 18. Deute. 9. 10.

(n) in eodem capite x. Aring. pag. 305. & 309. Rursus li. 4. ca. 14. pag. 91. to. 2. Eum quoque Sarcophagū, cujus typū Bonarota præposuit libro, quem de fragmentis vitreis, quæ in cœmeteriis reperta sunt, scripsit (pag. 1.) Vide porro quæ Aringus to. 2. li. 5. ca. 12. edocuit.

(o) Judi. 16. 3.

(p) pag. 331. to. 2.

(q) 1. Reg. 17. 40. &c.

(r) lib. 3. cap. 22. pag. 547. to. 1.

(s) li. 3. ca. 22. pag. 535.

[t] 2. Reg. 18. v. 9. & 14.

(u) li. 4. Reg. ca. 2.

(x) li. 2. ca. 10. pag. 305., & 309. Rursus li. 3. ca. 3. pag. 429. & cap. 22. pag. 565. to. 1.

[y] li. 4. ca. 47. pag. 399. to. 2.

quod tradidit auctor sermonis illius, quem Joanni Chrysostomo tribuunt Joannes Damascenus (z), & Theodosius *præses S. Andreæ* apud Nesium (a), demunt vero recentiores (b), & ad hunc modum inscribitur. *Quod veteris, & novi testamenti unus auctor sit, & in Sacerdotis indumentum.* En eū, quem dixi, allegati sermonis locum. (*) *Ego quidem pictura quoque delectatus sum, quæ fusili cera confecta sit, modo pietatem præseferat. In imagine si quidem Angelum vidi barbarorum agmina profligantem: vidi calcatas barbarorum nationes* (c), *& Davidem dicentem: In civitate tua speciem eorum ad nihilum redigas* (d).

XLI. Jobum quoque efformavere. Vadē esse volo Aringū, ad quem Lectorem rejicio (e). At tam Jobi, quàm Estheris, Tobiæ, & Judithæ historias, priscorum Fidelium pietate, aliquando coloribus fuisse expressas scriptis prodidit Paulinus Nolanus valde gravis, & celebris auctor, cui versiculos hos debemus (f).

At geminas, quæ sunt dextrâ, lævâque patentes,
Binis historiis ornat pictura fidelis.
Unam Sanctorum complent pia gesta virorum,
Jobus vulneribus tentatus, lumine Tobit.
Ast aliam sexus minor obtinet, inclyta Judith,
Qua simul, & regina potens depingitur Esther.

XLII. Sed & Tobiam exhibet vitreum illud fragmentum, quod imagine, seu figura 2. tabulæ II. dedit Bonarota (g). Aringus quoque eum pictum ait in tertio cœmeterii Calixti cubiculo (h).

XLIII. Ad Isaiæ imaginem procul dubio respicit hoc Ambrosii distichon:

Disparibus victum populis prænunciat unum
Isaias vates socians armenta Leoni (i).

XLIV. Jeremiæ porro imagini appositi ab eodem Ambrosio hi versus sunt.

Hic est Hieremias sacratus Matris in alvo, (k)
Hostia cui Dominus sæpe monstravit ut agnus (l).

XLV. Visionem illam, in qua mortuorum ossa vitæ restitui conspexit Ezechiel (m), indicari ait Aringus in quodam Sarcophago, quem ille protulit (n).

XLVI. Creberrimas quoque fuisse imagines, quæ Danielem in lacum Leonum conjectum, & incolumē a Deo servatum repræsentarent (o), indubitata res

(z) Oratione II. inter eas, quas *de sacris imaginibus* edidit.

(a) Hoc testimoniū præposito Joannis Chrysostomi nomine, ab eo allegatur in Nicæ: *II.* act. 4. pag. 850.

(b) Vide pag. 400. & subseq. tom. VI. editionis Mont-faucon.

(*) n. 6. pag. 414. to. 6. edit. Mont-fau.

(c) 4. Reg. 19. 35. Isa. 37. 36.

(d) Ps. 72. 20.

(e) li. 2. ca. 10. pag. 277. to. 1. lib. 4. ca. 7. pag. 25. n. 3. & ca. 14. n. item 3. pag. 75. to. 2. & alibi etiam.

(f) Nata. 10. *S. Felicis* v. 22.

(g) Vide pag. 16.

(h) li. 3. ca. 22. pag. 551. to. 1.

(i) ca. 11. v. 6.

(k) ca. 1. v. 5.

(l) error nescio quis in hunc versiculum irrepsit.

(m) 37. v. 4. & subse.

(n) li. 2. ca. 10. pag. 327. to. 1.

(o) cap. 6. v. 16. & 14. v. 30.

est. Vide imaginem 1. tab. 1. & imaginē 3. Tabulæ 2. Bonarotæ. Rari quoque veterū Christianorū sarcophagi sunt, rara cœmeteriorum cubicula, in quibus is non occurrat. Lector eos, quos ex Aringo in margine describo, locos videat (*p*), e quibus postremus etiam refert Habacuc prandium Danieli porrigentem. (*q*) Eum addat Eusebii Cæsariensis locum (*r*), quem jam retuli, & subsequentes Ambrosii versiculos.

Ecce feri norunt Sanctis deferre Leones,
Atque famem cohibere metu, vatemque vereri.

XLVII. Erectam a Nabuchodonosore statuam [*t*], tresque pueros ad eam invitos pertractos exprimit cœmeteriale quoddam cubiculum, quod describit Aringus [*u*]. Eosdem pueros, quòd eam adorare noluerint, in ardentē fornacē cōjectos (*x*), nullaque ratione, dū orarēt, ab igne læsos: eos quoque Deo propterea gratias agentes, repræsentant veterum Christianorum sarcophagi sane non pauci, & cœmeteriorum cubicula. Ex his loca aliquot elegi, quæ in marginem conjicienda duxi (*y*). Sed & in Basilicarum parietibus fuisse eos interdum pictos hæc Agnelli Ravennatis verba (*z*) testari videntur: *Manu dextera aspexeris juxta quod effigies trium puerorum musivo depictæ sunt.*

XLVIII. Susannam a senibus accusatā, & orantem exhibet sarcophagus ille, cujus typum præposuit Bonarota libro, quē *de vitreis fragmentis in Christianorum cœmeteriis repertis* edidit (*a*): fortasse etiam eandē Susannā referunt sarcophagi ab Aringo lib 2. ca. 40. (*) & li. 3. ca. 22. (*b*) descripti: Susannam enim indicare videtur *mulier* (ut verbis Aringhii utar (*)) brachiis expansis *orantis in modum*, cui adstant veluti accusantes senes duo. Quod si excipis (cur vero non excipies?) Susannam repræsentabunt picturæ illæ, quas idem Aringus pag. 111. (*c*) & 117. to. 2. refert (*d*). Nec defuit, qui suspicaretur, eandem quoque Susannam expressam conspici pag. 137. 163., & 165. ejusdem tomi (*e*).

XLIX. At nulla fortasse historia frequentius expressa est a veteribus Christianis eâ, quam liber Jonæ prophetæ subministrat. In vitreis illis fragmentis, quæ in cœmeteriis reperta sunt (*f*), in crucibus stationalibus, in sarcophagis, in cœmeteriorum cubiculis; ubique denique occurrit Jonas, variis etiā speciebus varios illius

(*p*) li. 2. ca. 10. pag. 277. & 333. Li. 3. ca. 22. pag. 543. 547. & 567. to. 1. Rursus li. 4. cap. 14. & 47. pag. 67. 101. 105., & 401. to. 2.
(*q*) Dani. 14. 32. &c.
(*r*) *de vita Constan.* li. 3. ca. 49.
[*t*] Daniel. 3.
[*u*] li. 3. cap. 22. pag. 551. to. 1. Vide etiam pag. 295.
[*x*] Daniel. 3. v. 21. &c.
(*y*) l. 2. ca. 10. pag. 295. & 333. Libro 3. cap. 22. pag. 539. & 619. to. 1. Item li. 4. cap. 27. & 47. pag. 189. 201. & 401. to. 2.
(*z*) in Vita S. Joannis *Angelopti* cap. 1. pag. 64. partis 1. to. 2. *Rer. Italica.*
(*a*) pag. 1. & 5. §. *al principio della fascia.*
(*) pag. 313., & 323. to. 1.
(*b*) pag. 615. & 619.
(*) pag. 322. to. 1.
(*c*) (per errorem legitur 109.)
(*d*) li. 4. ca. 14.
(*e*) ca. 18., & 25.
[*f*] tab. 1. fig. 1.

lius eventus figurantibus, expressus, adeo ut inutile fortasse operam navare visurus sim, si ea loca indicem, in quibus is conspicitur, cū cuncta fere vetusta monumenta illum præferant. Tamen ne videar muneri meo deesse, loca quædam in margine innuo, in quibus is occurrit. Ea consulat Lector (g). Alia multa, si velit, ea præbebunt Bosius, & Aringus. Sed cur valde elegans Ambrosii distichon prætereo?

Excipit innocuo viventem bellua morsu
Cetus, & ad terras Jonam gravis adtulit alvo.

L. Et hæc quidem de veteris testamenti imaginibus atque historiis, priscorum Christianorum cura expressis, dicta sint satis. Cur porro ex ejusdem veteris testamenti historiis selegerint quasdam, quas frequentius exprimerent, trandunt Bonarota (h), & Aringus (i): atque ad hos quidem eximios viros, longo, diuturnoque labore defatigatus, ac rerum, quæ adhuc explanandæ supersunt, multitudine, ac mole perterritus, Lectorem allego.

(g) Apud Aring. li. 2. ca. 10. pag. 315. & 335. Li. 3. ca. 3. pag. 425. & capite 22. pag. 533. to. 1. Lib. 4. pag. 59. 71. 97. 101., 105., & 315. to. 2.

(h) in explicatio. tab. 1. & 2.

(i) li. 5. ca. 7. & seq. pag. 467. & seq. to. 2.



CAP.

CAP. LIII.

De Picturis, atque anaglyphis, novi testamenti historias referentibus.

I. NEc minorem est, quam in veteris testamenti historiis exprimendis impenderunt, iidem veteres Christiani insumpsere curam, ut novi testamenti historias picturâ, vel marmore repræsentarent. Infinitus porro fierem, si vellem singula persequi, quæ Aringus, Ciampinus, & Bonarota recensent. Cuncta tamen minime præteribo, sed quædam veluti delibabo, quibus appareat, quàm late a priscis usque seculis ea pateret consuetudo, qua sacras historias in Scripturis relatas picturâ, vel marmore referimus.

II. Angelus Zachariæ apparens, illique prædicens nasciturum filium, in illo magnificentissimo arcu visitur, quem vel erexit, vel certe musivis operibus ornavit Sixtus III. (*a*)

III. Alter Angelus (Gabriel nempe) Mariæ incarnationem in sacratissimo illius utero peragendam nuncians, in eodem laudatissimo arcu apparet (*b*). Hanc ipsam Evangelicæ historiæ partem Ambrosii jussu fuisse pictam, aperte assequimur ex his ejusdem Ambrosii versiculis:

Angelus affatur Mariam, quæ parcâ loquendi
Ora verecundo solvit suffusa rubore.

Sed quæ nuper legens Agnelli Ravennatis librum reperi, visum est mihi, ut hoc loco adnotarem (*c*). *Et hic Pontifex in suo proprietatis jure ædificavit Ecclesiam sanctæ, & semper Virginis intemeratæ Mariæ . . . . effigies S. Dei Genitricis;* tum hos recitat versus, qui eidem imagini subjecti erant, quippe respicere videntur ad imaginem Virginis Mariæ, quam Angelus Gabriel paulo ante fuerat allocutus:

Virginis aula micat; Christum quæ cepit ab astris,
Nuncius e cælis Angelus ante fuit.
Mysterium! verbi Genitrix, & Virgo perennis,
Auctorisque sui facta parens Domini.

(*a*) Vide, quæ tradit Ciampinus t. 1. vet. moni. tab. 49. n. 1., & 2. partis superioris sinistræ pag. 200., & 206. §. *in laeva itaque sectione*; & quæ egregius Blanchinus adnotat to. 3. Anasta. Biblioth. in Sixtum III. sect. 55. pa. 124. & subseq.

(*b*) n. 1. partis superioris dexteræ pag. 207. §. *sex quæ &c.*

(*c*) in vita S. Ecclesii cap. 1. pag. 95. partis I. to. 2. Rer. Italica. obiit autem Ecclesius *circa Julii mensem ann.* 534. (Ibidem pag. 16.)

IV.

IV. Virgo Maria Elisabetham visitans exhibetur in ea cœmeterii S. Julii pictura, quam ære incidit, suisque libris inseruit Aringus (*d*).

V. De puero Jesu in præsepi posito, deque imaginibus illum repræsentantibus satis alibi diximus (*e*), atque ad ea quidem Lectorem rejicio.

VI. Magos Christi cunabula venerãtes exhibet nõ levis pars eorũ Sarcophagorũ, de quibus capite 37. dixi, adeo ut constet, sæpissime simul expressisse veteres Christianos nativitatem Christi, & adorationem illi a Magis adhibitam. Ceterum Magi visuntur etiam in iis locis, quæ ex Aringo & Ciampino (*) in margine adnoto (*f*). Inter eas quoque picturas, quibus Sixtus III. ædem S. Mariæ Majoris ornavit, hanc historiam expressam conspicis. [*] Idem de Ravennatibus Basilicis dicito. Assequimur id ex Agnello & Ciampino. (*g*) Ad hæc: vetustissimum ebur ad me humanissime misit Clarissi. Baruffaldi utraque parte anaglyphitico opere elaboratum. Magos prostratos hinc conspicimus: illinc vero Mariam aufugientem Herodis satellitem gladio nudato insequentem, Angelum vero illius impetum retundentem.

VII. Pueros a sæviente Herode interfectos in veteri sarcophago expressos fuisse ait Aringus, ejusdemque sarcophagi typum ob oculos ponit (*h*).

VIII. Christum *in medio doctorum, audientem, & interrogantem eos* (*) fortasse exhibet Junii Bassi sarcophagus (*i*): repræsentant quoque picturæ quædam vetusti Cœmeterii, quas non præterit idem Aringus (*k*).

IX. Joannes baptizans turbas (*l*) exprimitur in eo sarcophago, quem describit Aringus lib. 4. cap. 47. (*m*). Baptizans vero Christum repræsentatur in iis locis, quæ capite 26. dixi. His, si vis, adde imaginem agni in Jordane se se immergentis, quæ in Junii Bassi sarcophago expressa est (*n*), eam quoque hujusce historiæ imaginem, quæ in vetusta Pontificia cathedra Ravennæ adhuc extat (*).

X. Christus Petrum, & Andream ex piscatione ad Apostolatum vocans (*) (Ciampino docente (*o*)) exprimitur in veteri Basilicæ *S. Apollinaris novi* musivo.

XI. Christum in nuptiis Canæ Galilææ vertentem aquam in vinum (*) exhibent sarcophagi ab Aringo descripti iis in locis, quæ in margine recenseo (*p*).

XII.

(*d*) li. 4. c. 42. pag. 353. to. 2.
(*e*) cap. 37., & 38.
(*f*) lib. 2. cap. 10. pag. 325. 327., & 331. & li. 3. ca. 22. pag. 563., & 587. to. 1. Rursus li. 4. c. 14. pag. 117., & cap. 18. pag. 143. to. 2. Ciampin. tom. 2. vet. mon. pag. 6. tab. 3. lit. G.
(*) Ciampi. to. 1. mon. tab. 49. pag. 200., & 208. §. *secunda vero pars*.
(*g*) cap. 2. Vitæ S. Agnelli. pag. 114. par. 1. to. 2. *rer. Italica*. Ciamp. to. 2. vet. mon. tab. 27. pag. 96.
(*h*) li. 4. ca. 25. pag. 161. to. 2.
[*] Luc. 2. 46.
(*i*) lib. 2. cap. 10. pag. 277. to. 1.
(*k*) li. 3. cap. 22. pag. 529. to. 1. & li. 4. cap. 37. pag. 195. to. 2.
(*l*) Joan. 1. 26. &c.
(*m*) pag. 305. to. 2.
(*n*) Recole hic verba Bonarotæ, quæ ca. 47. §. 1. annota. 19. attulimus.
[*] Consule appendicem Agnelli Ravennatis pag. 215. Tab. F.
(*) Matth. 4. 18.
(*o*) to. 2. vet. mon. cap. 12. tab 27. 1. 11.
(*) Joan. 2. 3. &c.
(*p*) cap. 10. libri 2. pag. 28.. & 31.. Et cap. 22. libri 3. pag. 613. 615. 621., & 623. to. 1.

XII. Centurio deprecans pro puero suo [q] fortasse exhibetur in eo cubiculo, quod pag. 557. tom. 1. refert Aringus.

XIII. Excitatũ a mortuis filiũ viduæ Naï (r) (aliquorũ judicio) indicant duo Sarcophagi ab Aringo descripti. (s). Sed & sunt, qui putent, eundem filium a mortuis excitatum, illiusque matrem ante Christum prostratos, illique gratias agentes expressos conspici in media fronte Sarcophagorũ illorũ, quos margo indicat (t).

XIV. Paralyticus sanitati ab eodem Christo restitutus (u) sæpissime occurrit. Illum fragmenta vitrea in cœmeteriis reperta, illum musiva Basilicarum, illum denique referunt cubicula cœmeteriorum. Ecce tibi eorum, quæ dixi, exempla aliqua: cuncta enim recensere nimis operosum foret. Consule imaginem, seu figuram 1. & 11. tabulæ IX. Bonarotæ, eaque, quæ Vir eximius ad eas adnotat (x). Consule quoque eas Basilicas, eos Sarcophagos, & cœmeteriorum cubicula, quæ in margine doceo (*).

XV. Christus ferum illum Dæmoniacum, *qui domicilium habebat in monumentis* (y) liberans, (Ciampino judice (z)) in vetusto Basilicæ S. Apollinaris musivo exprimitur.

XVI. Matthæus teloniũ relinquens (Ciampini quidẽ sententia) in vetusto Basilicæ S. Apollinaris musivo expressus conspicitur (a).

XVII. Hæmorrhoissa porro Christi munere a vetusta ægritudine liberata (*), cum sæpe alibi, tum certe in iis exprimitur locis, quos illustrat Aringus (b). Ab Ambrosio, eandem historiam fuisse in Ambrosiana Basilica expressam, versiculo hoc discimus.

Fœmina quæ immundum miratur stare cruorem.

XVIII. Duo cæci visum a Christo Domino recipientes (c) repræsentat Sarcophagus descriptus pag. 329. tom. 1. Aringhi (d).

XIX. Samaritana Christum alloquens (e) conspicitur in iis monumentis, quæ in marginem conjeci (f).

XX. Refectas grandi miraculo, a Christo, turbas (*) repræsentant vitrea fragmenta tab. VII. (g) & VIII. Bonarotæ: repræsentant quoque Sarcophagi, & cœmeteriorum cubicula ab Aringo descripta, & in margine commemorata (h): nec prætereas volo, quæ ea de re tradit Agnellus Ravennas (i).

XXI.

(q) Luc. 7. 2. &c.
(r) Luc. 7. 12.
(s) lib. 3. cap. 22. pag. 621. to. 1. & li. 4. c. 47. pag. 395. t. 2.
(t) pag. 299. 301. & 307. to. 1. Aring.
[u] Matth. 9. 2. &c.
(x) pag. 58. & 59.
(*) Ciamp. tom. 2. vete. moni. tab. 27. pag. 96. n. 1. Aring. li. 2. ca. 10. pag. 315. 325. 329. 333. & li. 3. cap. 3. pag. 427. Rursus ca. 22. ejusdem libri 541. 621., & 623.
(y) Marci 5. 2. &c.
[z] to. 2. vet. mon. cap. 12. pag. 97. tab. 27. n. 2.
(a) to. 2. vet. moni. cap. 12. tab. 27. pag. 96. n. 5.
(*) Matth. 9. 20. Marc. 5. 25. Luc. 8. 43.
(b) lib. 2. cap. 10. pag. 289. 293. 329. & lib. 3. cap. 22. pag. 613. 615. & 623. to. 1.
(c) Matth. 9. 27. & cap. 20. v. 30.
[d] li. 2. cap. 10.
(e) Joan. 4. 7. &c.
(f) Ciamp. to. 2. vet. mon. cap. 12. tab. 27. n. 8. pag. 96. Aring. lib. 2. cap. 10. pag. 297. li. 3. ca. 2. pag. 553. to. 1.
(*) Matth. 14. 17. rursus ca. 15. v. 33. demum cap. 16. v. 9. &c.
(g) imagine, seu figura 3. Tab. VII. & duo priora Tab. VIII.
(h)

XX. Petrus *ambulans super aquas, ut veniret ad Jesum* (k) exprimitur in veteri gemma, quam describit Aringus (*l*).

XXII. Mulier manum Christi osculans (Chananæa scilicet de qua sermo est Matthæi 15. v. 22. & sequen. nisi nos fallit Aringhii suspicio) mulier, inquam, Christi manum osculans in vetusto Vaticano Sarcophago repræsentatur. Illius typum idem Aringus tradit (*m*).

XXIII. Cæcum oculorum lumini a Christo restitutũ (*n*) exhibet vetustus Sarcophagus a Bonarota descriptus, (*o*) exhibent quoque ii Sarcophagi, & cœmeteriorum cubicula, quæ margo recenset (*).

XXIV. Christum pollicentẽ Petro claves cælorum (*) (Aringo judice) exhibet quædam portio Sarcophagi, quem idem Aringus illustrat (*).

XXV. *Quum transfiguratus est Jesus* (*p*) *ante eos* (*q*), expressus est etiam. Id nos manifesto docent ii Ambrosii versus.

Majestate sua rutilans sapientia vibrat,
Discipulisque suis, si possint cernere, monstrat.

Num vero vetus musivum Basilicæ S. Apollinaris a Ciampino expressum (*r*) eandem evangelicæ historiæ partem referat, an non, Lector judicet.

XXVI. Christum pueris manus imponentem (*ſ*) proponunt ii Sarcophagi, & cœmeteriorum cubicula, quæ ex Aringo in margine describo (*t*).

XXVII. Zachæus Sycomorum ascendens, ut Christum intueretur (*), [Aringo judice] occurrit in vetusto Sarcophago ab eodem Aringo illustrato (*u*). Ambrosii quoque jussu fuisse pictum, versiculus hic plane indicat.

Zacheus in ramo est rapti jam prodigus auri.

XXVIII. Christum, qui Lazarum ad vitam revocet (*x*), habent plurima fragmenta vitrea in cœmeteriis reperta, (*y*) habent pariter veteres Christianorum sarcophagi, habent denique cubicula cœmeteriorum, & Basilicarum musiva. Loca in margine invenies [*z*].

XXIX. Num Martha Deo gratias agens, quod Lazarum ad vitã revocaverit, in iis Sarcophagis, quos pag. 319. & 621. to. 1. recenset Aringus, exprimatur, an non, judicet Lector: cui etiam judicandum relinquo, num in affini sarcophago Martha, & soror illius gratias agen-

(*h*) lib. 2. cap. 10. pag. 289. 297. 313. 323. 325. 331. & li. 3. cap. 3. pag. 429. Rursus li. 3. ca. 22. pag. 575. 613. 615. & 623. to. 1.

(*i*) in Vit. S. Neonis cap. 1. pag. 58.

(*k*) Matth. 14. 29.

[*l*] li. 5. ca. 9 pag. 475. to. 2.

[*m*] lib. 2. cap. 10. pag. 297. Ostentat similem pag. 335. to. 1.

(*n*) Marc. 8. 22. rursus cap 10. 46. Denique Joannis 9.

(*o*) pag. 1.

[*] lib. 1. cap. 10. pag. 289. 313. 333. & li. 3. cap. 3. pag. 427. Rursus lib. 3. cap. 22. pag. 557. 613. 621.

[*] Matth. 16. 19.

(*) li. 2. cap. 10. pag. 293. to. 1.

(*p*) Matthæi 17. 1. Marc. 9. 1.

[*q*] Petrum, Jacobum, & Joannem.

(*r*) to. 2. vet. mon. cap. 11. tab. 24. pag. 81.

(*ſ*) Matth. 19. 13. Marc. 10. 13. Luc. 18. 15. &c.

(*t*) li. 2. ca. 10. pag. 293. Lib. 3. ca. 22. pag. 575. to. 1.

[*] Luc. 10. 2. &c.

(*u*) lib. 2. cap. 10. pag. 295.

(*x*) Joan. 11. 43.

(*y*) Consule tria illa vitrea fragmenta, quæ tabula VII. vol-

tes ob Lazarum e morte excitatum, an aliud quidpiam repræſentetur.

XXX. Mitiſſimum Chriſti Hieroſolymam ingredientis triumphum (*) intuentium oculis ſubiiciunt; nonnulli ſarcophagi, quos in margine lege (a).

XXXI. Cœnam illam, in qua Chriſtus Dominus Sanctiſſimam Euchariſtiam inſtituit, procul dubio interdum coloribus expreſſere. Id haud dubie aſſequimur ex iis Ambroſii verſibus:

Aſpice Joannem recubantem in pectore Chriſti,
Unde Deum Verbum aſſumpſit pietate fateri.

His ea adjunge, quæ deinceps ex epiſtola Gregorii II. ad Leonem Iſauricum allegabimus (*).

XXXII. Num Chriſtum in horto comprehenſum [*] indicent ii Sarcophagi & cœmeteriorum cubicula, quibus alii Joſephum, alii Petrum in carcerem conjiciendum exprimi putant, difficilis ad derimendum quæſtio eſt. Vide quæ capite ſuperiore (*) indicavimus, loca. Sed expreſſiſſime Chriſtum in horto captum ad tribunalia mox pertrahendum mihi videre videor in Junii Baſſi Sarcophago (b); in alio item in Vaticano reperto (c).

XXXIII. Eundem porro Chriſtum ad Pontificum tribunal deductum (d) pag. 299. to. 1. Aringhii expreſſum invenies.

XXXIV. Petrum ſe ſe calefacientem, & a militibus, an Chriſtum noſſet, interrogatum, (e) referri putat Aringus in eo ſarcophago, quem ille lib. 4. capite 47. [f] deſcribit. Sed Joſephum Patriarcham proxime in carcerem conjiciendum ibi referri alii putant. De qua quidem re cenſeat quiſque quod libet.

XXXV. Chriſtum a Petro negatum [g], aut certe Petrum a Chriſto monitum, ab iſto ſe fore negandũ, (h) ſæpe habent vetuſti ſarcophagi. Aliquos in margine indicatos invenies (i).

XXXVI. Nec omiſere fideles veteres, quin Chriſtum ad Pilati tribunal deductum (*) in marmore referrent. Vide loca in marginem rejecta (*).

XXXVII. Num Chriſtum Cruci affixum priſci Chriſtiani pingere ſolerent, & marmore, ſeu ære, aut ligno exprimere, dubitatur a multis. Qui affirmant, his primum conjecturis innituntur.

collocat, explicationesque quibus eadẽ illuſtrat Bonarota pag. 40. & ſubſeq.
(z) lib. 2. cap. 10. pag. 313. 323. 325. 335. & lib. 3. ca. 3. pag. 427. ca. 22 pag. 547. 565. 575. 613. & 623. to. 1. Ciampi. to. 2. vet. monu. cap. 12. tab. 27. pag. 96. n. 7.
(*) Matth. 21. 7. & c.
(a) li. 2. ca. 10. pag. 277. & 295. 329. 331., & 623. to. 1.
(*) Sacerdotes in orbem circumſtantes, & myſticam cœnam &c.
(*) Matth. 26. 47.
(*) §. 26.
(b) n. 4. partis ſuperioris.
(c) lib. 2. cap. 10. pag. 321. t. 1. Aring.
(d) li. 2. ca. 10.
(e) Joan. 18. 25.
(f) pag. 399. to. 2.
(g) Matth. 26. 70.
(h) Matth. 26. 34.
(i) lib. 2. cap. 10. pag. 293. 297. & 310. Rurſus li. 3. cap. 22. pag. 613. & 623.
(*) Matth. 27. 2.
(*) li. 2. ca. 10. pag. 277. rurſus pag. 295. 299. 317. 321. to. 1.

tuntur. Quid ad excitandam in nobis pietatem, & grati animi sensus fingi aptius poterit ea imagine, qua exprimitur Christus redimendi hominis causâ acerbissimam, ac turpissimam mortem ferens? Hanc itaque præ ceteris omnibus a veteribus Christianis formatam, & ad venerandum fuisse propositam, conjicere merito possumus. Innituntur quoque vetustis ipsis monumentis, ideoque (uti dicere Juridici solent) *facto ipso*. Atque hic statim commemorant celebratissimam illam Christi cruci affixi a Nicodemo, uti vetusta traditio ferebat, formatam, tum Berithi servatam imaginem, deinceps vero pessime a Judæis habitam, demum miraculis multis, per quæ iidem Judæi conversi ad fidem fuere, mirum in modum glorificatam. Cui quidem imagini alias jungunt mirabili antiquitate celebratissimas; de quibus quidem in peculiari libello satis egit Curtius (*), & paucis Aringus (k). Id ipsum quoque comprobare videntur ex Christi cruci affixi imagines, quas in vetustis cœmeteriis repertas typis evulgavit idē Aringus (l). Hæc demum concludunt auctoritate vetustissimorum Patrum, qui aperte testantur, eo, quo ipsi videbant tempore, imaginem Christi cruci affixi fuisse palam intuentium oculis propositam. Ex his unum Lactantium afferre præstat, vetustum sane, & valde probabilem scriptorem, qui in carmine *de passione* hæc Christum loquentem inducit.

Nunc me, nunc vero desertum, extrema secutum
Supplicia, & dulci procul a genitrice levatum
Vertice ad usque pedes me lustra: en aspice crines
Sanguine concretos, & sanguinolenta sub ipsis
Colla comis, spinisque caput crudelibus haustum,
Undique diva pluens vivum super ora cruorem.
Compressos speculare oculos, & luce carentes,
Afflictasque genas, arentem suspice linguam
Felle venenatam, & pallentes funere vultus.
Cerne manus clavis fixas, tractosque lacertos,
Atque ingens lateris vulnus; cerne inde fluorem
Sanguineum, fossosque pedes, artusque cruentos.
Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora &c.

XXXVIII. At hæc contemnunt plerique ex Criticorū grege Theologi; (*) atque animo (ut ajunt, quatuor) nisi val-

(*) *de clavis Domini* cap. 5. pag. 39. & 44. &c. Lug. Batav. an. 1695.

[k] to. 2. pag. 407. Didici etiā ex Clar. Antonio *a Monacho* (*del culto asinino* pag. 130.) in Græcis Actis *S. Januarii* mentionē fieri imaginis Christi cruci affixi.

(l) tab. 2. cubiculi unici cœmeterii S. Julii Papæ li. 4. cap. 42. pag. 255.

[*] Casalius *de veteribus Christianorū ritibus* parc. 1. cap. 1. pag. 2. Aring. li. 5. cap. 10. pag. 478. & libro 6. cap. 20. pag. 557. to. 2. Tillemont, &c.

de probabili ratione decipimur) quatuor, inquam, prioribus Ecclesiæ seculis minime consuevisse Fideles Christum in humanâ ipsâ naturâ expressum Cruci affixum efformare; aut si efformarunt, minime sane consuevisse in Ecclesiis, locisque publicis ad intuendum, venerandumque proponere: Constat id, inquiunt, inductione. Etenim si cunctas recenseas vetustiores sacras imagines, quæque commode ad quatuor priora Ecclesiæ secula referri possunt, nullam plane invenies, quæ Christum cruci affixum in humanâ ipsâ naturâ expressum repræsentet, sed vel sub Crucis (m), vel sub agni (n) in Crucis medio, aut in inferiori ejusdem Crucis parte positi, & veluti occisi, radiisque ut plurimum coronati specie, ac symbolo exhibent: stel si humanam Christi naturam cum Cruce referunt, ita referunt, ut cruci minime affixus sit, sed eandem crucem brachio, aut manu gestet, gemmatam illam quidem, & si loqui ita vis, victricem, ac gloriosam (o).

XXXIX Propterea verò (ut conjicimus) hæ species selectæ fuere a Christianis, ut crucē non amplius depressam, ac conculcatam, sed victricē, ac triumphantē Gentilibus objicerent. Ideo vero id cavere Fideles veteres, ne Christum insanæ plebis ludibriis expositum, atque a Prætorianis irrisum repræsentarent: non quo eos Christi contumelias pro *nobis passi* puderet, sed quod Gentilibus, qui deorum suorum grandibus gestis, & inani fastu tumebant, Christi gloriam objicere conveniens putarent; adeo ut testarentur, se Christum illum sequi, qui olim ab hominibus *humiliatus*, a cælesti Patre ita exaltatus est, ut ante illius Crucem *cælestium*, *terrestrium*, & *infernorum genua flecterentur* (p).

XL. Non me latet, putasse aliquos, idcirco vetustissimos Christianos a Christi cruci affixi imaginibus efformandis abstinuisse, ne ipsius Christi nuditatem, qualem in Cruce passus est, Paganorum contemptui exponerent; eâque ob causam minime repræsentasse illum humanâ ipsâ formâ resurgentem, & ascendentem ad cælos [exprimi enī nudus debuisset) : sed hæc mysteria symbolis expressisse. Hinc quum cœperunt humana ipsa specie Christum Cruci affixum pingere, non nudum quidem eundem Christum, sed veste quadam contectum, expresserunt: quod qui

(m) Vide caput 49.

(n) Vide caput 47.

(o) Vide li. 2. Aringhii cap. 10. pag. 281. 311. 321., & cap. 22. pag. 381. 385. to. 1. & alibi sæpe. Ciampi. quoque vete. moni. t. 2. c.8. tab. 17. pag. 63. cap. 9. tab. 20. pag. 60. tab. 21. pag. 71. tab. 23. pag. 73. ca. 11. tab. 23. pag. 81. cap. 16. tab. 32. pag. 112. &c. Casalium *de veteri. Christian. riti.* part. 1. cap. 12. Adde denique quæ ex Eusebio cap. 49. §. 16. attulimus. Præstabit etiam et consulere, quæ lib. 6. cap. 14. pag. 544. to. 2. tradit Aringus.

(p) Philip. 2. 8. 9., & 10. Vide quæ tradit Aringus lib. 6. cap. 14. pag. 544. to. 2.

quidem ex antiquioribus Christi cruci affixi imaginibus constat, veluti iis, quas referunt Curtius [*], & Aringus (q). Docet autem Gregorius Turonicus (*) id aliquando a Christo ipso fuisse præscriptum.

XLI. Sed sive hæc, sive priores illæ rationes impulerint veteres, ut ad exprimendum Christum Cruci affixum, atque adeo resurgentem, & ascendentem ad Cælos, symbolis uterentur, constare videtur sane, tribus prioribus Ecclesiæ seculis in humana ipsa specie Christum è cruce pendentem minime fuisse expressum.

XLII. Ne quem vero scrupulum cuipiam injiciant argumenta illa, quibus prior opinio innititur, sic ea statim dissolvunt. Aptissimus est quidem Christi Cruci affixi aspectus ad excitandos in nobis pietatis, & grati animi sensus, & ideo nunc passim utimur; at eodē aspectu abuti poterant Gentiles, & Judæi (*) ad contumeliā Christi. Propterea ne Christo dedecori id verteretur, eo comodo Fideles carere maluerunt: (si tamen caruere, nam per occultiora quædam symbola hanc Evangelicæ historiæ partem exprimentes, per ea excitari ad virtutes facile poterant.)

XLIII. Tā etsi porro aliquæ ex iis, quæ Jesum Christū cruci affixum exprimunt imagines, ad ipsa Christi tempora ab aliquibus referantur, & earum auctores fiant Nicodemus, Lucas Evangelista, (*) aut alius quispiam horum æqualis, minus antiquæ putantur à Criticis. Vetustæ sunt tamen, & quinto, aut sexto fortasse seculo Fidelium cura formatæ.

XLIV. Veniamus ad tributū Lactātio carmē. Dignum enī vero videtur carmē illud Lactātio: nitidom scilicet est, atque elegans. Sed propterea hoc ipsum carmen veterūr Lactantio tribuere Tillemont, quod allegatos versiculos comprehendat (*): adeo persuasum eidem Tillemontio fuit, eo, quo vixit Lactantius tempore, minime consuevisse Fideles Christum Dominum in ipsa hominis forma Cruci affixū exprimere, & palā ad venerandū proponere.

XLV. Græca porro Acta S. Januarii in margine allegata negligi merentur ut pote spuria. Eadē his quidē hactenus. Lector per se ipse judicet. Reliquas prosequamur historias.

XLVI. Cælos latroni illi, qui Christum in Cruce confessus fuerat, apertos exprimebat pictura illa in Romana basilica a Cōstantino M. erecta, cujus meminere Romani Pōtificis legati in Concilio II. Nicæ residentes, quorum quidem verba alibi retuli (r). XLVII.

(*) pag. 56.

(q) lib. 4. cap. 42. pag. 355. to. 2. Additur à nonnullis ea Christi è cruce pendentis imago, quæ Lucæ servatur: (pag. 30.) horum enī opinione ad seculi VI. initium referenda est: Addi etiam possunt ex quarum meminit Ruinart ad mox allegandum Gregorii Turonici locum.

(*) de mirac. seu de glor. Martyr. c. 22.

(*) Greg. Turon. Mira. seu de glor. Mar. cap. 22.

(*) Curtius de clavis Domini. pag. 39. & 44.

(*) Recole verba Tillemont allegata in margine 6. capitis 58.

(r) cap. 52. 9. CL

XLVII. Reliquas Historias post Christi resurrectionem, tam etsi a sacris scriptoribus diligenter descriptas, perraro expressas invenio, nisi si spectare huc putes Christum discipulos alloquentem: tum enim hujusce rei exempla non pauca tibi præbebunt veteres sarcophagi, & cœmeteriorum cubicula. (*) Aliquæ tamen expresæ sunt. Desumptam sane ex Actis Apostolorum historiam in Africa, ideoque in Ecclesia latinos mores servante, fuisse coloribus expressam prodidit Augustinus, dum hæc ait (s): *Dulcissima pictura esse hæc, ubi videtis S. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem &c.* Eã etiam historiam quam caput xi. libri Actuum Apostolorum (t) narrat in Basilica Ravennæ a S. Neone erecta fuisse expressam (u) minime dubito. Seniores etiam submittentes Christo coronas suas, (quod in Apocalypsi (x) traditur) in veteribus musivis a Ciampino descriptis occurrunt [y]. Quid etiam in vetustissimo Junii Bassi Sarcophago exprimi videtur Petrus, dum in carcerem ducebatur (z). Evangelicas etiã parabolas fuisse interdum a veteribus Christianis coloribus, aut marmore expressas, evinci boni Pastoris effigies toties in cœmeteriis, & in templis repetita. Sed notissimam quinque Virginum parabolam in cœmeteriali cubiculo pictam fuisse, testatur Aringus (a), ad quem quidem Lectorem allego.

XLVIII. At eas ipsas historias, quas fortasse non admodum frequentes apud vetustissimos Christianos fuisse dixi, subsequentia sæcula, vetusta illa quoque, procul dubio, expressere. Non hic repeto, quid ex Nilo alibi dixi (*), & quæ, si vis, recolere hic facile potes. Sed me continere non possũ, quin in margine ea indicem, quæ in appendice Agnelli Ravennatis a præclarissimo Viro edita nuper inspexi (b): expressus quippe cernitur Christus jam e mortuis excitatus *cum discipulis convescens* (c). Quid quod Gregorii II. (prisci sane Pontificis) verba hæc vulgatissima sunt? (d) „ Ecquis enim non compungitur, & luget, similiter intuens & vasa lavacri (e), & Sacerdotes (f) in orbem circumstantes, & mysticam cœnam, ... montis Thabor transfigurationem, & crucifixionem Christi, sepulturam ejus, & resurrectionem, sanctam ascensionem, & Spiritus Sancti descensum. „ Atque hæc ipsa quidem, quorum postremo loco memini,

mors

(s) n. 5. sermonis olim 94. *de diversis*, in nova serie 315.

(t) v. 11. & seq.

(u) Agnell. in vita S. Neonis cap. 1. pag. 58. & 59. par. 1. to. 2. *Rer. Ital.*

(x) 4. 10.

(y) to. 2. vet. mon. cap. 22. tab. 41. pag. 134. & rursus cap. 25. tab. 46. pag. 147.

(z) lib. 2. cap. 10. pag. 277.

(a) lib. 4. cap. 27. pag. 199. to. 2.

(*) cap. 52. §. 5.

[b] par. 1. to. 2. *rer. italic.* pag. 215. Tab. f.

(c) Luc. 24. 43. Acto. 1. 4.

(d) episto. 1. ad Leon. Isau. pag. 659. to. 8. Concilio.

(e) ea quæ narrantur a Joãne Evangelista c. 13. v. 12. hic quidem indicari arbitror.

(f) idest Apostolos in cœna accumbentes.

mors quoque, & assumptio Virginis Deiparæ in cælos, exhibentur in vetustioribus æneis S. Pauli extra portum Hostiensem valvis (g): in æneis pariter Pisanæ Basilicæ januis (h): in iis denique, quibus Beneventana Basilica ornatur (i).

XLIX. Alias in sacris scripturis descriptas historias expressere fortasse Christiani; at vel eas non admodum crebras fuisse dicendum est, vel temporis edacitas nobis abstulit. Periere sane plurimæ Basilicæ veteres: plurimæ etiam inter eas, quæ supersunt, dum repararentur, picturas amisere: interdum etiam amisere, quod nonnulli putarent venustiores easdem Basilicas apparerent si parietibus candida calx superinduceretur, ideoque picturas obtegeret. Infelix persuasio, quæ nostra ipsa ætate antiquissimas, easque a probatissimis pictoribus olim elaboratas imagines Bononiæ eripuit! Sed nos ad alia properemus.

(g) Ciampi. to. 1. vet. mon. cap. 4. tab. 18.

(h) ibidem cap. 6. tab. 20. pag. 47.

(i) Ciampi. to. 2. vet. mon. tab. 9. cap. 5. pag. 26.

CAP.

De Virginis Deiparæ imaginibus, ac speciatim de iis, quæ a D. Luca pictæ esse dicuntur.

CONquesti sunt, ut sæpe audivi, non pauci, quod ego de Christi imaginibus, earumque vetustate differens, eas præterierim, quæ a S. Luca Evangelista picta dicuntur; meque inter eos statim recensuerunt, qui Lucæ cuipiam, Sancto, si vis, & si cum nostra præsertim ætate compares, fortasse vetusto, nonnihil tamen ab Apostolorum temporibus remoto easdem imagines tribuerunt. At præpropere; & temere, ut deinceps ostendam, ex meo silentio hanc meam esse opinionem conjecerunt. Ideo porro superioribus prælectionibus de hisce imaginibus agere omisi, quòd aptior mihi videretur hic locus, in quo de iis disputarem. Tametsi enim Christum referant eæ imagines (quatenus in iis exprimitur Virgo Mater eundem Christum sinu complexa) Mariæ tamen videntur potius eæ imagines esse, quàm Christi, qui puerulus adhuc in iis exprimitur; cum Maria adulta jam, & ut ejusdem Christi mater, repræsentetur. Consentaneum porro est, ut postquam de Christi imaginibus differuimus, ad Mariæ imagines descendamus, deque iis non perfunctoriam tractationem instituamus. Quamquam si quis ad seperiorem disputationem pertinere velit eam lucubrationum nostrarum partem, quæ de Mariæ imaginibus a S. Luca pictis differit, huic minime obsistam, mihique satis est, si fateatur, hoc etiam loco posse apte de iis disputari. Acris vero

&

& perdifficilis quaestio haec est, quaeque Catholicos ipsos in varias opiniones divisit. Scilicet ab ipso Evangelista Luca harū aliquā fuisse pictā viri etiam docti non pauci putant (a), *idque ad commendationē Sacrarum imaginum plurimum conducere ajunt. Quibus tamen aut obsistunt, aut obsistere videntur alii* [b], *monentque id minime probari ab iis posse, qui Apostolo Paulo obsecuti* [c], *vulgi opiniones omnes expendunt, & tum amplectuntur, quum veterum Scriptorum auctoritate suffultas vident. Ego vero, qui in id potissimum intendo, ut nihil inconsulto excipiam, nihil temere rejiciam, ea primum hic referam argumenta, quibus Viri doctissimi adducti sunt ad credendum, aliquam Deiparae imaginem a D. Luca Evangelista fuisse pictam: tum ea recensebo, quibus alii aeque docti moventur, ut putent, id alienissimum esse a vero. Addam etiam solutiones, quas primis illis argumentis adhibent. Quarto exponam solutionem argumentorum, quibus rigidior, seu negans sententia innititur: tum defensionem argumentorū, quibus prior opinio fidit, subjiciam. Dicam denique quid ego sentiam.*

(a) omnes fere veteres, & XVI. seculi Theologi, quos omnes referre supervacaneum est. Eminent Canisius, Gretserus, Brunus, aliique magni nominis viri. Adde Mallonium, Baronium &c. Inter recentiores adsunt Sandinus *in historia Apostolica* pag. 287. Cardin. Gotti *de vera Eccles.* to. 2. par. 2. ar. 16. *de vene. sacra. imagi.* §. 25. n. 87.

(b) Tillemont to. 2. histo. Eccles. *de Luca Evangelista* pag. 137. editi. venet. Bollan. Ephe. Graeco. Moscae Mart. tom. 1. pag. XXXVI. *in Lucam*. Serry exerci. 47. §. 8. & seq. Lami *Charin. & Hippo. bodoe. par. 2. pag.* 544. Foggin. exerci. 20. pag. 454. aliique etiam.

(c) *Cuncta probate: quod bonum est, tenete.* 1. Thessa. 5. 21.

CAP. LIV.

Ea referuntur argumenta, quibus Viri doctissimi adducti sunt ad credendum, aliquam Deiparæ imaginem a D. Luca Evangelista fuisse pictam.

I. NEc vetustis, nec probatis sane fautoribus destituitur doctorum sententia, qui censent, aliquam Deiparæ imaginem a S. Luca Evangelista fuisse pictam. An vetustum scriptorem esse negabis Theodorum Lectorem? Tamen hic [a] apertissime tradidit, *Eudoxiam ab Urbe Hierosolymitana ad Pulcheriam misisse imaginem Matris Domini, quam Lucas Apostolus depinxerat.* Id quoque docent Glycas, Cantacuzenus, Theophanes Cerameus, & Nicephori duo, Gregoras scilicet, & Calixtus, Ephemerides Græco-moscæ (*), Menæa quoque, aliique Scriptores, quorum testimonia deinceps allegabimus.

II. Præclarus (b) quoque locus est Actorum S. Stephani Junioris: Nempe, si antiqua lectio tibi placet, hic Imperatorem Leonem Isauricum alloquens inducitur Germanus Constantinopolitanus Patriarcha. *Domini ab Evangelista Luca picta est. Quin ab Hierosolymis quoque Dei Genitricis imago missa est.* Si vero eam interpretationem sequeris, quam Patres S. Mauri proponunt (c), his verbis Germanus Patriarcha Imperatorem allocutus fuisse dicitur: *Ut & illa castissimæ Deiparæ imago, quam a Luca Evangelista depictam, Ierosolymis ad Theophilum missam fuisse memoriæ proditum est.*

III. Eodem quoque spectare id videtur, quod edocemur in vita Theodori Studitæ: his enim verbis idem Theodorus Leonem Armenum tum Græcis imperantem compellasse traditur. (d) *Lucas vero, qui sacrum composuit Evangelium, cum Domini pinxisset imaginem, pulcherrimum, & plurimi faciendum opus posteris reliquit.* Quamquam vero solius imaginis Domini meminit hic Theo-

(a) in ipso libri primi initio, Valesio interprete.

(*) Bolland. to. 1. Maii, pag. xxxvi. in Lucam 18. Octob.

(b) cap. 3. apud Surium 18. Novemb.

(c) to. 1. analect. græcó. in vita S. Stephani Junioris, pag. 395. interprete, Domno Jacobo Loppin: sed hæc, quæ allego, verba reperies pag. 413.

(d) Tom. v. Operum Sirmondi n. 69. Vitæ Theodori Studitæ pag. 34.

dorus, id propterea factum arbitror, vel quia de Domini imagine potissimum tum agebatur (Domini autem imaginem referebat puer in Mariæ sinu positus) vel etiam quia Mariæ quoque imaginem apertissime innuere videtur, dum utitur verbo ἱστορήσας ἐν τῷ κυρίου γραφῆς ἱκανά; quid enim aliud id est, nisi Domini Jesu historiam exprimere? Quinam vero præstantior, & indoctorum præsertim hominum eruditioni aptior repræsentandæ incarnationis modus est, quàm Virginem Deiparam exhibere, quæ Dominum Jesum brachiis complectatur, aut sinu?

IV. Neque omittenda est præclarissimorum Latinorum auctoritas. Ex his porro eos proferam, quos doctissimos esse fateberis, neque eos dicere audebis, ut puto, aut græcarum fabularum amicos, aut minus cautos, ut Orientalium persuasiones minime expenderent. Atque ex eorum quidē testimoniis manifesto intelliges, eos quos præcipuos habuere latini doctores, pro eadem opinione stetisse. Præeat Innocentius III. (e) quippe qui meminit *iconis, in qua B. Lucas Evangelista imaginem beatæ Virginis propriis manibus dicitur depinxisse; quam, ob ipsius Virginis reverentiam, tota Græcia veneratur.*

V. Subsequitur D. Thomas hæc tradens (f). *Ad quartum dicendum, quod Apostoli familiari instinctu Spiritus sancti quædam Ecclesiis tradiderunt servanda, quæ non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiæ . . . . & inter hujus modi traditiones est imaginum Christi adoratio. Unde & Beatus Lucas dicitur depinxisse Christi imaginem, quæ Romæ habetur.*

VI. Similiter S. Bonaventura (g) id ipsum his verbis prædicat. *Et iterum accepimus, Lucam Evangelistam depinxisse Dominum, & Matrem Domini. Et sic patet, quod non sunt novæ adinventiones in hujus modi imaginibus, sed divinæ traditiones, & Apostolicæ sanctiones.*

VII. His adjunge, præter Robertum Holchot, quem mox allegabimus, Andream Dandulum (*), non Theologum illum quidem, sed quod ad rem nostram facit, diligentem, cautumque scriptorem: quod etiam didici ex præstantissimo Bernardo Rubeo, qui ejus auctoritate sæpissime utitur. En laudati scriptoris verba:

Kk 2 Sequen-

(e) epistola 192. libri XI. Siquidem eã allego, quia sic eam allegat Rinaldus, ex cujus to. 1. (pag. 171. & 172. ad an. 1207.) eam desumo.

(f) *de Salvatore* quæst. 25. ar. 3. ad 4.

[g] in tertium distinctione IX. quæst. 2. in fine.

(*) in Chronico, quod habetur tomo XII. *rerum italicarum* li. 7. ca. 2. par. 9. pag. 131. Allegatur etiam Du-Cange 4. Constant. Christ. cap. 2. n. 24.

Sequenti anno Constantinopolitani Saracenis, qui de Ægypto, & Palæstina venerant, prælio fortiter restiterunt. Tandem de more S. Mariæ iconem ejus, quam S. Lucas, ipsa adhuc vivente, depinxit, accipientes, processionaliter illam deducunt, orantes, ut quæ toties in periculis juverat, nunc etiam opem ferret. Posita igitur icone super undas, statim procella surrexit, & omnes naves Saracenorum aut mersit, aut fregit. Dicta est autem Icon bodigistria (*) (*id est deductrix*) *quia duobus cæcis apparuit, & ad Ecclesiam deduxit, ibique eos illuminavit.* (b)

VIII. Quid quod ii omnes, qui se aliquã Deiparæ imaginẽ a D. Luca Evangelista pictã servare asseveraverũt, quãquã fortasse in peculiari sua persuasione erraverint, apertissime tamen ostenderunt, persuasos fuisse Fideles imaginẽ Deiparæ aliquam a D. Luca Evangelista fuisse pictam. Atqui raras invenies principes Italiæ Urbes, quæ imaginem hujus generis aliquam se habere non attestentur. Porro ea persuasio, quæ nemine obsistente jampridem omnium animos cepit, posseditque, valde probabilis, firmaque, oportet, sit, atque ad eam evellendam evidentia, atque inenodabilia argumenta afferri necesse est: aliàs pleraque hujus generis monumenta, quæ *traditione seniorum*, diuturnâque populorum persuasione innituntur, fide prorsus carebunt.

(*) Legit Du-cange *Digitria*.

(b) Hæc narratio cum ea convenit, quam in Triodio Græcorum legimus his verbis. *Sacer vero Urbis populus venerando vivificæ Crucis ligno, & sacra Deipara Hodegetria imagine adducti, mœnia cum lacrymis circumibat, Deum precibus obsecrans.*

CAP. LV.

Ea recensentur argumenta, quibus alii Theologi moventur, ut putent, alienissimam a vera esse eorum opinionem, qui ajunt, imaginem Deiparæ aliquam a S. Luca Evangelista fuisse pictam.

I. AT horum opinioni obsistunt alii non minus ingenio, quàm eruditione clarissimi, his rationũ momentis innixi. (*) Pingere non potuit Mariam Lucas Evangelista, & si forte pingere potuit, procul du-

(*) Vide annot. (b) ad præfa. præpositã capiti 34.

dubio non pinxit. Sic utraque propositionis pars ostenditur. An pingi potuit Maria a Luca Evangelista; quem sive Hebræum facias, sive ex Gentilitate conversum, omnino id non potuisse, manifestum fit? Etenim, si eum Hebræum fuisse existimas, pingere nequivit ille Mariam, cum pictura, & affines picturæ artes ab Hebræorum finibus severâ edictione exularent. Quanam ergo ratione exprimere illam potuit, pingendi nescius, impósque ab alio addiscere non admodum facilem facultatem? Quod si Gentilem, antequam Christianam fidem susciperet, fuisse ais, aliunde impeteris. Nimirum ii, qui eum Gentilem faciunt, tradunt etiam, diu post Christi mortem Christianam fidē, prædicante Apostolo Paulo, eum suscepisse, ideoque eo tempore, quo e vivis Maria excesserat. At hæc omittamus: ex argumentis aliis addiscimus, eum nequivisse Mariam pingere. Nonne Lucas individuus Pauli comes extitit, & in Apostolico ministerio jugiter occupatus? Unde ergo tantum illi otii superfuit, ut inanem imaginum numerum pingeret? Tamen inanem imaginum numerum pinxerit, oportet, si eas pinxit omnes, quas Lucæ Evangelistæ tribuit vulgus.

II. At age: fac potuisse ab eo Mariæ imaginē pingi. Procul dubio non pinxit. Nimirum, tametsi scriptura sacra sæpe meminerit Lucæ, pictorem tamen nunquam appellat, quum artem, quam profitebatur, describit. Quippe *medicum* fuisse ait. [*] Porro non omisisset præclarā hanc laudē, si omnīū primus Virginē Mariā, puerum Jesū sinu gestantem efformâsset: quippe id multo magis Lucam commendasset, quàm medicina, cui nihil affine est cum Religione Christiana. Quod si omisisset Scriptura, certe non omisissent scriptores ii, qui præclara Lucæ erga Christianam Religionem merita, & vetusta Ecclesiæ monumenta descripserunt. Tamen veteres omnes ea de re siluerunt: nam quod Theodorum Lectorem, aliosque Theodoro recentiores scriptores proferimus, aut temere fit, ut deinceps de Theodoro ostendetur; aut silentibus vetustioribus, minus apti illi sunt ad faciendam fidem. Et sane ipsas si intuearis imagines, quas putat vulgus a Luca Evangelista fuisse pictas, apertissime intelliges, Lucæ temporibus non fuisse eas factas: absunt quippe maxime ab elegantia, & nitore sæculi illius, quo vixit Lucas, barbariemque in-

(*) Colos. 4. 14.

indicant septimi, aut si vis, sexti, vel quinti sæculi. Coloribus quoque oleo dilutis earum aliquæ pictæ sunt, ideoque diu post sæculum Ecclesiæ undecimum, & nisi multorum opinio nos fallit, non ante decimum quartum. Præter quàm quod ante Concilium Ephesinum minime consueverunt Christiani Mariam Virginem, quæ manibus, aut gremio puerum Jesum gestaret, exprimere. Post Concilium vero illud, sic pingere coeperunt, ut vel imaginibus ipsis, & extantibus argumentis Nestorio maxime obsisterent, populosque in antiqua fide continerent. Eæ tamen imagines, quæ D. Lucæ adscribuntur, Virginem referunt, quæ puerũ Jesum gremio, aut manibus teneat. Varietas etiam ipsa harũ imaginum non leve argumentum est, quo persuadearis, ab Evangelista Luca non fuisse eas efformatas. Etenim, si unus effinxisset, eandem pariter expressisset, quam viderat, Virginis formam. Atqui eæ, quæ Lucæ Evangelistæ imagines adscribuntur, variæ sunt. At quamquam variæ, adolescentulam tamen fere referunt, aut certe fæminam viginti quinque annos vix superantem, puerumque complexam manibus. Qua sane specie Maria a S. Luca non fuisset picta; pinxisset enim qualem vidisset, ideoque multa jam ætate provectam. Quid? quod Augustinus, dum monet ignotam omnino esse Deiparæ faciem, manifesto significat, sua ætate inauditum fuisse id, quod postea apud credulum vulgus obtinuit fidem: extare scilicet imagines, quæ ex ea vivente expressæ sint. *Neque novimus* (inquit) (a) *faciem Virginis Mariæ, ex qua ille a Viro intactâ, neque in ipso partu corruptâ mirabiliter natus est . . . . Utrum autem illa facies Mariæ fuerit, quæ occurrerit animo, cum ista loquimur, aut recordamur, nec novimus omnino, nec credimus.*

(a) capite 4. aliàs n. 7. libri octavi *de Trinitate*.

III At inauditũ id erat etiã septimo, atque adeo octavo ipso Ecclesiæ sæculo. Cur enim Damascenus, Nicæni II. Patres, aliique Scriptores, quibus propositum erat animo, ut Iconoclastas monumentis, atque auctoritate primorum Ecclesiæ temporum refellerent, (quã ob causam testimonia undique, ne ipsis quidem apocryphis neglectis, collegerunt) nullius a D. Luca pictæ imaginis meminerunt, nisi quia nullam agnoverant?

Has

Has quoque imagines sibi eripi non permisissent Græci; quibus tamen minime invitis, in Italiam, in Siciliam, in Germaniam, & fortassis etiam in Gallias deductæ sunt. Ad hæc si animum advertissent ii, qui a Luca Evangelista pictas jactant eas, quas apud se servant, imagines, multo cautius locuti fuissent, neque tam putido mendacio vulgi auribus illusissent.

CAP. LVI.

Eæ referuntur solutiones, quas iis adhibent argumentis, quibus ii innituntur, qui aliquam Deiparæ imaginem ab Evangelista Luca pictam fuisse ajunt.

I. AT ad eorum revincendam persuasionem, qui putant, aliquam a Luca Evangelista Deiparæ imaginem fuisse pictam, nihil opportunius, nihil validius erit, aut efficacius, quam si ea argumenta expendantur, quibus ea opinio innititur. Tum scilicet manifesto constabit, levissima illa esse, ideoque minime apta ad obtinendam fidem. Levissima porro esse argumenta, quibus ea opinio innititur, ex eo liquet, quia si quis omnium primus rem hanc retulit, Theodorus Lector is fuit, ideoque historicus, qui centum, & amplius annis ab Eudoxiæ, & Pulcheriæ ætate abfuit. At age: dic, unde discis, id tradidisse Theodorum Lectorem? Nonne ex Nicephoro Callixto Xanthopuli filio, qui summa capita, seu (uti alii dici jubent) *excerpta*, & *Collectanea* Theodori Lectoris litteris consignavit? At quis ignorat, Nicephorum Callixtum, cujus auctoritate, deficientibus ipsis Theodori Lectoris libris, tantum innitimur, fallacem esse, menda-

da-

dacemque Scriptorem? Sane Theodori Lectoris historiam adhuc superstitem esse novimus ex indice librorũ Leonis Allatii: quippe numero 40. recensetur *Theodori Lectoris Ecclesiastica historia tripartita ex Socrate, Sozomeno, & Theodoreto libris duobus, qua innumera prope loca dictorum auctorum corriguntur*. At hæc de ea pronunciat Vir doctissimus Philippus Labbeus: (a) *Verum in ea non est, quod quis Collectanea jam edita requirat*. Temere itaque, quæ de Deiparæ imagine ab Eudoxia ad Pulcheriam missâ Nicephorus tradit, Theodoro Lectori tribuit, qui ea de re nihil scripsit, cum nihil de ea scripserint Socrates, Sozomenus, & Theodoretus, ex quorum libris suam ille confecit historiam.

(a) in alphabetica serie Scriptorum historiæ Bizantinæ. pag. 27. Tom. I. editio. Venetæ.

II. At minime mendacem fac esse Nicephorum: non continuo id, quod optas, assequeris. Duobus sane modis a mendacio Nicephorum excusabis. Vel scilicet si dicas, Nicephori Callixti temporibus invaluisse persuasionem, qua certo crederent Græci ab Evangelista Luca fuisse pictam eam imaginem, quam ad Pulcheriam misit Eudoxia: Nicephorus vero, dum illius imaginis Hierosolymâ Constantinopolim translationem describit, eidẽ opinioni, quæ ante eum invaluerat, adhærens, a Luca Evangelista pictam fuisse ait, ea in re excusatione dignus: quippe omnes eo, quo Nicephorus scribebat, sæculo, arbitrabantur a Luca Evangelista fuisse pictam. Potuit autem in Græcos facile credulos, & in sacris ipsis rebus nonnihil superbos hæc opinio sensim irrepere; item ut olim in Constantinopolitanos irrepserat persuasio, qua crederetur Pauli Apostoli corpus in ea servari Basilica, in qua Pauli Constantinopolitani Episcopi sanctitate præstantis depositũ fuerat corpus: (b) ideoque putare potuerunt ab Evangelista Luca fuisse pictã eã imaginẽ, quæ a Luca aliquo (probo cæteroqui viro) fuerat picta.

(b) Sozo. li. 7. cap. 10. Recole, si libet, ea quæ diss. 8. cap. 10. 4. diximus.

III. A mendacio quoque Nicephorus excusatur, si advertas, minime tradi a Nicephoro, dũ sũma historiæ a Theodoro editæ capita recenset, ab Evangelista Luca imaginem illam fuisse pictam, sed tantum tradi, ab Apostolo Luca fuisse pictam. Porro *Apostoli* nomen, præsertim apud Græcos, non modo ad duodecim illos, quos Christus nominavit *Apostolos*, aut etiam ad Evange-

geliſtas deſignandos olim adhibebatur, verum etiam ad eos omnes ſignificandos, qui Apoſtolorum ætate, aut etiam ſubſequentibus Eccleſiæ ſæculis, Chriſtianam religionem propagaverunt. Hoc modo S. Martialis a Gallis pleriſque *Apoſtolus* appellabatur. Timotheus quoque Pauli diſcipulus a D. Hieronymo *Apoſtolus* dicitur: etenim in additione ad Chronicon Euſebii (c) hæc eloquitur. *Reliquiæ Apoſtoli Timothei Conſtantinopolim invectæ.* Quem morem etiam ſervat Paulinus Nolanus, dum verſu 329. & ſequentibus Natalis XI. S. Fælicis hæc ait.

Nam Conſtantinus proprii dum conderet Urbem
Nominis . . . .
Ut ſua Apoſtolicis muniret mœnia lætus
Corporibus; tunc Andream devexit Achivis
Timotheumque Aſia.

S. etiam Ignatius Martyr a Joanne Chryſoſtomo *Apoſtolus* nuncupatur: *Quem laudabimus* (inquiens) (d) *Martyrem? Epiſcopum? an Apoſtolum?* Quæ cum ita ſint, nihil vetat, ne Lucam illum, cujus meminit (ſi tamen meminit) Theodorus Lector, pictorem aliquem eſſe dicamus, qui ſuperioribus Eccleſiæ ſæculis vixerit, quem propterea *Apoſtolum* appellavit Theodorus, quòd Apoſtolorum zelum æmulatus, in populos aliquos diffuderit Chriſti nomen: item fere ut fama eſt, a Romano Pontifice Stephanū Hungariæ Regem *Apoſtolum* fuiſſe appellatum, quod cura, ſtudio, atque exemplo ſuo Hungariæ Regnum ad Chriſtianam fidem adduxerit.

IV. Id ipſum fere dicere potes, ſi vetuſtiſſimum illum Pauli Apoſtoli, atque individuū comitem, Lucæ nomine propterea indicatum hic velis, quòd Evangeliſta appelletur. Alii nimirū præter celebratiſſimos illos quatuor Evāgelicæ hiſtoriæ Scriptores, *Evangeliſtæ* interdum ſunt appellati. Qua de re ſi dubitas, exemplum tibi manifeſtum præbebunt Acta Apoſtolorum in Philippo, (e) qui, tam etſi Evangelium minime ſcripſerit, *Evangeliſtæ* tamen vocabulum a priſcis Scriptoribus facile obtinuit.

V. Evulſo primo, ac potiſſimo fundamento a Theodori Lectoris auctoritate deſumpto, reliqua facillime con-

(c) ad annum Conſtantii XIX. Vide etiam, quæ ad hunc locum adnotant editores Veronenſes pag. 801. to. 2.

(d) n. 1. Oratio. in S. Ignat. pag. 593. to. 2.

(e) cap. 21. v. 8. *Philippi Evangeliſtæ.* Vide etiam quæ tradit Baronius ad añum Chriſti 35. §. 8. & Tillemont to. 2. hiſto. Eccleſ. peculiari titulo *de S. Philippo Evangeliſta* pag. 65. quibus ea adde Apoſtoli Pauli verba (2. Timoth. 4. 5.) *opus fac Evangeliſtæ*, quæque ad ea adnotant interpretes.

convelluntur. Acta Sancti Stephani junioris a Metaphraste conscripta sunt, ideoque nullam obtinent apud viros doctos existimationem. At age: fidem illis habe, si tu vis. Si quid ab his discis, hoc tantum est, Christi imaginem a D. Luca fuisse pictam. Imaginem quoque Deiparæ aliquam, quisquis illius fuerit auctor, Hierosolymâ Constantinopolim fuisse devectam. En verba ipsa Actorum, servatâ eâ comatum, & punctorum divisione, quam servat Surius. (*f*) *Ac prius etiam ab ipsomet Christo, ipsissima Patris imagine, divino linteo facies ipsius impressa est, ac Toparchæ Abagaro id postulanti, Edessam missa. Demum ab Evangelista Luca picta est. Quin ab Hierosolymis quoque Virginis Dei genitricis imago missa est.* Robur additur huic interpretationi ex eo, quod imaginis Christi a D. Luca pictæ tantum modo meminere scriptor vitæ S. Theodori Studitæ, & S. Thomas, qui de Virginis Deiparæ imagine nihil prorsus dicunt. Sanctus vero Bonaventura, Innocentius III., Glycas, & si qui sunt alii, qui putent a Luca Evangelista aliquam Deiparæ imaginem fuisse pictam, vulgi fama se illudi permisere: si tamen illusi sunt: neque enim id vere illos sensisse indicant verba ea, quibus creberrime utuntur, atque in primis usi sunt Innocentius III. & S. Thomas: *depinxisse dicitur*; *pinxisse ajunt*, & affinia alia, quibus quidem verbis se alienos ostendunt a Græcorum opinione.

(*f*) 28. Novembris ca. 3. pag. 663.

VI. Nec reliquorum historicorum auctoritas te moveat. Quis fidem habere audeat historicis iis, qui secum met ipsi pugnant, narrantque res minime consentaneas? Si locum attendis, unde deducta est ea Mariæ effigies, Theodorus Lector, Germanus Patriarcha, (si hos allegare tu vis) sed procul dubio Nicephorus Callixtus (*) Hierosolymâ translatam ajunt. En Nicephorum id testantem interprete Langio. *Excitavit item* (Pulcheria) *templum, quo* τῶν ὁδηγῶν (*hoc est viæ ducum* (*)) *cognomine clarum est, in quo divinam illius imaginem, quam Lucas Apostolus in tabula depictam reliquit, sacrumque pensum, & Servatoris ipsius fascias, perinde ac thesaurum, quem ad eum Eudoxia Augusta, quum Hierosolymam profecta est, misit, servandas curavit.* Atqui idem Nicephorus (*g*) deca-

(*) capi. 2. libri 14.

(*) alii tamen verba illa τῶν ὁδηγῶν multo aliter interpretantur. Vide librum quartum Cõstantinopolis Christianæ cap. 2. n. 24. a Du-cangio editæ.

(*g*) cap. 24. libri 15.

eadem imagine refert Antiochiâ fuisse deductam. *Condidit Pulcheria templum τῶν ὁδηγῶν (via ducum est.) ubi Antiochia missam Verbi Dei Matris imaginem dedicavit, quam D. Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, illâ adhuc vivente, & tabulam ipsam vidente, gratiamque adeo formae suae illi immittente.*

VI. Si vero locum attendis, ad quem translata est; Constantinopolim missam ajunt Scriptores illi, quos nuper descripsi. Glycas tamen testatur missâ fuisse Romam. (b) *Inter cetera* (inquit ille) *Germanus in medium proferebat effigiem Domini per Thaddaeum Augaro missam, & Edessae conservatam. Praetcrea memoriae proditam ab Apostolo Luca imaginem, quae Romam ad Theophilum missa fuit.* At huic quidem opinioni S. Thomas favere videtur. Postremis porro Glycae verbis alteram contradictionem offendimus. Ad Theophilum scilicet hic, & Germanus etiam Patriarcha, & si vis, Acta S. Stephani edita a Patribus S. Mauri; reliqui ad Pulcheriam, missam fuisse ajunt eam imaginem.

(b) par. 4. pag. 217. editionis Venetae, 281. Parisiensis.

(*) Vide §. 5. capitis 54.

VII. Denique si formam, speciemque spectas, pictam ajunt scriptores reliqui; at extantem ex cera efficiunt Maenea (i), & Theophanes Cerameus (*). Haec sane qui expendet, facile assequetur, fabellae simillimâ esse narrationem eorum, qui nobis imponere student aliquam Mariae imaginem a Luca Evangelista fuisse factam, meritoque rejectam fuisse a viris doctissimis Tillemont, Serry, aliisque, quos jam allegavimus.

(i) die 18 Octobris.
(*) in ea homilia, quam *de imaginum restitutione* scripsit. In editione Scorsi xx. est. Vide pag. 129.

CAP. LVII.

Refelluntur argumenta capite LV. proposita.

I. NOn ab his tamen nec levibus sane, nec paucis probationibus se moveri ii sinunt, quibus placet, imaginem Deiparæ aliquam a Luca Evangelista fuisse pictam. Et quod attinet ad argumenta capite LV. proposita, sic ea refellunt. Sive Hebræus fuerit, sive Gentilis Lucas, quum Christianæ fidei nomen dedit, Mariam pingere facile potuit. Vidimus enim, quum de consuetudine retinendarum imaginum apud Hebræos disputavimus (*), potuisse, & nisi fallimur, interdum etiam consuevisse Hebræos imagines facere, eos præsertim, qui Judæam minime incolebant, ideoque Judaici Senatus legibus minime obstringebantur (*). Porro Antiochenum fuisse Lucam, ex Hieronymo (*), Nicephoro Callixto [*], aliisque discimus. Et sane primos Christianos, ideoque ex Hebraica lege ad Christianam fidem deductos, priorũ Sanctorum imagines effinxisse, manifesto assequimur ex verbis illis Gregorii secundi (a): *Religiosi homines, & Christi amatores, Dominum cum vidissent, prout viderant, spectandum ipsum proponentes, depinxerunt. Cum Stephanum protomartyrem vidissent, prout viderant, spectandum ipsum proponentes, depinxerunt.* Præter quam quod, si pingendi artem antea non didicisset Lucas, potuit statim post susceptum baptisma addiscere, Virginemque Mariam, si non elegantissime, utcunque tamen exprimere. Plerique tamen putant, Gentilem fuisse, quum, Paulo prædicante, Christianam religionẽ amplexus est. Id scilicet apertissime edocet Nicephorus Callixtus (b) his verbis, e græca in latinam linguam a Langio translatis. *Lucas autem Antiochiæ, quæ in Cœlesyria est, ortus, medicus simul, & pictor egregius, Thebis, qua Urbs septem habuit portas, ad Pau-*

(*) cap. 4. & subs.

(*) Vide cap. 6. 8. 9., & 10. hujusce dissertat.

(*) *de viris illustribus* cap. 7.

[*] lib. 2. cap. 43.

(a) *in priore* ad Leonẽ Isauricum epistola Tomo VIII. Conci. pag. 655.

(b) cap. 43. libri 2.

Paulum venit, atque ibi nuncio errori patrio remisso, ad Christum accessit, pro corporum curatore animarum medicus factus. Et, ne cunctos referam, egregius Tillemont (c) palam ostendit, præclare sentire illos, quibus est persuasum, a Paulo Apostolo deductum fuisse ad Religionem Christianam e Gentilitatis errore Lucam. Potuerat itaque ante discere picturam, ideoque difficile non fuit illi, Mariam tabulâ referre. At reliqua prosequamur.

II. Ubi, & quando Paulum, prædicantem Christi nomen, audierit Lucas, Scripturarum interpretes, & historici disputant. Thebis (quod nuper monui) Paulo Lucam adhæsisse, Nicephorus Callixtus tradit. Alii Antiochiæ, alii etiam alibi id factum ajunt. Sed quocunque loco, aut tempore is Paulum audierit, non tam sero, ut puto, eum conversum facies, ut Virginem ætate longævam videre, & depingere nequiverit. Nimirum, si verum id est, quod Andreas Cretensis (d), aliique etiam tradunt, extremo nempe senio confectam Virginē, mortē obiisse, & cū aliunde sciamus, eos ipsos, quibus placet, diu post Christi mortem Religioni nostræ adhæsisse Lucam, in eo convenire, quod ante quinquagesimum primum Christianæ æræ annum, illi adhæserit (*); facile videre Deiparā potuit, quippe quæ Christū pepererat vigesimo fere ætatis anno, & ad octogesimū usque fortasse superstes fuit. [*] Sed ad conjecturas has non compellimur, qui adversariorū objecta satis dissolvimus. Pingere itaque potuit, antequam Paulo daretur comes. Sed nihil fortasse eum vetuit, quominus pingeret, postquam etiam Paulo datus est comes (si tam diu vixisse Virginem Deiparam vis) neque enim prohibiti sunt Christiani, tam et si Ecclesiarum ministerio occupati, Hierosolymam, aut, si vis, Ephesum divertere ad visendam Mariam, & ad discenda ex ea multa ad Evangelicam historiam pertinentia. Cujus quidem rei si quis indiguit, is certe fuit, qui se Evangelium scripsisse testatur, *sicut tradiderunt, qui a principio viderunt, & ministri fuerunt sermonis*. Ex quibus verbis Hieronymus, *Evangelium, sicut audierat, scripsisse; Acta vero Apostolorum, sicut viderat, composuisse* conjicit.

(c) to. 2. *historiæ Ecclesiasticæ* tom. 2. *de S. Luca* pag. 131. & in adnota. pag. 535.

(d) hom. 9. pag. 123. C

(*) Vide Tillemont to. II. historiæ Ecclesiasticæ, tū ubi peculiariter de Luca differit, tum in annotationibus ad ea, quæ de Luca edocuerat, annotatione præsertim III.

(*) Tillemont. histo. Eccles. to. 2. *de Maria Vergine* ar. 7. pag. 69.

[*] Luc. 1. 2.

(*) capite septimo libri illius, quem *de Viris illustribus* scripsit.

III.

III. Fac tamen (vide quàm comis sim:) fac, inquam, tam sero deductum ad fidem Christianam (a Paulo Lucam, ut Virginem Deiparam inspicere nequiverit. Quis prohibere illum potuit, ne ex eorum relatione, qui cum ea diu, & familiariter vixerant, Virginem Deiparam tabulâ exprimeret? Sane non raro evenit, ut aliis describentibus, absentium imagines depingantur, præsertim si consanguinei simillimi facie adsint, ex quorum scilicet forma, aspectuque eruere facili possis vultus eorum, quos coloribus referre vis.

IV. Neque vero si aliquam Christi, aut Mariæ imaginem a S. Luca pictam esse dicamus, continuo putandum est, omnes illas imagines S. Lucæ a nobis tribui, quas illi vulgus, æquivocatione aliqua in errorem fortasse inductum, solet adscribere. Quo minus audiendi sunt illi, qui nullam id circo imaginem a S. Luca Evangelista depictam fuisse sibi persuaserunt, quòd omnes, quotquot illi tribuuntur, non videatur homo Apostolicis laboribus, muneribusque impeditus potuisse facere. Non enim si unam, aut alteram depinxisse dicatur, ratio ulla postulat, ut omnes etiam dicatur depinxisse. Canisius vir pius, &, quod plus etiam ad rē facit, in primis doctus, (e) rem verisimillimam a Nicephoro Callixto fortasse indicatam (f) conjicit. Si enim ullam aut Christi, aut Mariæ imaginem a se depictam reliquit D. Lucas, nihil proclivius fuit, quàm ut multa ejusdē imaginis exemplaria sequentibus temporibus alia ex aliis, per alios pictores, exprimerentur. Id autem cum fieret, nihil accidere facilius potuit, quàm ut exemplaria singula *imagines D. Lucæ Evangelistæ*, proprietate vocum abusus, ut fit, populus appellaret. Fecit autem longinquitas temporis, ut multæ imagines a D. Luca depictæ esse existimarentur, non quod essent, sed quod ita appellarentur. Exemplo id comprobai, si tu vis. A D. Luca Evangelista pictam existimat vulgus eam imaginem, quam Siculi *d'Itria* appellant: hanc tamen expressam fuisse ex ea, quæ Constantinopoli servabatur, valde probabilis opinio censet: qua de re vide, quæ tradit Vir egregius Carolus Du-cange (g), qui hæc etiam addit. „ Neque sane mihi du„ bium est, quin ceteræ Deiparæ imagines, quæ a S. Lu-

(e) Vide quæ tradit Canisius tomo secūdo *Corruptelarum Verbi Dei* libro 5. ca. 22.

(f) Verba Nicephori Callixti cap. 43. libri secundi Ecclesiasticæ historiæ hæc sunt. *Fertur is quoque primus, Christi, & qua eum, ita ut Deum decebat, genuit Matris, atque item principum Apostolorū effigiem pingendi arte adumbrasse: unde in omnem deinde habitabilem Orbem, tū venerandum, & pretiosum opus est illatum.*

(g) cap. 2. n. 24. libri quarti *Constantinopolis Christiana*, (pag. 92. editionis Parisiensis, 62. Venetæ.)

,, Luca pictæ feruntur, & Romæ, & alibi coluntur, ,, exemplaria sint ejus, quæ in Æde τῶν ὁδηγῶν asservabatur, atque in primis illa, quam in Ecclesia Frisingensi esse ajunt, de qua hæc narrat Historia Episcoporum Frisingensium edita a Gevoldo in Metropoli ,, Salisburgensi Hondii ad annum 1422. in Nicodemo ,, de Scala Episcopo. ,, *Item dedit ad hanc sedem thesaurum magnum, scilicet Imaginem gloriosæ Virginis Mariæ, quam S. Lucas Evangelista propriis manibus elaboravit, quæ prius donata fuit per Imperatorem Constantinopolitanum Domino Joanni Galiatz, deinde Duci Melanensi: post cujus mortem devenit ad manus cujusdam Comitissæ Angliæ: postea post multos annos pro maximo donario, Magnifico Domino Bromara de la Scala est propinata, qui eandem Imaginem, ob reverentiam ejus Fratris Episcopi hujus sedis, scilicet Nicodemi, ad hanc Ecclesiam dedit.* Quamquam id, quod de Deiparæ imagine Romæ servata ait Du-cange; (fuisse scilicet ex ea depictam, quæ Constantinopoli servabatur) a præclaris etiam viris rejicitur. Volunt scilicet a D. ipso Luca pictam esse. Sed hac de re alii judicent.

V. Quæ cum ita sint, intelligitis profecto, quàm levis momenti sit illud, quod objicitur de tanta istius modi imaginum multitudine, tum vero etiam illud de vario pingendi stilo, & de coloribus dilutis oleo, & de barbarie nescio qua adspersis. Namque, ut illud mittam, potuisse Lucam, etiamsi fuerit pictor, uti nunc ponitur, non esse tamen excellentissimum; illud etiam accedit, quod cum hujusmodi imagines non omnes a D. Luca, sed aliæ ex aliis conformatæ sint, aliisque temporibus, & locis; miraculi sane loco habendum esset, si omnes unam manum, unamque pingendi rationem, & formam præseferrent.

VI. His dissolutis, ad alterũ Objectorũ caput venio, ad illud scilicet, quo probare volunt, tametsi potuisset Lucas aliquam Deiparæ imaginẽ pingere, tamen nõn pinxisse.) Verũ tametsi Scriptura non memoret, picturã didicisse Lucã, neque illi pictoris titulũ tribuat, non continuo hanc illi artem demit; quippe Scriptura ex illa eum arte appellat, quam profitebatur. Veteres Patres id fortasse nesciverunt, & propterea reticuerunt. Cur enim, ut mul-

multa Sanctorum corpora per revelationes quasdam eisdem temporibus detecta sunt (quæ sane corpora per multos annos latuerant,) non idem imaginibus contigisse putemus, eis præsertim, quæ ab Evangelista depictæ, Mariam Virginem ad vivum exprimerent, quasque Deus ad posterorum pietatem augendam, præcipuo quodam beneficio, conservasset? Ad id vero affirmandum tanto vehementius inclinor, quanto certius novi, consuevisse Deum sacras reliquias (in quarum numero sacras imagines a Luca Evangelista pictas collocare non vereor) novi, inquam, consuevisse Deum sacras reliquias revelare, quum eorum detectio valde prodesset Ecclesiæ. Hoc modo plurimum ad continendos in Catholica fide Mediolanenses profuit corporum Sanctorum Gervasii, & Protasii revelatio. (*) Porro juvit plurimum, si detecta tum fuit, ad continendos in antiqua pietate, & reverentiâ erga Christi Matrem Fideles ea Deiparæ imago, quæ & antiquitate, & auctore præclarissima fuisset, & Nestorianã hæresim, Matrẽ Dei negantem esse Mariam, manifesto quodam argumento revicisset, manifestum faciens, ab ipsis Ecclesiæ exordiis consuevisse Fideles eandem incarnati Verbi Matrem revereri, & agnoscere, ideoque exprimere manibus, aut sinu gestantem puerum Jesum, verum hominem simul ac verũ Deũ. Novi equidem, fateorque, revelationes non esse temere inducendas, eas præsertim, quarum ratio, & modus comperta non sint. Sed cõmunis, & tã antiqua traditio facit sane, ut, si de revelatione aliqua hac in re suspicemur, ne temere suspicemur; nisi si forte nullum omnino probabilitatis gradum in traditionibus hisce inesse volumus; quod est a ratione alienissimũ. Quæ autem revelationis ratio, aut modus fuerit, descripsit fortasse Theodorus Lector; sed quis hæc a nobis postulet, qui illius libris scriptisque caremus? Ad reliqua properemus.

(*) Pauli. *in Vita Ambros.* §. 14., & 15. Et epist. 22. class. 1. ad quam multa præclara quæque allegari hic possent, adnotant PP. S. Mauri.

VII. Num ante Concilium Ephesinum pictæ fuerint imagines Mariæ Virginis Filium manu, aut sinu gestantis, a Theologis disputatur. Haud dissentio ab iis, qui putant, non usitatissimum fuisse quidem, ut imagines Virginis Mariæ ante Concilium Ephesinum eam exhiberent Filium sinu, aut manibus gestantem; usitatissimum vero fuisse post Concilium Ephesinum celebratũ. Nihilo minus nulla ratio est, ne probabilis quidem, qua

qua certo afferamus, nullam omnino, ne unam quidem fuisse ante Concilium, quod diximus, imaginem, quæ Matrem cum puero Jesu referret. (*) Quid facilius fieri potuit, quàm ut id pictoribus Mariam fingentibus veniret in mentem? Et sane cum credatur imago illa, quā Eudoxia ad Pulcheriam misit, Mariam Virginem cū Jesu infante expressam habuisse, non tamen legimus, eā fuisse ab D. Luca abjudicatam; abjudicata autem vel a minus peritis fuisset, si illa imaginis ratio novitatem aliquam præsetulisset.

(*) Consule ēa, quæ capite 61. dicemus.

VIII. Varietatem imaginum refer in varietatem pictorum, qui ex prototypo Lucæ in tabulas suas retulerunt; vel, si vis, in Lucam ipsum, qui diverso tempore diversam finxit, servatis tamen figurā, & lineamentis vultus. Potuit autem adolescentulam exhibere, non eam referens, qualem intuebatur, sed qualem se Virgo fuisse dixit, aut qualem ipse, ut pote in dijudicandis vultibus, & in pingendi arte non ineruditus, putavit. Quod si illi in mentem venit, (quod facillime accidere potuit) ut Mariam puerum Jesu in gremio tenentem depingeret, (quod in maximam Mariæ cedebat laudem) potuit sane ad servandam in pictura verisimilitudinem, Mariam adolescentulam fingere, & ex vetula (si vetulam tantum vidisse volumus) qualis ab ineunte ætate fuisset, conjicere: cujus generis conjecturas ab aliis quoque pictoribus factas interdū fuisse novimus.

IX. Quod attinet ad Augustinum, varie illius verba interpretantur Theologi: quorum tamen diligentiam præripiunt ii, qui monent, Augustini tempore latuisse imaginem, quæ postea detecta est, aut tam remotam fuisse ab iis, in quibus Augustinus degebat, provinciis, ut eam invisere pauci possent ex Africanis; eorum vero, qui invisere possent, maxima pars minus idonea fuisset ad faciendam fidem, aut certe ad describendum qualis revera erat imago ea: ideoque mirum non esse, si Augustinus ex ea imagine veram Virginis formam assequi nequiverit. Sed ad dissolvendam super hoc Augustini testimonio constructam difficultatem, ea hic recolere juvabit, quæ §. 11. capitis 33. attuli.

X. Quod postremo loco indicaverunt: omisisse scilicet Nicænos Patres, Damascenum, & reliquos o-

mnes, qui imaginum defensionē susceperunt, probationē eam, quam imagines a D. Luca pictæ, si fuissent ullæ, præbuissent; ideoque conjicere ex horum silentio nos posse, nullas revera extitisse: non leve est, fateor: tamen sic illi occurritur. Suspicari merito possumus, num meminerit imaginum Deiparæ a D. Luca pictarum ille ipse Joannes Damascenus, quem de iis prorsus siluisse affirmant. Id scilicet conjicio ex iis, quæ tradit antiquus, (in ipso enim quartidecimi sæculi initio floruisse ajunt) & diligens scriptor, Robertus Holkoth ex inclyto Dominicanorum ordine: Quippe lectione 158. *in librum Sapientiæ*, comentariis illustrans versiculum illum capitis XIII. *Infelices autem, & inter mortuos spes eorum &c.* de sacris imaginibus loquens inter cetera hæc ait: (*b*) *Est autem notandum, quod usum imaginum in Ecclesia introduxerunt Apostoli, licet hoc in Canone Bibliæ nullibi exprimatur. Unde Damascenus lib. 4. cap. præallegato* (|octavo scilicet; & octavum fortasse erat in eo Codice, quem vidit Holkoth, quamvis nunc decimum septimum, aut decimum octavum sit) *ait, quod rumor ad eum pervenerat, quod beatus Lucas depinxerat imagines tam Christi, quàm matris suæ, & quod illæ imagines habebantur in Roma, & secundum illas aliæ fuerunt depictæ, quæ olim Hierosolymis habebantur.* Itaque tametsi in Damasceni libris, qui typis postea fuere editi, non occurrat hujus modi imaginum mentio; ille, ut arbitror, non errabit, qui minime prætermissas dicat a Damasceno, idque nobis testatum facere præclarum virum, Robertū Holkoth. Sed age: omiserint omnes eorum temporum Patres probationem ex Deiparæ imagine a D. Luca Evangelista picta desumptam. Ii sane, qui omiserunt, minime infirmant hujusmodi persuasionem. Scilicet vidimus (*), veteres Patres ipsos tum ante celebratam Nicænam secundam Synodum, tum paucis post eam annis persuasos fuisse, a D. Luca aliquā Christi imaginem fuisse factam; & id fortasse etiam innuit Gregorius II. dum ad antiquissima tempora refert imagines Christi. Porro nuper ostendimus, simillimū veri esse, ad Deiparæ etiā imaginē veteres respexisse, dum Christi imaginis meminerunt. (*) His alium scriptorē addi si vis, obsequor libens, & Glycam profero, historicum val-

(*b*) pag. 524.

(*) cap. 54.

(*) cap. 54. §. 3.

valde probabilẽ. Scilicet ex eo etiã apertissime intelligo, non omisisse Germanum Patriarcham, dum firmiora, & antiquiora quæreret adversus Leonem Isauricum (*i*) argumenta, illud, quod picta ab Evangelista Luca Deiparæ imago subministrabat. En verba ipsa Glycæ (*). *Itaque tanto studio quidvis adversus imagines molitus est, ut etiam magnum illum Patriarcham Germanum, qui multis cum eo disceptaverat, solio dejectum expelleret. Inter cetera Germanus in medium proferebat effigiem Domini per Thaddæum Augaro missam, & Edessæ conservatam. Præterea memoriæ proditam ab Apostolo Luca imaginem, quæ Romam ad Theophilum missa fuit.* Porro ex verbis illis Glycæ: *quæ Romam ad Theophilum missa fuit*, conjiciunt nonnulli, aut revera ad Theophilum, haud ita multo post, persecutione adversus imagines motâ, Romã fuisse missam eam imaginẽ, (*) tametsi postea cupiente populo, & adnitentibus Imperatoribus ipsis, Constantinopoli fuerit restituta; aut certe rumorem in vulgus fuisse sparsum de sublatâ imagine eâ, & Romam missâ, quamvis minime fuisset Romam missa, sed tantum subducta ex sacra æde, ne furentis Imperatoris iniquissimo jussu periret. Quippe mos veterum Episcoporum fuit, preciosiora Ecclesiæ monumenta subducere, si quando prudenter vereri poterant, ne impiorũ Principum furori subderentur, nisi e conspectu populi auferrentur. (*k*) Sic Athanasius, aliique multi, sacras reliquias occultaverunt, ne persequentium vi, ac furore diriperentur. (*) Id vero si agere neglexerunt, coacti sæpe sunt inspicere dirutas, profanatasque sacras imagines, & reliquias. Hoc modo Julianus Apostata æneam Christi imaginẽ evertit, profanavitque. (*l*) Diripuit quoque sacras Euphemiæ Sanctissimæ Virginis reliquias scelestissimus Copronymus (*), aliiquæ multi simili rabie perciti idegerũt. Hujus itaque imaginis, cujus antea meminerat Theodorus Lector, Patres Nicæni, & Damascenus non meminerunt, (si Damascenum meminisse non vis): vel quia antea subducta, minime videbatur ad fidem faciendam apta, vel quia metuebant, ne si forte scelestus aliquis, & Copronymi similis Imperium sumeret, in eam multũ laudatã, & notã imaginem desæviret. Id vero prudentissime metuebant:

(*i*) par. 4. anna. pag. 217. editio. Venetæ: Parisiensis 281.

(*) a Philippo Labbe latina interpretatione ea donata sunt.

(*) His tamen ii obsistunt, qui *Romæ* nomine Constantinopolim ipsam intelligunt, in qua quidem urbe jampridem cultam eam imaginem fuisse ajunt, sed postea ex templo subductã, & apud pios cives clam servatam, ne in eam fureret Imperator.

(*k*) Ut cætera omittam, hic recole quæ de Edessena imagine, vetusti Episcopi studio occultata, ideoque servata, ca. 53. §. 2. dixi.

(*) Vide histo. Rufini lib. 2. cap. 28.

[*l*] Vide dicta cap. 42. §. 2.

(*) Consule Scriptores, quos allegat Baron. in annota. ad Martyr. 16. Septem. littera A. Adde, si vis; ea quæ disput. 2. cap. 6. §. 4., & 5. diximus.

bant: etenim post ipsam coactā, approbatāque Nicenā Synodū non defuere inter Imperatores, qui Leonis Isaurici, & Copronymi nefaria dogmata, & exempla sequerentur. At ubi reddita Ecclesiæ est pax, metusque sublatus, ea iterum imago venerationi proposita est, & enixissime culta. Vide præter eos, quorum verba retuli, Nicephorum Gregoram (m). Cantacuzenus quoque ejusdem imaginis meminit [n]. Denique, ne multos afferam, Pachymeres (*). Sed quod ad argumenti negativi vim, usumque pertinet, eos auctores consule, quos alibi simili in argumento allegavi (o).

XI. Græci porro aut nullo modo sibi eripi passi sunt imaginem a D. Luca pictam (*), sed expressas tantum ex ea effigies, quæ D. Lucæ sumpserunt nomen, in regiones alias deduci permiserunt; vel si forte eam aliò transferri permiserunt, propterea id fuit, ut ex impiorum eriperent manibus: quod imperante Leone Isaurico fortasse evenit (*). Sed post ea tempora, indubitatum est, (idque vir egregius Carolus Ducange (p) probat) summa cum diligentia, & veneratione jugiter servasse Græcos imaginem illam, quæ a D. Luca Evangelista fuerat picta; *donec Constantinopoli capta, Turcæ detractis gemmis, auro, & argento, quæ erant in circuitu, per Civitatem ignominiose traxerunt, eamque sordidis pedibus conculcantes, tandem in frusta confregerunt.*

[m] li. 4. cap. 2. n. 6. & rursus libro 8. cap. 4. num. item 4. Denique lib. 9. cap. 6. n. 4., & 5. ubi litteris prodit recepta a Nepote Andronico Constantinopoli, seniorem Andronicū ad hanc imaginem, tutelæ causa, confugisse.

(n) lib. 1. cap. 59. & rursus libro 4. cap. 1.

(*) *in Michaæ. Palæolo.* li. 2. cap. 31.

[o] cap. 33. §. 2.

(*) Vide tradita ab Innocentio III. epistolâ indicata ca. 54. §. 4.

(*) Vide nuper dicta.

(p) l. 4. *Constantinopolis Christiana* n. v. capitis xv. ex relatione Henrici Zomeveri pag. 226. editio. Vene. Paris. 1681.

CAP. LVIII.

Suscipitur defensio eorum argumentorum, quibus prior sententia fidit.

I. NOn est dubiū, plurimas habere vires ea, quæ nuper attulimus. At multo majores habebit fortasse defensio earū probationū, quibus prior sententia fidit. (*) Id autē sic statim exsequor. Theodorū Lectorem centū,

(*) Vide caput 54. & 56.

&

& amplius annos post Pulcheriam vixisse, fateor. At non propterea fateor indignum, ut illi fides habeatur. Sane si ille idem est, cui tripartita quædam historia tribuenda sit, adeo diligens in eâ texendâ extitit, ut Socratem, Sozomenum, & Theodoretum ex eo emendare possimus. Id apertissime indicant verba jam allegati Catalogi librorum Leonis Allatii: *Theodori Lectoris Ecclesiastica historia tripartita ex Socrate, Sozomeno, & Theodoreto libris duobus, qua innumera prope loca dictorum Auctorum corriguntur.* Sed si alius est Theodorus ille Lector, cujus *excerpta* dedit Nicephorus Callixtus (etenim historia Theodori Lectoris, cujus Leo Allatius meminit, diversa est procul dubio ab eâ, cujus *excerpta* Nicephoro Callixto debemus (*)) tamen laudatissimã fuisse historiam hanc, & probatissima *excerpta* ex eâ sumpta, nemo negat.

II. Illud porro, quod addunt; nempe Nicephorũ Callixtum addidisse de suo verba, quibus edoceamur, a Luca Evangelista fuisse pictã imaginem eã, quæ ab Eudoxia ad Pulcheriam missa est, & gratis dicunt, neque unquã probabũt, tã audacẽ, atque adeo improbũ fuisse Nicephorum Callixtum, ut Theodorum Lectorem ea tradere testetur, quæ revera non tradit: neque vero hujus rei fingendæ ulla extitit causa, cum de eâ nulla Græcos inter, & Latinos orta fuisset lis.

III. Novi itaque, fateorque, in iis, quæ schisma, errorésque Græcorum respiciunt, in Latinorum suspicionem merito venisse Nicephorum, imo interdum apertissime defectioni Græcorum a Latinis, & Photii errori favere, interdum etiam narrationibus non admodũ probabilibus historias suas adspersisse; sed aperte mendacem nondum deteximus. Porro mendacissimus fuisset ille, si a Theodoro ea dici adtestaretur, quæ revera Theodorus non dicit. Et profecto nemo, quem noverim, crimini Nicephoro Callixto vertit, quasi minus recte, aut fideliter retulerit reliqua sumina capita historiæ Theodori Lectoris. Cur ergo in hoc tantum mendacem dicis, & ea imposuisse Theodoro Lectori vis, quæ ille minime narrat? A mendacio vero non excusas, si dicis, ea persuasione, quæ Nicephori Callixti tempore invaluerat, motũ, induxisse ea docentẽ Theodorũ, quæ revera non docet. Nempe ad fidelis Scriptoris munus per-

(*) Num hic ille idem sit, qui tomo 26. pag. 83. Biblioth. Lugd. Patrum editus deinceps est, an non, Lector judicet

pertinet, ut quæ ab aliis descripta fuisse ait, revera descripta fuerint, essetque fallax, qui alicujus narrationis auctorem faceret Scriptorem aliquem, cujus auctor minime is est; sed revera ea scripsisse Theodorū Lectorem, quæ Nicephorus Callixtus scripsisse ait, conjicere etiam ex iis possumus, quæ nuper ex Holkoth retulimus; ad narrationem enim Theodori etiam Lectoris fortasse respicit. Utcunque sit, tanti sane Excerpta illa fecit Tillemont, ut valde idoneum, atque adeo probatiorem Nicephoro illo, cui notissimam debemus historiam, esse docuerit eum, qui eadē Excerpta edidit (*a*).

IV. Irrepsisse interdum in vulgus opiniones aliquas a vero aberrantes, non invitus fateor, præsertim si nominum affinitas ansam errori dedit. At facile agnovere deinceps viri docti errorem, monueruntque, ut caveretur. Ut exemplo rem declarem, non Apostoli Pauli, sed Pauli Constantinopolitani Episcopi monuerunt esse illud corpus, quod Apostoli Pauli vulgus ajebat esse. At quis vel ex Græcis, vel ex Latinis hunc sane non levē (si tu vis) errorem detexit, auctoremque indicavit earum imaginum, quas non modo vulgus, sed & Scriptores probatissimi, iique tum Latini, tum Græci, ab Evangelista Luca pictas fuisse testati sunt? Superest itaque, ut eam persuasionem expertem erroris agnoverint, & propterea non improbaverint, imo sæpe etiam expressissime approbaverint.

V. Quis vero neget, interdum appellatos *Apostolos* eos, qui Apostolorum discipuli extiterunt, imo etiam eos, quorum operâ Evangelium propagatum est? Nonne præter illos, quorum adversarii meminere, Indiarum Apostolum dicimus Franciscum Xaverium, quòd Indos ad Jesum converterit? At Lucá eum, cujus meminit Theodorus Lector, ex postremorū numero fuisse, minime puto; sed illum ipsum extitisse reor, *qui Evangelium*, & *Acta Apostolorum* scripsit. Ad eam persuasionem movet *me traditio seniorum*, ideoque cōmunis & jam vulgata opinio, cui nemo ex veteribus obstitit; movet quoque auctoritas eorum omnium, qui expresse ab Evangelista Luca eam imaginē factam fuisse ajunt. Id sane tradunt Mænea, Theophanes, aliique plurimi, quorum jam verba retuli. Movet præterea vetusta consuetudo, qua fit, ut nisi aliud addatur, aut aliunde constet, vocem hanc

(*a*) Tom. VI. *histo. Imperat. in Anastas.* ar. 28. pag. 589. & 590. editio. Venetæ.

hanc *Apostolus* ampliandam esse, ad primos tantum Apostolos eam restringamus. Quæ quidem regula etiam valet, ut eos redarguas, qui *Evangelistæ* nomen ampliari hic jubent: vulgato enim, comunique sermone tantumodo ad eos quatuor, qui Evangelia scripserunt, eã restringimus. Quamquam etiam postremum hoc effugium, eorum Scriptorum, quos jã allegavi, verbis facillime præcluditur. An non Theodorus Studita (*) Lucam illum, qui Mariam tabulâ expressit, eum ipsum esse ait, qui *sacrum composuit Evangelium*? Cui quidem persuasioni ii apertissime adhærent, qui inter Apostolicas consuetudines sacras imagines referunt, idque ex eo probant, quod Lucas vel Christum, vel Mariam pinxerit: (*) ineptissima quippe probatio ea esset, si *Evangelistæ* vocabulum in adeo lata significatione sumeretur, ut homini quinto, aut sexto sæculo viventi ea tribui comode posset. Nullus autem e veteribus, quem ego noverim, eidem persuasioni obstitit. Sermonem ad reliqua vertamus.

VI. Ea S. Stephani junioris Acta, quæ Surius habet, a Metaphraste fortasse accepit. At non is, meo quidem judicio, est Metaphrastes, ut quidquid scripserit, rejiciendum sit. Vide quæ in ejus defensionem alibi diximus. (*) Sed quis te cogit, ut Actis illis a Metaphraste, ut ais, corruptis utaris? Utere iis, quæ intacta prorsus asseverant Patres S. Mauri (*), eaque vertit, uti dixi, Jacobus Loppin. Nonne etiam in iis hujusce imaginis expressa sit mentio? Constat itaque, eos minime sapere, qui ut Actorum eorum auctoritatem eludant, corrupta fuisse ajunt a Metaphraste, cum ea revera is non corruperit; & si corrupit, ea adhuc integra habeamus; adeo ut iis jure meritoque uti possint Viri etiam in studio Critices versatissimi; & revera iis utitur, ne cunctos enumerem, Clarif. Abbas Fleury (*b*). Nec tamen Actorum istorũ auctoritate tantum nitimur, sed aliorum etiam testimonia proferimus. Cæterum hanc verbis illis significationẽ tribuunt omnes, ut pictam ab Evangelista Luca, & Hierosolymis Constantinopolim missâ Virginis imaginẽ, edoceamur (*).

VII. Theodorũ Studitã ad imaginẽ Virginis Deiparæ manu, sinuve gestantis filiũ respexisse, veri simillima mul-

(*) Vide cap. 54. §. 3.

(*) S. Thomas, S. Bonaventura jam allegati, aliique etiã.

(*) cap. 33. hujusce dissert. §. 5. Patres etiam S. Mauri (in præfat. *ad analec. græca de vita S.* Euthymii Abbatis sermonem habentes) hæc ajunt: *Quod autem ad ipsa facta pertinet, præter stilum, nihil a Metaphraste mutatum deprehendimus, nisi forte leves aliquas circumstantias.*

(*) in præfat. *ad analec. græca.* §. 7.

(*b*) *in histo. sacra* li. 43. n. 32. pag. 361. & subseq. to. 1x. editio. Bruxel. 1723. 407. editio. Pari.

(*) Vide interpretationem Jacobi Loppin allegatam ca. 54. §. 2. & græca ipsa verba (pag. 413. to. 1. *analec. græco.*) & eam quidem sequutur Fleury. aliique viri doctissimi.

torū opinio tradit, quā cōprobant ea, quæ animadvertimus, dum Theodorū Studitam allegavimus. Id ipsū sentio de D. Thoma, præsertim quum notissima quidē sit ea Deiparæ imago, quam a D. Luca pictā fuisse, Romā censet, eam servans colensque in sacra illa æde, quā *S. Mariam Majorem* appellant; & nota non sit imago aliqua, quæ Christū tantū modo exprimat, Romæ extet, Divoque Lucæ adscribatur. Quod si imaginē Christi aliquā seorsim a Deiparæ imagine fuisse pictā a D. Luca revera putarunt Theodorus Studita, & D. Thomas, &, si vis, alii etiā, hoc sane commodum ex eorū dictis erues, ut apertissime intelligas, putasse viros hos præclarissimos, pingendi artē calluisse Lucā; & hanc exercuisse in pingendo Christo. Quod si admittis, cur negabis, Mariā eū pingere voluisse, præsertī si id fatearis, quod tradidit Nicephorus Callixtus (*c*): nempe Petri etiam Apostoli effigiem coloribus eum expressisse?

(*c*) li. 2. cap. 43.

VIII. Quis vero S. Bonaventuram, Innocentium III. aliosque, quos protulimus, iis annumeret, qui vulgi fama nescio qua, se illudi sinerent, & in opinionem induci a vera alienissimam; ut scilicet putarent, ab Evangelista Luca pictā fuisse eā imaginem, quæ ab eo picta non foret? Viros cautos, doctissimosque plerosque ex iis, quos retulimus, esse novimus, ideoque tales, ut ab incertâ famâ se abripi in opiniones temere in vulgus sparsas non finerent. Quāquam vero multi ex his ipsis voces has adhibent: *depinxisse dicitur* (Lucas), & similes alias, non hos propterea ab eorū numero arcebis, qui a D. Luca pictā affirmant imaginē Deiparæ aliquam. Scilicet (ut adductis exemplis alibi ostendi) (*) verba hæc: *fertur, dicitur*, & si qua sunt alia, non incertā famā ubique indicant, sed interdū non modo certā, verū etiā notissimā, & vulgatissimā. (*d*) D. vero Thomas, aliique, quos allegavi, his vocibus *fertur*, *dicitur*, propterea fortasse usi sunt, quòd inciderat his de imaginibus sermo, neque opportunū erat, ut peculiarē de illis disputationem instituerent.

(*) cap. 43. §. 6.

(*d*) Vide tradita disp. 8. cap. 17. §. 6. & 7.

IX. Fidem tamen negas Scriptoribus, quos recensuimus, quod non ipsissima omnium narratio est. At si vis, falsas esse narrationes eas omnes, in quibus aliqua circumstantiarum variatio est, paucas fortasse

habe-

habebis, quas veras dijudices. Age vero, age: statim evinco, in ea narratione minime discordes esse Scriptores. Profecto Hierosolyma missam fuisse Constantinopolim, illam Deiparæ imaginem, quæ a S. Luca Evangelista picta fuit, plerique sentiunt, & testatur apertissime Theodorus Lector: neque alii, quos allegavimus, id improbant. Quod enim Antiochiâ Constantinopolim deductam tradant aliqui imaginem a D. Luca pictam, minime omnium ostendit, Hierosolymis non fuisse deductam: potuit enim primò detinuisse Antiochiæ, tum deduci Hierosolymam, denique Constantinopolim. Itaque, si respicias ad urbem, ex qua primùm emota est, Antiochiâ translatam dices; si ad eam, ex qua proxime deducta fuerat, Hierosolymâ deportatam. Id ipsum (sed ex contrario) dicere potes, si (quod longe probabilius est) primùm Hierosolymæ extitisse putes, tum Antiochiæ fuisse depositam, ex qua tandem Urbe Constantinopolis receperit, præsertim quum Hierosolymis Constantinopolim proficiscentibus, Antiochia comodissimum iter præbeat.

X. Nisi vis dicere, *Romæ* vocabulo Constantinopoli significari, quod sæpe fit (tum vero dic, Deiparæ imaginem primùm fuisse ad Theophilum missam, ut pereû, ut pote præclarum virum, eadem imago Pulcheriæ traderetur: quæ sane explicatio cum Michaelis Glycæ narratione convenit) nisi, inquam, id dicere vis; tu dic, imaginem eam, quæ ad Theophilum Romæ degentē missa est, diversam ab ea esse, cujus meminit Theodorus Lector: potuit porro Lucas duas pingere Mariæ imagines, quarû una Romā missa sit, altera Constantinopoli retenta. Vel denique dic, servatam illam quidē fuisse Constantinopoli, sed occulte; & interea viros quosdā pios in vulgus sparsisse rumorem, quo traderetur, Romam fuisse illā missam: sic enim ab impiorum Imperatorum furore eripuerunt. Vide quæ diximus §. 11. capitis LVII.

XI. Si duas forte putes ab Evangelista Luca Mariæ imagines fuisse depictas, posteriorem difficultatem evitas. Sed tamen adhuc evitas, etiamsi non aliam agnoscas a Luca Evangelista depictam Mariæ imaginē, præter eā, quæ ab Eudoxia ad Pulcheriā missa est: pictam quippe quis neget, si cerà coloratà expressa illa est?

CAP. LIX.

Brevi expono, quid in difficili hac controversia ego sentiam.

I. ATtuli hactenus argumenta, quæ in utramque partē adducta vidi. Si quis forte a me quærat, quid ego sentiam, candide fateor, me ad dissolvendum perdifficilem hunc nodum, imparem esse. Hoc tamen ex dictis eruo, non adeo illaudabilem esse eorū opinionem, qui revera imaginem Deiparæ aliquam a Luca Evangelista pictam ajunt, ut inter fabulas recenseri illa queat: imo contra probabili tum veterum historicorum, & Theologorum, tum recentiorum etjam auctoritate illam inniti, ideoque verisimilem appellari posse: certam illam esse, neque ego ausim asseverare, neque asseverabit, ut puto, is, qui in animo habeat, nihil velut certum proferre, quod certum non sit.

CAP. LX.

Pauca attingimus de vetustis aliis Virginis Deiparæ imaginibus.

I. NOlim tamen arbitreris, eas unice, quas a S. Luca pictas putarunt, veteres in pretio habuisse. Non hic de symbolicis ejusdem Deiparæ imaginibus loquor; ceterum cum nemo Theologorū ignoret, præclarissimis symbolis fuisse in lege veteri Virginem Deiparam indicatam; (Iris quippe, Arca Noe, Rubus ardens nec propterea absumptus, aliaque sexcenta in horum numero sunt) hinc quoniam hæc sæpe in vetustis sarcophagis, & musivis occurrunt, suspicantur Viri doctissimi, iis veluti totidem symbolis, Virginem Deiparam fuisse designatam: quorum conjecturis nihil equidem abrogo. Tamen cum eo po-

tis-

tissimum studia nostra contendant, ut expressas imagines exhibeamus, monitum Lectorem volo, antiquissimas procul dubio ostentari posse Virginis Deiparæ imagines. Præclarissimus Franciscus Blanchinus eam Lectori subjicit, quæ in vitreo calice delineata, & ad Martyris sepulcrum posita, ejusdem Martyris sanguine respersa est (a), ideoque ad priora Ecclesiæ secula referenda est. Eam Lector, obsecro, consulat. Boldetus quoque aliud vitrei calicis fragmentum in cœmeteriis repertũ exhibet; in quo quidem Virginem Deiparam puerum Jesum ulnis cõplexa repræsentari videtur (b): atque ad eum locũ Lectorem allego, qui hac de re judicet. Nec dissimile fuit in subjiciendis Lectorum oculis, Virginis Deiparæ imaginibus Aringhii studium. Ut de iis monumentis sileam, quæ illam aut ab Angelo visitatam, aut visitantem Elisabeth, aut nuper nato puero Jesu adhærentem, aut Magorum obsequia, & munera excipientem repræsentant: (nam de iis satis alibi diximus (*)), duas valde vetustas intuentium oculis offert Aringus, quarum primam a se conspectam fuisse ait in cubiculo V. *Cœmeterii Priscillæ via Salaria* (c), alteram vero anulo insculptam inter cœmeteriales exuvias repertam a præclarissima Felice Rondinina servatam fuisse testatur (d). Utraque porro Virginem Deiparam, puerum Jesum sinu complectentẽ repræsentat. (*) Aliam quoque se exhibere putat Aringus lib. 6. cap. 50. (e) Verum, ut quæ sentio, eloquar, vereor ne non postrema hæc imago piissimæ alicujus fæminæ (nam orantis specie ea exprimitur,) quæ Mariæ nomen in baptismo assumpsisset, in eo vitro exhibeatur, potius quàm Deiparæ ipsius. Sed hac quoque de re judicaverit Lector. Repertæ sunt quoque in vetustis cœmeteriis non paucæ Virginis Deiparæ imagines, e quibus aliquas ex Aringhio (f) indico. Eas consulat Lector. Sed nolo contẽnas eã Deiparæ imaginẽ, quæ in S. Mariæ Majoris æde a primis ipsis Ecclesiæ temporibus formata est; quibus facile alias addere poteris ex Ciampino, quas quidem in margine doceo (g). De aliis porro antiquitate, & miraculorum ad eas factorum frequentiã, peregrinorumque concursu laudatissimis Deiparæ imaginibus cum plurimi disseruerint, necesse non est hic multa tradere. De

(a) ad to. 2. Anast. Bibl. pag. 247.

(b) lib. 1. cap. 49. pag. 202. & 203.

(*) Vide caput 53. §. 3. 4. 5., & 6.

(c) tabu. 2. lib. 4. cap. 37. pag. 304., & 305. to. 2.

(d) lib. 5. cap. 5. pag. 470. to. 2.

(*) Has omnes Deiparæ imagines post Ephesinũ fuisse formatas ne rigidiores quidem Critici affirmabunt. Viri præstantissimi porro censent tertio, aut, si vis, quarto seculo multas ex his fuisse factas. Multi sane ex iis Sarcophagis non videntur recentiores esse Sarcophagis Anicii Bassi, & Gorgonii, quos ad IV. ipsũ seculũ referas, necesse est.

(e) pag. 689. to. 2.

(f) Ceteris fortasse antiquior ea est, quæ etiam num visitur in thermis, quas Aringus Domitianas, sive Trajanas appellat. Consule Aring. li. 4. ca. 44. pag. 375., & 381. to. 2. Sed hac de imagine alibi agemus. Alias etiam allegat idem Aringus tum ibi (pag. 380., littera I., & K.) tum cap. 42. ejusdem libri pag. 353. & 535.

(g) Ciampinus to. 2. vet. monu. Ca. 12. tab. 27. pag. 97. Ca. 20. tab. 38. pag. 124. Ca. 24. tab. 44. pag. 142. Ca. 26. tab. 49. pag. 151. Cap. 27. tab. 51. pag. 157. Cap. 39. tab. 53., & 54. pag. 166. &c.

De Sanctorum Imaginibus.

SAnctorum *nomen tametsi crebrius ad eos significandos adhibeatur, qui post peractam, ut Deo inservirent, in laboribus, & ærumnis vitam, promissa præmia in cælis, Dei visione potiti, obtinent; non raro tamen ad eos etiam denotandos accipitur, qui in terris eorundem Sacramentorum, & Religionis vinculo colligati, peculiari quadam ratione Deo inserviunt.* (*) *Utrosque porro Fidelium pietas, ac solertia tum expressis, tum symbolicis, typicisque imaginibus exprimere consuevit: de quo quidem more hic nobis agere propositum est. Ab iis exordiamur, qui æquius atque usitatius* Sanctorum *nomen sibi vindicant, ideoque ab iis, qui Deo in cælis fruuntur.*

(*) Acto. 9. 32. & 41. Rursus cap. 26. v. 10. Rom. 1. 7. ca. 8. v. 27. capi. 15. v. 25. cap. 16. v. 2. & 15. Et alibi sæpe.

CAP. LXI.

De expressis ipsis Sanctorum mortali vita functorum Imaginibus.

I. NOn defuit qui suspicaretur, speciem aliquā vultus Sanctorum illorum, qui veteris testamenti ætate vixerunt, subsequentibus etiam temporibus superfuisse: quando quidem eos deinceps pictura fuisse expressos, ex hoc Stephani Bostrensis testimonio constat. (*a*) „ Nos porro Sanctorum imagines „ ad eorum recordationem statuimus, puta Abrahā, „ Isaac, Jacob, Moysis, Eliæ, Zachariæ, & aliorum „ Prophetarum, sanctorumque Dei Martyrum, qui „ propter ipsum, mortem subierunt; ut quicumque ima-

(*a*) ca. 4. libri *contra Judæos*. Extat hoc testimonium in orat. 3. Damasceni pag. 370. to. 1.

„ imagines eorum aspexerit, illorum recordetur, eis- „ que laudibus extollat, qui gloria dignos illos reddi- „ dit. „ (*) Sed nemo nos cogit, ut dicamus, horum vultus fuisse ad vivum expressos. Eos scilicet conjicere, aut ex ingenio efformare poterat pictor, quod temporibus nostris sæpe fit. Illud tamen ex eo testimonio constat, non Martyres solos, sed & veteres Patriarchas, & prophetas fuisse a Christianis tabulâ, aut marmore expressos: quod etiam facile constare poterit ex iis, quæ capite LII. copiose tradidimus.

II. At sane consuevisse Fideles in ipsis Ecclesiæ exordiis, Sanctorum, dum viverent, vultus tabulâ referre, exprimereque coloribus, illud ipsum Eusebii testimonium, quod de Christi imaginibus disserens attuli (b), mirum in modum probat. Hic illud recole. Sed & id ipsum discimus ex Gregorio II. Romano Pontifice, qui quidem hæc habet. (c) *Cum Jacobum fratrem Domini vidissent, pro ut viderant, spectandum ipsum proponentes depinxerunt . . . . . Quando templum Sancti Principis Apostolorum Petri ingredimur, & Sancti pictam imaginem contemplamur &c.*

De Joannis Baptistæ imaginibus hic non loquor, quoniam alibi de iis egi. (*) Hic jã dicta recolat Lector; qui si alias ejusdem Joannis imagines a veteribus commemoratas allegari a me cupit, statim allego, ut ceteros omittam, ex Anastasio Bibliothecario, (*) & Concilio Trullano (*).

III. Negligenda vero non sunt illa vitreorum calicum fragmenta, quæ in cœmeteriis reperta, ab Aringo, (*) Bonarota, (*) Boldeto, (d) & Foggino, (e) illustrata sunt. In iis quippe adeo crebro conspiciuntur Apostolorum effigies, ut peculiarem aliquam indicare necesse non sit.

IV. Pertinent pariter ad hoc caput tum id, quod de imaginibus Petri, & Pauli antiquissimorum Christianorum diligentiâ expressis docent Acta S. Silvestri (tametsi enim a Criticis reprobentur, non propterea tamen omnino reprobanda illa existimo) tum id etiã, quod tradit celebratissima quædã Ambrosii, uti creditur, epistola: (f) quippe personam similem D. Pauli sibi apparuisse ait: nam ex effigie D. Pauli coloribus expressâ, sibique notâ Pauli vultum compertum habebat. *In tertia vero nocte, defecto jejuniis corpore, non dormienti, sed stupenti,* cum

[*] Adde, si vis, exemplum, quod præbet tab. 24. to. 2. mon. Ciampin.

[b] cap. 36. §. 3.

(c) in priore episto. ad Leon. Hau. pag. 655., & 658. to. 8. Concili.

(*) cap. 33. §. 9.

(*) in Sylvestro: sect. 36. *In lava. Agni Beatum Joannem Baptistam ex argento.*

(*) Can. 82.

(*) lib. 4. cap. 37. pag. 265. Rursus cap. 47. pag. 403. & 405.

(*) *Vetri de Cimite.* tab. x. & subseq.

(d) li. 1. cap. 30.

(e) *de itinere D. Petri* exerci. 20.

(f) si tamen Ambrosii illa est: olim 53. nunc 2. in earum numero, quæ in appendicem rejectæ sunt, numero 4.

cum quædam mihi tertia apparuere (S. Martyres) *persona, quæ similis erat beato Apostolo, cujus me vultum pictura docuerat, in tantum ut ipse mecum, illis tacentibus, loqueretur*. Quod si Ambrosio eam epistolam demis, antiquam tamen fatearis, oportet, utpote a Damasceno (*g*), præposito Ambrosii nomine, allegatam.

V. Est & illud non omittendum D. Hieronymi testimonium, quod subministrant comentaria a Sancto Doctore elaborata (*b*): quippe comunem eorum temporum consuetudinem in formandis, retinendisque Apostolorum imaginibus his verbis significat: *Et re vera in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo Saucomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrare.*

VI. Probationem aliam præbent *Vita Chrysostomi*, (*) & Augustinus [*i*] *Et occurrit eis* (inquiens) *Petrus, & Paulus: credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent; quia merita Petri, & Pauli etiam propter eumdem passionis diem celebrius sollemniter Romæ commendat.*

VII. Agnellus etiam historicus ad eandem consuetudinem comprobandam comode afferri potest: quippe hæc ait (*k*): *Fontes Ursianæ Ecclesiæ pulcherrime decoravit* (S. Neon). *Musivo, & auratis tessellis Apostolorum imagines, & nomina cameræ circumpinxit*. Deinceps quoque (*l*). *Infra Ardicam B. Petri Apostoli . . . . & hinc ex una parte effigies vasis electionis Pauli, . . . & ipsæ depictæ sunt . . . . Et isti duo magni Principes, Apostolique, Petrus scilicet, & Paulus, testes sint inter me, & te.*

VIII. Quàm vero frequentes in veteribus Christianorum Sarcophagis Apostolorum effigies sunt! Ex litteris Viri Clarifs. Joannis Bapt. Mauri didici, in eo Sarcophago, quo T. Gorgonii cadaver conditum est, Apostolos conspici. Conspiciuntur quoque non modo in antiquissimo sarcophago Probi, & Probæ (*m*), verum etiam in aliis, (*n*) quos omnes recensere non vacat. Nec iis destituuntur antiquæ Basilicæ, uti constat ex Anastasio, [*] & Ciampino (*o*). Spectant huc quoque verba illa Gregorii Turonici, quæ ex capite 12. libri illius, quem *Vitæ Patrum* inscripsit, deinceps allegabimus. Alia exempla subministrat Clarifs. Fogginius, ad quem Lectorē rejicio (*p*).

IX. Evangelistæ porro tam crebro in iisdem Musivis

[g] oratione 1. inter eas, quas pro *sacrarū imaginū defensione* scripsit pag. 344.
(*b*) in versiculum 6. capitis 4. Jonæ. pag. 425. to. 6. edit. Vero.
(*) allegatur a Damasceno oratio. 1. *de Sanct. imagini. Habebat autem effigiem Apostoli Pauli*. pag. 324.
(*i*) cap. 10. alias n. 16. libri 1. *de consensu Evangelistarū*.
(*k*) In vita S. Neonis cap. 1. pag. 58. 1. par. to. 2. *rer. Italic.*
(*l*) Ibidem. cap. 2. pag. 59.
(*m*) Aringhi: lib. 2. Cap. 10. pag. 281. & 285. to. 1.
(*n*) Ibidem pag. 301. 307. 311 & alibi haud raro.
[*] (in Xisto III.) *Obtulit Valentinianus Augustus imaginem aureā cum duodecim portis, & Apostolos duodecim*. Simile quodpiam narrat de Symacho Papa. sect. 79.
(*o*) to. 1. vet. moni. cap. 25. tab. 70. pag. 235. rursus cap. 28. tab. 77. pag. 271. Item to. 2. cap. 9. tab. 18. & 23. pag. 60., & 73. Cap. 13. tab. 28. pag. 102. tab. 39. pag. 128. Cap. 23. tab. 43. pag. 142. Cap. 29. tab. 53. pag. 166. & alibi haud raro.
(*p*) *de itinere D. Petri* exercit. 20.

vis exprimuntur, ut loca pigeat indicare. Tamen aliqua innuam, ut ex his conjicere de reliquis Lector possit. Inspice itaque Evangelistarum effigies a Ciampino descriptas (*q*).

X. Cave vero putes, Apostolorum & Evangelistarũ effigies tantummodo fuisse a Fidelibus expressas. Martyrum effigies procul dubio efformaverunt, retinueruntque. Recole, quæ nuper ex Stephano Bostrensi protulimus verba. Hæc adiunge ex Gregorio II. [*r*] *Cum Stephanum protomartyrem vidissent, pro ut viderant, spectandum ipsum proponentes depinxerunt, & uno verbo dicam, cum facies Martyrum, qui sanguinem pro Christo fuderant, vidissent, depinxerunt.*

XI. Sed & hic commemoranda sunt vitreorum calicum in cœmeteriis reperta fragmenta, & ab Aringo, (*) Bonarota, (*) Boldeto (*), & Ciampino illustrata.

XII. Nec prætereas aut id, quod de imagine Anastasii Martyris, Legati Pontificis in Nicæno II. residẽtes his verbis testati sunt: (*s*) *Hec imago Sancti Anastasii usque in hodiernum diem est Romæ in Monasterio ipsius, cum precioso ejus capite:* aut veterum Basilicarum musiva, quæ Ciampinus ære expressit, & retulit, (*t*) aut eas picturas, quas ex cœmeteriorum cubiculis expressere Aringus (*u*), & Marangonius (*x*).

XIII. Porro inter eas imagines, aliquæ fortasse extant, quæ Episcopos sanctitate quidem præstantes, sed minime pro Christo occisos referunt. Atque hos ipsos sane Fidelium pietate, ac curâ fuisse expressos, eorumque imagines sane non infrequentes plurimo in honore habitas, testantur primũm quædam Chrysostomi verba, tum alia vetusta monumenta. Audi porro quid Chrysostomus de Meletii imaginibus ab Antiochenis efformatis servatisque memoriæ prodiderit. (*y*)
„ Nam cum assidue cogerentur meminisse illius appel-
„ lationis, & sanctum virum animo complecti, habe-
„ bant hoc nomen tamquam arma quædam, quibus
„ fugabatur quævis a ratione aliena affectio, & cogi-
„ tatio; fuitque id adeo frequens, ut ubique, in biviis,
„ in foro, in agris, & in viis hoc nomen undique
„ circumsonaret. Non erga nomen autem solum adeo
„ affecti eratis, sed erga ipsam etiam figuram cor-
„ poris. Quo modo enim fecistis in nominibus, hoc

etiam

[*q*] to. 1. vet. mon. tab. 75. pag. 241. & to. 2. cap. 9. tab. 18. pag. 69. Rursus tab. 20. & 21. pag. 69. & 70. Denique cap. 11. tab. 24. pag. 81.

(*r*) in priore ad Leonem Isaurem episto. pag. 655. to. 8. Concili.

(*) lib. 4. cap. 37. pag. 265. Rursus cap. 47. pag. 403. & 405. to. 2.

(*) tab. 14. 16. & seq.

(*) lib. 1. cap. 20.

(*s*) action. 4. pag. 866. to. 8. Conci.

[*t*] to. 2. vet. mon. cap. 7. tab. 16. pag. 60. tab. 17. pag. 62. Cap. 9. tab. 19. pag. 67. Cap. 11. tab. 24. pag. 81. cap. 12. tab. 26. & 27. pag. 91. & 97. Cap. 13. tab. 28. pag. 102. Cap. 14. tab. 29. pag. 105. Ca. 15. tab. 30. & 31. pag. 107., & 108. Cap. 16. tab. 32. pag. 112., & alibi haud raro.

(*u*) li. 2. cap. 22. pag. 383., & 385. to. 1. & cap. 42. pag. 355. to. 2.

(*x*) Acta S. Victorini pag. 113.

(*y*) n. 1. Tom. 2. pag. 518.

„ etiam fecistis in illius imagine: etenim in palis an„ nulorum, & in sigillis, & in phialis, & in thalamo„ rum parietibus, & ubique sacram illam multi ex„ presserunt imaginem, ut non solum audirent sanctã „ illam appellationem, sed etiam ubique viderent fi„ guram corporis, & ejus exilii duplicẽ consolationẽ „ acciperent.

XIV. Præclarum est illud quoque ad eundem morẽ testificandum, quod Paulinus (z) de imaginibus Martini, & suâ in baptisterio factis, tradit his versiculis:

Abluitis quicumque animas, & membra lavacris,
Cernite propositas ad bona facta vias.
Adstat perfectæ Martinus regula vitæ:
Paulinus, veniam qui mereare, docet.

Et mox:

Digna sacramentis gemina sub imagine pinxit;
Disceret ut vitæ dona renatus homo.
Martinum veneranda viri testatur imago:
Altera Paulinum forma refert humilem.

XV. Nec alienum abs re nostra id est, quod *de oleo, quod sub imagine picturæ D. Martini in cicendili ardebat*, Gregorius Turonicus refert (*).

XVI. Ab Agnello Ravennate discimus, in Ravennatibus Basilicis pingi consuevisse Ravennatum Episcoporum imagines; ex quibus posteri eorumdem Episcoporum vultus, & staturam assequebantur. *Quam ob rem non post multum tempus ejus* (S. Ursi) (aa) *sanctitas claruit, & in musivo cameræ tribunæ Beati Apollinaris nomen illius cum sua imagine* S. Ursus *descriptus est*. Et alibi: (bb) *infra Ecclesiam B. Johannis Evangelistæ jussit Galla Placidia pro illius sanctitate ejus effigiem tessellis exornari in pariete tribunali post tergum Pontificis supra sedem, ubi Pontifex sedet &c.*

XVII. Atque hunc quidẽ honorẽ solis Episcopis pietate præstantibus minime reservatum novimus. Aliorum etiam Sanctorum effigies coloribus fuisse expressas, exemplo Symeonis stylitæ conjicere possumus; de quo quidem Theodoretus hæc habet: (dd) *Ajunt Romæ, quæ est maxima, eum fuisse adeo omnium sermone celebritum, ut in omnibus officinarum vestibulis, & porticibus ei parvas posuerint imagines, hinc sibi præsidium*

& tu-

(z) in Epistola ad Severum olim 12. nunc 32. n. 3.

(*) li. 1. mirac. S. Martini cap. 15.

(aa) in vita S. Ursi pag. 51. partis 1. to. 2. rer. italic.

(bb) in Vita Petri I. cap. 3. pag. 57.

(dd) in vita Symeo. stylitæ. allegatur act. 4. Concil. II. Nicæ. pag. 914.

& tutelam parantes. His, si vis, ea junge, quæ de ejusdem Symeonis imaginibus tradidere Nicænæ II. Synodi Patres.

XVI. Adjungi his porro comode possunt hæc Gregorii Turonici verba (ee). *Videns autem* (Brachio) *sæpius in oratorio litteras super Iconas Apostolorum, reliquorumque Sanctorum esse conscriptas, exemplavit eas in Codice*. Cujuslibet enim (ut ita loquar) Sanctorum generis imagines coloribus expressas his verbis innuit: (*Apostolorum, reliquorumque Sanctorum*). Recolere hic quoque comode potes ea omnia, quæ de historiis veteris, novique testamenti, priscorum Christianorum pietate, curâque efformatis, alibi diximus. Nihil vero vetat, quominus dicamus, expressos deinceps fuisse reliquos Sanctos, si antiqui illi tam crebro picturâ, aut marmore expressi sunt.

(*) actio. 4. pag. 914. & seq. to. 8. Conci.
(ee) Vitæ Pat. cap. 12.

CAP. LXII.

Ecclesiasticas historias aliquando coloribus, aut marmore fuisse efformatas.

I. AT quoniam *imaginum* nomine non simplices tantum vultus significari consueverunt, verũ etiam ea omnia, quæ historiam aliquam tabulâ, aut marmore repræsentant: agite, quæramus, num tabula aut marmore expresserint Veteres aliqua Sanctorum gesta. Omisisse Latinos Sanctorum historias coloribus efformare, & in Ecclesiis ponere, affirmarunt Græci,

ci, quum hæc dixere (a): *Latini historias Sanctorum, præter passionem Christi, in Ecclesiis suis non designant*. At hos apertissime revincit non modo Pontifex Hadrianus, qui hæc inquit: (b) *Usus sanctæ nostræ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ fuit, & est, quando sanctæ imagines, vel historiæ pinguntur &c.* verum etiam perspicua veterum documenta, quibus plane discimus, Ecclesiasticas historias efformari consuevisse, non raro etiam in sacris basilicis, non modo in Oriēte, verum etiam in Occidente palam fuisse propositas. Ac quamvis minime dubitari soleat, num in Oriente is mos viguerit [id enim fatentur omnes] tamen ad minus docti Lectoris eruditionem aliqua ex Græcorum historiis repetam, quibus id evincatur, tum ad ea monumenta descendam, quibus eandem consuetudinem apud Latinos viguisse, innotescat. Exordior porro ab Eusebio, qui hæc ait: (*) „ Quin etiam in „ sublimi quadam tabulâ, ante vestibulum palatii po„ sitâ, cunctis spectandum proposuit salutare quidem „ signum capiti suo superpositum: infra vero hostem „ illum, & inimicum generis humani, qui impiorum „ tyrannorum operâ Ecclesiam Dei oppugnaverat, „ sub Draconis formâ in præceps ruentem. Quippe „ Divina Oracula in Prophetarum libris Draconē illum, „ & sinuosum serpentem appellarunt. Idcirco Impe„ rator Draconem telis per medium ventrē confixum, „ & in profundos maris gurgites projectum, sub suis, „ suorumque liberorum pedibus, cerâ igne resolutâ de„ pingi, proponique omnibus voluit; hoc videlicet mo„ do designans occultum humani generis hostem, quem „ salutaris illius tropæi, quod capiti ipsius superpo„ situm erat, vi, ac potentiâ in exitii barathrum de„ trusum esse significabat. Atque hoc quidem imago „ variis coloribus depicta tacite indicabat. „

II. Martyrum etiam cruciatus, & tormenta ab iis invicte tolerata, procul dubio expressa sunt. Quis ea de re dubitet, postquam D. Gregorium Nyssenum (c) hæc disserentem audierit? „ Induxit autē etiam pictor „ flores artis in imagine depictos, fortia facta Marty„ ris; repugnantias, cruciatus, efferatas & immanes „ tyrannorum formas, impetus violentos, flameum il„ lum

(a) *ex tractatu Constantinopolitano Patrum Prædicatorum.* hæc verba allegat Christianus Lupus capite V. dissertationis pro VII. Synodo genera.

(b) in episto. ad Carol. M. *pro defensio.* Nicæ. 2. par. 1. cap. 39. pag. 1571. to. 8. Conci.

(*) lib. 3. *de Vita* Constantini cap. 3.

(c) in ipso fere initio Orationis in S. Theodorum tom. 3. pag. 579.

„ lum fornacem, beatissimam consumationem Athletæ, „ certaminum præsidis Christi humanæ formæ effigiē, „ omnia nobis tamquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiose „ depingens, certamina, atque labores Martyris nobis „ expressit, ac tamquā pratum amænum, ac floridū „ templum exornavit.

III. Quod si Basilius (*d*) pictores respicit, non Oratores, qui elegantibus verbis suis ita res describant, ut sub oculos [quod pictores faciunt] rem gestam ponant, præclarissimū subministrat de eo, quod agimus, testimonium. Ad pictores vero, non ad Oratores respexisse, tum ipsa, quibus utitur Basilius, verba fortasse indicant, tum potissimum suffragio suo cōprobant Joannes Damascenus (*e*), & Patres septimæ Synodi, (*) qui Basilii dicta non ad Oratores, sed ad Pictores referunt. Sed ipsa Basilii verba proferamus. (*f*) „ Sed quid puerili balbutie victorem extenuo? . . . . „ Exurgite nunc, o præclari athleticorum gestorum Pictores, mutilam hujus ducis imaginē vestro illustrate „ artificio, & obscurius a me depictum coronatum Athletam, vestræ industriæ coloribus conspicuum reddite. „ Discedam certaminum, ac victoriarum Martyris a „ vobis positâ imagine victus. Gaudeā tali hodie per „ vestram dexteritatem victoriâ superatus. Videam „ manus hujus luctam cum igne exactius a vobis depictam: videam alacriorem pugilem per vestram depictum imaginem. Plorent Dæmones & jam Martyris in nobis perculsi victoriis; ardens iterum illis, „ ac victrix manus ostentetur; pingatur in tabula una, „ & certaminum agonothota Christus, cui sit gloria „ in sæculorum sæcula. Amen.

IV. Asterius (*g*) ad S. Euphemiæ monumentum eleganter hujusce Sanctæ Martyrium pictum his verbis affirmat. „ Cum vero hoc quoque consecutus, unam „ quamdā ex porticibus transirem, vidi in ea picturā „ quandā, cujus me species omnino cepit. Dixisses Euphranoris artificium esse, aut eorum alicujus, qui „ olim plurimum dignitatis picturæ conciliarunt, non „ aliter pingentes, quàm si vivas in tabulis formas exhiberent. Adesdum vero, si voles: quippe etiam „ nunc per tempus enarrare licet: egoque picturam

(*d*) Novi equidem Chrysostomo tribui ab aliis orationem hanc. Sed quisquis illius est auctor, doctus est sane, & vetustus, ideoque dignissimus qui allegetur. Vide quæ Patres S. Mauri n. 2. præfationis in II. Tomum Operum D. Basilii luculenter, & docte de auctore hujus orationis disserunt.

(*e*) oratione prima de imaginibus.

(*) actio. 4. pag. 919. to. 8.

[*f*] numero tertio, aliàs quarto orationis in S. Barlaam.

(*g*) numero 1. sermonis panegyrici S. Euphemiæ: qui quidem sermo allegatur actio. 4. Concilii 2. Nicæ. pag. 855. to. 8.

„ exponam: neque enim nos musarum alumni pejores
„ pictoribus colores habemus. „

V. Atque hunc quidem morem non modo a Græcis, verum a Latinis fuisse servatum iis argumentis evinco, quæ §. 48. capitis 53. retuli: quibus ea addere fortasse possumus, quæ ex Anastasio Bibliothecario didici: fecisse scilicet Constantinum (b) *Actus Apostolorum*: *pensum singulis* (subdit ille) *libras* 300. Comode nimirum ita hæc Anastasii verba interpretari possumus, ut Apostolorum historias metallo exprimi jusserit Constantinus. Sed sane aliquorum Martyrum historias, ejusdem Constantini jussu, fuisse metallo efformatas, idem Anastasius affirmat, dum hæc ait: (*) *Fecit Constantinus . . . . ante corpus B. Laurentii Martyris argento clusam passionem ipsius sigillis ornatam &c.*

(b) in Sylvestro sectio. 38.

(*) Ibidē. sectio. 43.

VI. Hippolyti porro Martyris passionem tabula depictam fuisse, edocet Prudentius hymno X. libri *coronarum*, seu peri stephanon. (*) En ipsos Prudentii versus.

(*) v. 122. & subsequentibus.

Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris
Effigians tracti membra cruenta Viri.
Rorantes saxorum apices vidi, optime Papa,
Purpureasque notas vepribus impositas.
Docta manus virides imitando effingere dumos
Luserat, & minio roseleam saniem &c.

VII. Idem Prudentius simillima edocet hymno octavo ejusdem libri (*i*). En versus septimus, & subsequentes.

(*i*) In eo hymno Cassiani Martyris passionem describit.

Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera, & omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina,
Erexi ad cælum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago Martyris.
Plagas mille gerens totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stylis.
Unde pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur adnotantes scripserant.
Æditus consultus ait, quod prospicis, hospes,
Non est inanis, aut anilis fabula:

Hi-

Historiam pictura refert, quæ tradita libris
Veram vetusti temporis monstrat fidem.

VIII. Num ad eandem consuetudinem asseverandã afferri possint ea Venãtii Fortunati disticha, quæ libro IX. extant, (*) an non; incertus hæreo. Haud tamen (me quidem judice) is errabit, qui ideo ea disticha composita putet, ut miraculis S. Martini picturâ expressis subjicerentur.

IX. Sed procul dubio ad eum morẽ comprobandũ afferri commode possunt eæ picturæ, quæ in vetustis cœmeteriis toleratos a Sanctis Martyribus cruciatus, & tormenta exprimunt. Atque harũ quidẽ non adeo rara habemus exempla, ut a Prudentio nuper allegato tantũmodo repetere ea debeamus. Profecto Aringus Sebastiani, alterius item Martyris carnificibus cruciati vetustas imagines Lectoris oculis subjicit; (k) atque ad eum quidem Lectorem rejicio. Ea addidisse juvabit, quæ Clariss. Marangonius, (l) & Ciampinus (m) tradunt. Finem huic capiti imponimus egregiis illis Gregorii II. verbis: (n) *Quid enim nostræ sunt Ecclesiæ? . . . picturis, historiisque miraculorum a Sanctis editorum, & Christi passionum, ac Sanctæ gloriosæ matris ipsius, Sanctorumque Apostolorum exornatæ sunt.*

(*) pag. 819. tom. 8. Biblioth. Patri Parisi.

(k) li. 4. cap. 37. pag. 335. & cap. 42. pag. 3. to. 2. Adde, si vis, ea quæ pag. 334. & 535. tom. 1. Lectori proponit.

(l) Acta S. Victorini pag. 30. ad quem quidem morem ii respexisse videntur, qui posterioribus seculis ejusdem S. Victorini Martyriũ haud multum fælici picturâ expresserũt. (ibidem pag. 24.)

(m) to. 1. vet. mon. cap. 7. tab. 25. pag. 63. quam tamen picturam ad priora Ecclesiæ tempora referre non audeo.

(n) episto. 1. ad Leo. Isau. pag. 670. to. 8. Conci.

C A P. LXIII.

De symbolicis Sanctorum imaginibus, & aliquibus signis ad eorum imagines appositis.

I. SYmbolicis atque allegoricis imaginibus mirũ in modum Christianos fuisse oblectatos, in superioribus capitibus sæpe diximus. (a) Sed id quoque vetusta alia monumenta declarant, & ut in iis consistã, quæ Sanctorum imagines referunt, advertendum est illud maxime, quod de vetustâ Ravennæ extante picturâ, Agnel-

(a) Vide quæ capite 25. §. 2. & seq. Rursus quæ cap. 46. & subseq. diximus.

Agnellus Ravennas memoriæ prodidit. Atque hujus quidem historici tam perspicua, atque ad id, quod agimus, tam apta sunt verba, ut illa ipsa referre convenientissimum arbitrer. En itaque illa (b). *Ex Ravenna egrediuntur Martyres parte virorum ad Christum euntes; ex Classe Virgines procedunt ad sanctam Virginem Virginum procedentes; & Magi antecedentes munera offerentes. Sed tamen cum variis vestimentis, & non omnes unum indumentum habuissent, depicti sunt, id circo quia ipse divinam Pictor secutus est scripturam. Nam Gaspar aurum obtulit in vestimento hyacinthino, & in ipso vestimento conjugium significatur. Balthasar thus obtulit in vestimento flavo, & in ipso vestimento virginitatem significat. Melchior mirrham obtulit in vestimento vario, & in ipso vestimento pœnitentiam significat. Ipse, qui prævius erat purpurato sago indutus, & per eundem, significat ipsum Regem natum, & passum. Qui autem in vario sago munus nato obtulit, significat in eodem omnes languidos Christum curare, & variis injuriis & diversis Judæorum verberibus flagellari .... Qui vero in candida munus obtulit, significat eum post resurrectionem in claritate esse divina; sicut enim illa tria pretiosa munera, divina in se mysteria continent ... sic & in sagis eorum, ut diximus, tria hæc dona continentur.*

II. Quod si per singulas classes distribui tibi vis Sanctorum imagines, tibi libens pareo, atque ab Apostolis exordium sumo: quod enim nonnulli ex quibusdam Anastasii Bibliothecarii verbis conjecere per symbolicas imagines fuisse expressos Prophetas, adeo aliis obscurum visum est, ut minime apta censeant verba illa ad probationem validam stabiliendam. Porro ecce tibi ea, quæ dixi, Anastasii verba, de quorũ quidẽ vi, ac sensu judicaverit Lector. (c) *Fecit Constantinus ... candelabra aurichalcha septem ante altaria, quæ sunt in pedibus X cum ornatu suo ex argento interclusa sigillis Prophetarum.*

III. De Apostolis, qui columbæ simplicitate, Dæmonis vafritiem vicerunt, hæc ait Paulinus Nolanus (d):

Crucem corona lucido cingit globo,
Cui coronæ sunt corona Apostoli,
Quarum figura est in columbarum choro. (*)

(b) In Vita S. Agnelli cap. 2. pag. 114. par. 1. tomi 2. Rerum Italic. Ciampi: to. 2. vete. mon. tab. 27. pag. 96.

(c) in Sylvestro sect. 36.

[d] epist. ad Seve. olim 12. nunc] 32. num. 10.

(*) Apostolos columbarum specie, ac symbolo fuisse designatos, videtur indicare antiquissima Crux in absside S. Clementis musivo opere expressa. [Vide quæ Casalius, (*de veteribus Christian. riti.* par. 1. cap. 1. pag. 7.) & Gretserus tom. 3. *de Cruce* li. 1. cap. 31. (pag. 139. & 140. edit. Inglost. 1605.) tradunt:] ii quoque Sarcophagi, quos describit Aringus pag. 285., & 311. to. 1. illud denique musivum, quod exprimit tabula 26. tom. 2. vete. mon. Ciampin. (pag. 90.)

IV.

IV. Atque ad hos Paulini versiculos respiciens Ciāpinus minime dubitat, columbarum in Ravennati musivo cruci propinquarum symbolo, indicatos fuisse Apostolos (e).

V. Porro idem Paulinus eodem ipso, quem allegavimus, epistolæ 32. numero 10., alteram symbolicam speciem subjicit, qua expressi ab eo fuerant Evangelistæ. Atque id quidem ipsis Paulini versiculis trado:

Petram superstat ipsa petra Ecclesiæ,
De qua sonori quatuor fontes meant,
Evangelistæ viva Christi flumina,

VI. Ciampinus porro (f) auctoritatem Christiani Druthmari, seu *Grammatici* adducit, qui symbolum hoc, quo Paradisi flumina intelligit, ita explicat (g): ,,Per Gehon, ,, qui dicitur terrenus, significatur Matthæus, qui terrena ,, acta de Christo narravit. Per Tygrim, qui velocitas interpretatur, Marcus, qui cursim acta Domini ,, exposuit. Per Euphratem, qui fertilitas interpretatur, Lucas, qui uberius, & latius Domini gesta decurrit. Per Phison, qui insufflatio potest dici, ,, Joannes, qui excellentius afflatus Spiritu Sancto, de ,, Domini dignitate attigit. Sicut ista quatuor flumina irrigant omnem Mundum, sic quatuor Evangelistæ irrigant omnem Ecclesiam. ,, Id si verum est, infinitis propemodum locis Evangelistas indicatos fateberis; nulla enim fere vetusta Basilica est, quæ hoc symbolo careat (*).

VII. Cave tamen arbitreris, his tantum symbolis Apostolos, & Evangelistas fuisse significatos. Agnorum quidem typo tum Fideles reliquos, tum præsertim Apostolos fuisse indicatos, viri doctissimi censent; quorum etiam monitis edocemur, reliqua symbola omnia, quibus Sancti a Fidelibus designati sunt, Apostolis potissimū, & ut ita loquamur, per *antonomasiam* convenire: hi enim *primitias spiritus* habuerunt, ideoque iis præsertim ea conveniunt symbola, & typi, quibus Sancti exprimi consueverunt: atque id quidem visi sunt ii innuisse, qui inter vitis Christum referentis palmites Apostolos efformarunt (*): indicantes scilicet, palmitum a Christo provenientium allegoriam præsertim Apostolis convenire. At ad Evangelistas peculiariter revertamur.

VIII. Evangelistas porro jam dudum expressos esse notissimis iis symbolis, quæ quisque novit; Matthæum sci-

(e) *In hoc vete hyeroglyphico cum Columba prope Crucem sient, pro Apostolis accipi possunt, ut innuit S. Paulinus &c.*

(f) to. 1. vet. mon. cap. 27. pag. 248.

[g] in expositione in Matth. cap. 1. pag. 279. to. 16. Biblioth. Patr. Parisi.

(*) Agnel. cap. 5. Vit. S. Joan. Angel. pag. 68. par. 1. to. 2. *Rer. Itali.* Ciampin. to. 2. vet. monu. tab. 16. pag. 60. &c. Addere etiam, nisi fallor, possumus vitreum illud fragmentum, cujus typum figurâ 1. tab. 6. præbet Bonarota: sed apertissime id ostentāt vetustæ illæ Cruces, quarū typū præbet Casalius *de vete. Christian. riti.* par. 1. cap. 1. pag. 4., & 7. immo sæpissime sarcophagi veteres, e quibus aliquos tantum indico ex to. 1. Aringhii, quem per paginas hic allego. Vide itaque pag. 281. 293. 295. 297. 299. 321. 425.

(*) Aring. lib. 2. cap. 10. pag. 307. to. 1. cujus quidem Symboli explicationem habes pag. 306.

ſcilicet homine, Lucā Bove, Marcum Leone, Joannem Aquilâ, innumera propemodū exempla comprobant. (*) Pauca afferam, ſed vetuſta, & perſpicua. Ac primū quidē hic coīnemoranda ſunt quædam Anaſtaſii Bibliothecarii verba, quibus id videtur innuere (*b*). *Fecit autem* (Conſtantinus) *candelabra aurichalca in pedibus* 10. *numero quatuor; argento concluſa cum ſigillis argenteis*. Nimirum viri docti ex his verbis conjiciunt, ſigilla candelabris quatuor impreſsa, ea fuiſſe ſigna, quibus quatuor Evangeliſtas indicare conſuevimus. Id porro aliis etiā, haud multum a prioribus remotis, ejuſdem Anaſtaſii verbis confirmant: (*i*) *Conſtituit candelabra aurea & argentea ante lignum ſanctum lucentia, ſecundum numerum Evangeliorum quatuor*. Hæc enim poſtremo loco coīnemorata quatuor candelabra, numero Evangeliorum, ideoque Evangeliſtarum reſpondentia innuunt illa quoque, quæ priori loco memoravimus, Evangeliſtarum numero reſpondiſſe, ideoque mirū non eſſe, ſi in iis notiſſima Evangeliſtarum ſymbola cum ſigillis argenteis imprimi juſserit Conſtantinus. Sed hæc conjiciendo diximus.

IX. Quod ſi expreſſa ipſa monumenta afferri vis, quibus conſtet, iis, quæ diximus, ſymbolis Evangeliſtas jam dudū fuiſse denotatos, ſtatim affero. In vetuſtiſſima Sanctorum Coſmæ, & Damiani Baſilica, duo Evangeliſtæ, Matthæus, & Joannes, hominis, & Aquilæ typo exprimantur: (*k*) at cunctos exhibet vetuſtiſſimum Muſivum Eccleſiæ S. Vitalis Ravennæ. (*) Viſuntur pariter in antiquo muſivo *S. Apollinaris in Claſſe*. (*l*) Nec contemnas volo eaſdem imagines tum in Oratorio S. Venantii (*m*), tū in Eccleſia S. Marci (*n*), tum aliis etiam in locis jam pridem expreſſas. (*)

X. Quum vero paulo ante dixi, columbarum typo expreſſos fuiſse Apoſtolos, non ita verba illa accipias volo, ut ſymbolum illud reliquos Sanctos minime denotet, imo ſæpiſſime ad eos denotandos deductum novimus (*). At inter Sanctos ii porro viſi ſunt expreſſius columbarū formis deſignari, qui vel ſimplicitate, vel caritate, (*) vel præſtantiſſimo Virginitatis candore ceteris eminebant. Hinc ob dotes iſtas, aut certe ob harum aliquam indicandam columbæ ſpecie viſæ ſunt nonnullorum Sanctorum animæ e corpore egredi. In quibuſdā

(*) Quid hæc ſymbola denotent, docet Ciampi. tom. 1. vete. monu. cap. 21. pag., 191., & ſubſ.

(*b*) n. ſeu ſect. 38.

(*i*) ſectio. 41.

(*k*) Ciampin. vete. mon. tom. 2. cap. 7. tab. 15. pag. 58.

(*) cap. 9. tab. 20. & 21. pag. 69. & 70.

(*l*) ibidem cap. 11. tab. 24. pag. 81.

(*m*) Cap. 15. tab. 30. pag. 107.

(*n*) Ibidem cap. 19. tab. 36. pag. 121.

(*) Adde ſi vis ea quæ idem Ciampinus tom. 1. vet. mon. cap. 21. tab. 48. pag. 191. & tab. 75. pag. 241. præbet. Rurſus tomo 2. cap. 9. tab. 20. & 21. pag. 69., & 70. cap. 15. tab. 30. pag. 107. cap. 19. tab. 35. pag. 121.

(*) Vide tab. 47., & 74. to. 1. vet. monu. Ciampi.

(*) Quanam ratione ea caritas, quæ Martyres facit, columbæ ſymbolo indicetur, docet Bonarota pag. 126.

dam codicibus Actorum S. Polycarpi id apertissime traditur. (*) Prudentius vero hæc de Sancta Eulalia ait (*)

Emicat inde columba repens,
Martyris os nive candidior
Visa relinquere & astra sequi:
Spiritus hic erat Eulaliæ &c. (*).

Idque ipsum rursus evenisse ajunt, dum Potiti [*], & & Theresiæ animæ (*) ferebantur ad superos.

XI. Licet porro palmæ ad indicandos quoslibet Sanctos adhibitæ sæpe sint, (*) peculiari tamen modo Martyribus tributa palma est, quia scilicet peculiari præstantissimaque ratione Tyrannos, & Dæmonem, ceterosque Ecclesiæ hostes vicerunt. (o)

XII. Quod de palmis dixi, ad coronas traduci facile potest; quibus quidem vetusta monumenta minime carent (*). Agnetis sane vetustissimam effigiem vitro expressam affert Clariss. Bonarota, (p) in qua quidē eadem Agnes stans picta est, mediaque inter duas colūbas rostro coronam tenentes, & veluti eidem Agneti offerentes, quibus symbolis illius virginitas indicatur, aut potius juncta Virginitati Martyrii gloria; adeo ut altera ex his coronis Martyrium, Virginitatē innuat altera. Id insinuat, procul dubio, Prudentius, quum hæc ait [q]:

Duplex Corona est præstita Martyri,
Intactum ab omni crimine Virginal,
Mortis deinde gloria liberæ.

Et sub finem hymni (r):

Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus Martyris innubæ:
Unam decemplex edita sexies
Merces perenni lumine conficit:
Centenus extat fructus in altera.
O Virgo felix, ob nova gloria,
Cælestis arcis nobilis incola;
Intende nostris colluvionibus
Vultum gemello cum diademate.

Et de Sanctorum mortali vitâ functorum, cælestique beatitudine potitorum imaginibus, hactenus.

(*) n. 13. aliàs 16. pag. 31., & 37. editio. Vero.
(*) hym. 3. peri ste. v. 161. Grego. Turo. *de glor. Marty.* ca. 91.
(*) Potiti Act. Boll. 13. Janu. cap. 7. pag. 764. to. 1.
(*) in vita S. Theresiæ, & in Brev. Romano.
[*] Id sane videntur tradere Grego. M. li. 19. mora. ca. 16. aliàs 25., & Cassio. in ps. 91. v. 12., aliàs 13. Sed & id indicatum plerique putant in veteribus Musivis, Sarcophagis, & lucernis: Sancti enim quicumque illi sint, aut palmis inniximi, aut medii inter palmas exhibentur. Vide pag. 321. & 517. tom. 1. Aring. Vide etiam tab. 16. 26. 51., & 52. to. 2. vet. mon. Ciampini.
(o) Vide quæ docet Aringus li. 6. ca. 43. pag. 638.
(*) Bonarota fig. 1. tab. 15. item prima tab. 16. & 17. secundâ tab. 20. pag. 133. & 134. Ciampi. to. 2. vet. mon. tab. 26. & 27. pag. 90. & 97. Adde eos vetustos scriptores, quos iidem Bonarota, & Ciampinus allegāt.
(p) figura seu imagine 3. tab. 18.
(q) hym. 13. aliàs 14. Periste. *in S. Agnetem*, v. 7.
(r) idest v. 118.

CAP. LXIV.

Pauca addimus de quibusdam imaginibus, quibus a Veteribus expressi sunt Christiani.

I. QUando quidem in symbolicis imaginibus Sanctos exprimentibus versamur, non alienum ab argumento, de quo agimus, fuerit, eas imagines speciesque perquirere, quibus Fideles militantis Ecclesiæ, qui (ut alibi vidimus) (a) in sacris ipsis Scripturis *Sancti* sæpissime appellantur, expressi sunt. Porro paucas e plurimis seligo: si enim vellem singulas enumerare, in immensum oratio cresceret. Ovium imagine, & specie fuisse eos indicatos, ignorat nemo, & raras invenies musivis picturis ornatas vetustarũ Ecclesiarum absides, in quibus eædem oves non appareāt. (b) Respiciunt autē apertissime eæ species ad illa Evangelii verba, in quibus sub ovium typo Fideles suos Dominus significat: ac præsertim ad decimum Joannis caput, in quo quidem loco id Dominus luculentissime exsequitur. (c)

II. In iis porro vetustis musivis, quorum nuper meminimus, ita fere exprimuntur oves, ut a duabus Urbibus exeant, quarum quidem una (uti ex frequenti inscriptione constat) Bethleem est, Hierusalem altera: ad eum vero se vertant, suosque gressus dirigunt locum, in quo vel agnus, vel crux (quibus quidem symbolis Dominus Jesus significatur) (d) exprimuntur; ut scilicet indicetur, ex quibus populis formata sit Ecclesia; ex gentibus nempe, [quarum primitiæ Magi in Bethleem Dominum adoraverunt, & ab eo suscepti sunt] & ex Hebræis [quorum Regia Hierusalem erat: de qua quidem urbe hæc prædixerat Isaias (f): *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem*:] ut pariter indicetur, ad quemnam vertenda sint vota nostra gressusque: nimirum ad Dominum Jesum, qui veluti *agnus* pro nobis *oblatus est*, & cujus Crux (g) Judæis scandalum fuit, gentibus autem stultitia visa est, nostra vero salus est, & glorificatio.

(a) in præfatio. capitis 61.

(b) Vide quæ tradit Ciampinus parte 1. veter. monumen., tab. 49. pag. 200. rursus tab. 67. pag. 227. par. 2. tab. 15. pag. 60. tab. 24. pag. 81. tab. 37. pag. 122. & *de ædificiis Const.* tab. 13. pag. 42. & alibi etiam.

[c] Vide etiã Matth. 15. 24. Luc. 15. 4.

(d) Vide dicta cap. 47. & 49.

(f) cap. 2. v. 3.

(g) 1. Chorin. 1. 23.

III.

III. Sed duarum mulierum typo fuisse aliquando expressas easdem Ecclesias, Ciampinus pariter, proposito exemplo vetustissimi musivi, aperte ostendit. (*b*) Eum Lector consulat.

IV. Pisciculorum etiam symbolo eosdem Fideles fuisse expressos, extra dubium positum est. Innuit id vetustissimus scriptor Clemens Alexandrinus, hæc inquiens: *Sint autem vobis signacula, columba, vel piscis &c.* (*) Ad quæ quidem verba respiciens Halloix (*i*) hæc ait: „ Clemens agens de anulis Christianorum „ obsignatoriis, suadet inter alia, ut piscis figura in „ ipsis insculpatur, non aliâ, opinor, de causâ, quàm „ ut memores sint aquarũ baptismi, in quibus, tanquam „ pisciculi, vitam acceperint, in Christo Jesu post exutum „ veterem hominem, renati. „ Docet id ipsum Tertullianus, quum hæc pronunciat: (*k*) . *Sed nos pisciculi secundum ἰχθῦν nostrũ Jesum Christum in aqua nascimur, nec aliter, quàm in aqua permanendo salvi sumus*. Quod alibi his verbis confirmat: (*l*) *Alia caro volucrum, id est Martyrum, qui ad superiora conantur: alia autem piscium, id est quibus aqua baptismatis sufficit*.

V. Indicat porro Clemens Alexandrinus in iis, quæ paulo antea retulimus, verbis, columbarum imagine indicatos fuisse Christianos: *columba, vel piscis*: sive quod iis obsequendum esset Domini monitis: *Estote simplices sicut columbæ*: (*m*) sive quod ad eam pertineant mysticam arcam (Ecclesiam nempe, quam sæpe Noeticæ arcæ symbolo expressam novimus) quam Spiritus Sanctus, qui columbæ specie jam pridem apparuit, peculiariter visit, & diligit. Sed quæcunque hujusce symboli fuerit causa, columbarum specie, procul dubio, expressi Christiani sunt. Atque ad hoc quidem argumentum allatos vidi a viris Clarissimis illos Paulini Nolani versiculos (*n*):

Quæque super signum (*) *resident cæleste columbæ,*
Simplicibus produnt Regna patere Dei.

Et mox:

Nos quoque perficies placitas tibi, Christe, columbas,
Si vigeat puris pax tua pectoribus.

Sed & huc apprime spectant ea Paschasii Rathberti verba, quæ quãquã notissima sunt, ea tamen referre hic placet.

(*b*) to. 1. vet. mon. cap. 21. tab. 48. pag. 191.

(*) Clementis verba retulimus §. 5. capitis XV.

(*i*) in illustrium 2. seculi Scripto. vitis: pag. 143.

(*k*) *de baptis.* cap. 1.

(*l*) *de resurre. carnis* cap. 52.

[*m*] Matth. 10. 16.

(*n*) Episto. ad Seve. olim 12. nunc 32. n. 14.

(*) [Crucẽnempe.]

(o) „ Apparuit autem in columba (*Spiritus ſanctus*), „ ut per eam exponeret, quales futuri erant, qui ad „ gratiam ejuſdem Spiritus pervenirent. Ex quo, „ quia columba fel non habet, patenter inſinuat, quod „ in felle amaritudinis eſſe non debet, quiſquis ad hanc „ gratiam venire devotus exoptat; ſed ſimplicitatem „ atque innocentiam, quam de ſe videntibus exhibet, „ animo retinere, atque moribus, conſpicientibus ſe „ in faciem, ſimplicitatem vitæ repræſentare. Columbarum quippe privilegia quàm plurima enarrantur; „ quod hæc avis præter fluenta reſidens aquarum, inſidiantium ſibi umbras provida conſideratione intendat, & laqueos exinde nimia ſuſpectionis diligentià „ celer evadat. Siquidem & tantæ benignitatis a natura fertur, ut omnium avium pullos, quaſi proprios „ dicatur ſuſcipere, atque ſuis laboribus enutrire. Eſt „ itaque mitiſſima in tantum, ut nec roſtro, neque unguibus cupiat aliquem lacerare, ne minimos quidem „ muſculos vel vermiculos, quibus minores pene omnium aviculæ ſe, ſuoſque nutriunt, edere dicuntur. „ Gemitum quoque pro cantu habere noſcuntur. Unde quidam devotionis obtentu: *Fuerunt mihi lacrymæ* „ *meæ panes*, inquit, *die ac nocte, dum dicitur mihi cottidie; ubi eſt Deus tuus?* (*) Tali ſiquidẽ meditationis „ affectu, totius Eccleſiæ habitum lugentis exprimit, ac „ quid in nobis Spiritus ſanctus gerat, per hoc patenter inſinuat; poſtulat enĩ pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hinc inde quia gemere nos docet. Unde „ & in columba merito apparuit, ut per eam nos doceret, quid ipſe in nobis gerat, vel ipſi in eo quales „ eſſe debeamus. Solet itaque nidificare in foraminibus petræ, ſeu in caverna maceriæ &c. „ Si quis plura hoc ſuper argumento veterum Patrum teſtimonia congeſta videre cupiat, ea conſulat, quæ Aringus (p) & editor operum S. Paulini Nolani (q) docent. Hinc mirum non eſt, ſi tam crebro in vetuſtis monumentis expreſſas columbas conſpicis.

VI. Adeſt & aliud ſymbolum: Cervus nẽpe, *qui aut deſiderans ad fontes aquarum*, aut puriſſimos Chriſti latices bibens ſæpe exprimitur: quo quidẽ ſymbolo populus Chriſtianus exprimitur, qui exhibitam a Chriſto aquã cupere debet, & eã tantum ſitim explere. (r) Exẽpla hujuſce ſymboli pauca, eaque in margine indico, cum notiſſima ea

(o) Paſchaſ. Rathber. lib. 2. in Matth. to. 14. Biblio. Patr. Lugdu. pag. 407. & ſeq.

(*) Pſal. 41. 4.

(p) li. 6. cap. 35.

(q) ad nuper allegatos Paulini verſiculos nota 168.

(r) Joan. 4. 11. 13. &c. Et rurſus ca. 7. v. 37.

ea ſint. (*) Explicationem vero illius, minime adjungo, cum per ſe perſpicuum ſit. Si quis tamen multa hoc ſuper argumento collecta cupiat, Aringum conſulat (ſ).

VII. Phœnicis ſpecie ſignificatos fuiſſe Chriſtianos, non pauci putant; (*) ſive quod reſurrectionem expectant, cujus quidem ſymbolum phœnix extitit, ſive quod illius diſcipuli, & conſectatores ſunt, qui veluti phœnix (ſic enim veteribus loqui placuit) e cineribus ſuis vividior exiluit, glorioſamque, atque immortalem vitam agit.

VIII. Affinis priori ſymbolo palma eſt, (t) de qua hæc ait Plinius: (*) *Mirumque de ea accepimus, cum Phœnice ave, quæ putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepiſſe, emori, ac renaſci ex ſe ipſa.* Quamquam alia etiam poteſt eſſe cauſa, cur ad ſignificandam Eccleſiam, ideoque Fideles, quos ea comprehendit, adhibita palma ſit. Sicut enim de palmâ memoriæ vulgatum eſt, ponderi quidem eam cedere, ſed ab eo non opprimi, atque adeo illo amoto ſtatim aſſurgere, ita Eccleſia Tyrannorum jugo minime oppreſſa eſt, ſed virtutem vigoremque, eodem jugo excuſſo, plane admirabilem obtinuit. Sed & huc facit, quod palmæ tribuunt Scriptores omnes: ad ſignificandam ſcilicet de ſuperato hoſte victoriam eam adhiberi: hinc vulgatiſſimum illud *palmam retulit*, idem eſt, ac victoriam conſecutus eſt. (*) Victoriam itaque adverſus Dæmonem, & tyrannos relatam palmâ Chriſtianorum imaginibus appoſita innuit, atque ad eam ſignificandam rectiſſime adhibita eſt.

(*) Caſali. *de vete. Chriſtia. riti.* par. 1. cap. 1. pag. 4. & 7. Ciampin. to. 2. vet. mon. tab. 49. pag. 151. & *de ædific. Conſtan.* tab. 13. pag. 42. Arin. li. 6. cap. 33. tom. 2. pag. 603.

(ſ) Ibidem.

(*) Conſule ea quæ tradunt Bonaro. *Vetri &c.* pag. 44. & 45. Phœnicem vero ipſam expreſſam conſpicis in iis locis, quæ idem Bonarota allegat, & in eo Sarcophago, quæ pag. 307. to. 1. Aringus exhibet.

(t) Id plane innuere videntur palmæ Cruci, & nomini Chriſti quibus ſymbolis Chriſtiana Religio hic indicatur) aut ſymbolis Eccleſiam, & Fideles in eâ comprehenſos referentibus, appoſitę. Vide, obſecro, quæ docet Boldetus li. 1. cap. 51. pag. 271., & 273. Conſule quoque Tabulam 32. Ciampin. *de ædifi. Conſtan.* pag. 131. cujus ſimiles aliæ inveniri facile poterunt.

(*) li. 13. cap. 9.

(*) Conſule quæ tradunt Aringus li. 6. cap. 43. & Boldetus lib. 1. cap. 40. & ſeq.

CAP.

CAP. LXV.

De Angelorum imaginibus:

Alio rejecto Lectore de Hebræorum consuetudine hac in re sollicito, paucisque hoc super argumento traditis, antiquissimum fuisse ostendimus Christianis morem, ut Angelos repræsentarent: ad id vero symbolicis speciebus, & formis usos fuisse, simillimum veri esse.

I. Quoniam sæpe numero ab Hebræis ipsis consuetudines nostras, ritusque desumpsimus, hic exposcet facile quispiam, ut eam etiam consuetudinem, qua Angelos pingimus, a Judæis repetamus. Atque huic quidē quæstioni facile obsequerer, nisi id, quantum præsenti instituto satis est, jam dudum a nobis peractum fuisse existimarem. Adeat itaque lector ea, quæ capite IX. tradidimus, palamque agnoscet, haud eos errare, qui ab Hebræis ipsis eam consuetudinem deducunt, qua Angelorum imagines efformamus. Cui quidem persuasioni, ii ipsi (quod alibi advertimus (*)) ii, inquam, ipsi minime fortasse obsistunt, qui Cherubinorum species valde dissimiles fuisse pronunciant ab iis, quibus Angeli pinguntur. Etenim quæcunque tandem eorum esset forma, Angelos illâ ipsâ formâ fuisse repræsentatos, manifestū esse videtur. Præterquā quod interdū saltem humanâ specie illos apparuisse, fuisseque efformatos, ex eo facile constat, quod Cherubim stricto gladio præpositus est Paradiso, ne ad illum reverteretur Adamus. (*) An non ad stringendum gladium aptior est hominis manus, ideoque etiam species? Illi etiam Cherubin, quorum alis arca velabatur, humanâ formâ fuisse repræsentatos, plerique non modo e Catholicis, verū etiam ex Protestantibus, atque adeo ex Hebræis ipsis affirmant; atque ad hos quidem Lectorem allego. Venio ad Christianos.

II. Tam etsi porro de iis imaginibus, quibus Angelos exprimere Christiani consueverunt, nonnulla in superioribus dissertationis hujusce capitibus attigerimus, (a) ex quibus quidem conjici facile potest, eas & antiquas, & laudabiles putari a nobis, postulat tamen

(*) cap. 9. §. 3.

(*) Gen. 3. 24. Manus quoque Cherub describitur Ezechiel. 10. v. 7., & 8. Quicumque ergo esset eorum vultus, (nam aliqua saltem ex parte, humana Cherubim inerat facies (Ezech. 10. 14.) neque omnes, nisi fallimur, quadruplici facie eos fuisse ajunt: Hinc Ezechiel quasi a reliquis discriminans, *quatuor autē facies* (inquit cap. 10. v. 14.) *habebat unum.*) Quicumque, inquam, esset eorum vultus, cum reliquo corpore humanam formam referrent, humana specie pingi facile poterant, & revera humana specie formatus est Cherub ille, qui vetustissimæ Cruci, in Romana S. Clementis æde, subest. (Casali. de vete. Christ. riti. par. 1. cap. 1. pag. 4.)

(a) cap. 25. §. 2. &c. & aliis etiam in locis.

men

men suscepti muneris ratio, ut multo copiosius eo de argumento agamus, ostendamusque non modo consuetudinem illam antiquam esse, verum etiam in Ecclesia jugiter retentam, continuatamque. Atque hic quidem in limine ipso recolamus necesse est, quæ de varia rem eandem, atque in primis cum reliquos spiritus, tum præsertim Angelos pingendi ratione jam dixi; quæque hic explicarem, nisi id alibi cumulate præstitissem. (b) Mirari porro minime debebit Lector, si affirmo, a primis ipsis Ecclesiæ seculis consuetudinem eam facile repeti posse. Cujus quidem opinionis nostræ si fundamenta requiris, scito afferri quidē ab antiquis consuevisse verba ea Dionysii Areopagitæ, quæ mox adducam, quæque etiam allegat Hadrianus primus [c]: afferri quoque consuevisse hæc Methodii, vetustissimi sane Martyris, dicta (d): *Quas quidem auro imagines conflamus, Angelorum ipsius Principatus, & potestates referentes, eas ad honorem, & gloriam Dei conficimus.* Sed scripta hæc (ut nemo ignorat) in Criticorum offensionem inciderunt, adeo ut vel iis auctoribus, quorum nomen in fronte præferunt, temere adjudicata doceant, vel certe additamentis aliquibus interpolata, & pene dicerem, polluta: [e] qua de re alii judicent. His itaque omissis, aliò convertimur.

III. Ea profecto, quæ ex Anastasio, & reliquis scriptoribus deinceps afferam, mirum in modum id, quod agimus, cōprobant. Sane Nazianzenus (f) pingendorū Angelorum consuetudinem aperte, enucleateque declarat: *Si quidem* (inquiens) *Angelicum est, vestitus candor, & splendor, cum corporea forma pinguntur: ad designandam, nisi fallor, naturalem ipsorum puritatem.*

IV. Hic nonnulli referunt verba illa ex Ambrosii (ut quidem putant) cōmentariis in epistolā ad Romanos. (g) *Qua ratione, quave auctoritate imagines Angelorum... adorādæ sunt? &c.* Sed dubitare merito possumus, nū recte allegetur hoc testimoniū, de quo alibi diligentius agemus (*).

V. Quid quod idem ille Severus, quem perstringit (h) Joannes Cabalensium Episcopus, Angelorum imagines revera non reprehendit, sed tantum eorum vestes, quas purpureas alii faciebant, albas volebat pingi? „ Multum autem sermonem in „ tribunali stans faciebat, & multitudini persuadere „ ten-

(b) cap. 23. §. 1. & cap. 25.

(c) in ea epistola, in qua Nicænæ secundæ Synodi adversus Carolum M. defensionem suscipit: par. 1. cap. 36. pag. 1570. tom. 8. Conci.

(d) orat. 2. *de Resurrect.* apud Joan. Damasce. orat. 3. in fine. pag. 300. to. 1.

[e] Vide quæ tradunt Tillemont to. 5. histo. Eccles. pag. 470. &c. editio. Venet. Dupin tom. 1. pag. 195. & seq. præsertim 199. Denique Oudin tom. 1. pag. 209. & seq. Lipſ. 1722.

(f) in ipso fere initio orationis 23. pag. 409. to. 1.

(g) allegatur in libro, qui inscribitur: *Synodus Parisiensis de imaginibus* pag. 116.

(*) differ. 10.

(h) to. 8. Conc. pag. 1023.

„ tentabat in ipso multoties sacrario Sanctissimi Mi„ chaelis, quod non purpurea Angelis vestimenta con„ veniant, sed alba: non ignorans quod sanctis Virtu„ tibus curæ non sunt vestimenta: sed satagens & hac „ ratione dividere, & in alterutrum comovere multos „ sic, & aliter sic habentes.„

VI. Non defuit, qui hoc ipso in argumento, Theodoreti auctoritate uteretur; at num ad nostros Angelos pertineant illæ Angelorum effigies, quarum ille meminit (*), incertus hæreo. Judicet Lector, cui ipsa Theodoreti verba subjicio: *Et quemadmodum qui apud homines imperium obtinent, per temporum intervalla nummorum imagines mutant, Leonum interdum effigies imprimentes, interdum stellarum, & Angelorum, sic universorũ Rex &c.*

(*) in vita Symeonis Stylitæ tom. 3. pag. 883. editio. Sirmondi.

VII. Sed cur alia perquirimus, qui Pontificio, & valde antiquo testimonio, vetustã hanc esse consuetudinem, & Ecclesiastica auctoritate confirmatã, ostendere facile possumus? Huc itaque spectat prior Gregorii II. ad Leonem Isauricum epistola. (*) *Nos ipsi* (hæc ad Leonem scribebat Gregorius) *cum Ecclesias ingredimur, & miraculorum Domini Jesu Christi picturas contemplamur, ac S. Matris ejus, Dominum, Deumque nostrum lactentem in ulnis habentis, Angelosque circumstantes, ac ter Sanctũ hymnum canentes, non sine compunctione regredimur.*

(*) pag. 659. tom. 8. Conci.

VIII. Symbolicis porro imaginibus consuevisse eosdem Angelos pingi, indubitata res est, & monumentis, quæ deinceps allegabimus, apertissime ostenditur. Ac pro multis quidem hic satis esse queat scriptor ille, qui Dionysius Areopagita appellatur, quippe aut æqualis Apostolorum is fuit (tam etsi illius scripta posterioris alicujus auctoris licentiã aucta fuerint, & interpolata,) aut certe 5. ipso Ecclesiæ sæculo vixit. Atqui ea Angelorum descriptio, quã ille habet, id quod agimus, mirũ in modũ comprobat; symbolicis scilicet quibusdã formis exprimi consuevisse a Fidelibus Angelos: ita enim is loquitur, ut rem veluti usitatã describat. Præstat autem eam interpretationem hic proponere, quam Corderius exhibet: atque iis omissis, quæ de tributis Angelis, in eorum quidem imaginibus, membris valde probabilia proponit; sane quod ad alas eorum humeris appositas pertinet, hæc ait: „ Propter quod etiam pennatos Sanctarum Intelligen-

„ tia-

„ tiarum pedes Theologia finxit. Penna siquidem declarat ad sublimia ducendi velocitatē, & cælestis vitæ cursum, ad anteriora semper, atque celsiora promoventem, & supera petendo, terrena fugientē: pennarū enim levitas designat id, quod nulla ex parte terrenū est, sed se toto sine admixtione, ac gravitate sursum fertur: nuditas vero, calceorumque privatio, virtutem illam abstractam, & expeditam, & puram ab omni externo additamento, quæ divinæ simplicitati, quantum fas est, assimilatur. „ Tum alia adjungit circa eorum vestes, quæ cum multa sint, hic describere minime conveniens puto. Poterit porro Lector per se ipse Dionysium consulere. Atque ad hæc quidem verba, vide quæ tradunt Optimi Pachymeres, & Corderius.

IX. Sed enim quid ego de vetustate hujusce moris disserens id prætereo, quod ex viris Optimis Marangonio, & Lupo didici? in Saturnini scilicet cœmeterio pictā adhuc reperiri vetustissimam inscriptionem Rufinæ Martyri positam, quam circumstent, & veluti tueantur Angeli ea ratione picti, qua Veteres Genios suos pingere consueverant; additis scilicet humero alis: [24] neque vero illud Geniorum genus, quod Gentilium superstitio admittebat, hic fuisse expressum, is qui sapit, dicere audebit; reliquum itaque est, ut Angeli, ea ratione, qua eos pingere consuevimus, expressi ibi fuerint.

X. Atque hac quidem formâ nonnulli putant fuisse efformatos eos Angelos, quos vivente Diocletiano expressos fuisse, ex Actis S. Procopii novimus. (i) Efformatos quoque fuisse eos, quos, referente Anastasio Bibliothecario, (k) Constantinus Augustus fecit, simillimum veri est. Sic porro loquitur Anastasius: „ *Fecit Angelos quatuor ex argento, qui sunt in pedibus quinis, costas cum crucibus tenentes, qui pensaverunt singuli libras* 105. *cum gemmis alavandinis in oculos*. Nisi por-

(24) „ In parte inferiori Cœmeterii S. Thrasonis, seu Saturnini a nobis repertum est hoc Epitaphium cum Vase adjecto sanguine resperso, scriptum minio super tectorio picturis rudibus exornato, anno 1730. Utrinque duo genii alati ansas triangulares veluti manibus sustinent. Illud quoque in memoratum suum Opus retulit laudatiss. P. Antonius Maria Lupi in Tab. S. num. 2. (*) „

(i) allegant actio. 4. Conci. II. Nicæni Patres pag. 930. *Et erecta cruce apparerent tres in ea imagines, & erat superscriptū hebraica dictione sursum in principio Emanuel: & in utrisque initiis Michael, & Gabriel*: Vide cap. 5. Vitæ S. Procopii apud Surium (pag. 119. tom. 4.) In Criticorum tamen reprehensionem hæc Acta incidisse significant Tillemont to. 5. *histor. Eccl.* pag. 605. editio. Venetæ & egregii illi viri, qui Bollandi labores prosequuntur. (pag. 554. to. 2. Julii. n. 15. comment: prævii *in Acta S. Procopii*.)

(k) In vita Sylvestri sect. 36.

(*) Act. S. Saturnini. In appendice pag. 80.

ro alæ additæ fuissent eorũ humeris, aut aliud simile indicium iis appositum, unde nam Angelos formâ illâ, qua expressi ii fuerint, designatos fuisse dices? Aligeros sane eos appellant prisci ii versus, quos ex Agnello subjicimus (*l*).

Christe Patris Verbum, cuncti concordia Mundi,
Qui ut finem nescis, sic quoque principium.
Te circum sistunt dicentes ter Sanctus, & amen
Aligeri testes, *quos tua dextra regit.*

XI. Sed prætereunda nobis non sunt expressissima perinde ac vetustissima exempla Angelorum humanâ formâ, alis tantum humero additis, expressorum. An recentes eæ sunt Angelorum species, quæ Romæ in antiquissima æde S. Mariæ *ad Nives* (quam etiam S. Mariæ Majoris vocant) a Sixto III. [*m*] jam formatæ sunt, quarum typos primùm quidem edidit Ciampinus (*n*), tum rursus Vir egregius Franciscus Blanchinus (*o*)? Eæ quoque Angelorum species, quæ pariter Romæ in Basilica Sanctorum Cosmæ, & Damiani (*p*) expressæ sunt, & quas ære incidi jussit Ciampinus, cujus etiam curâ expressæ ære sunt similes Angelorum imagines, quæ in Sacris S. Agathæ (*q*), & S. Vitalis ædibus, Ravennæ musivo opere formatæ sunt? [*r*] Et ne Ravenna discedamus, in S. Apollinaris æde, quam S. *Apollinarem novum* appellant, Angelos eâdem specie fuisse expressos, assequimur ex eodem Ciampino, qui eos quoque ære incidi voluit, suisque libris inseri: (*s*) quod & sæpe præstitit; adeo ut merito ad virũ hunc clarissimum rejici possit Lector [*t*].

XII. Eundem quoque morem comprobant eæ Angelorum formæ, tam etsi non æque antiquæ, quæ in Templo, D. Joannis Baptistæ nomini, a Theodolindâ Langobardorum Reginâ Modiciæ erecto, & in coronâ Agilulphi Regis expressæ sunt. (*u*) Has vero ad initium fere sæculi sexti referimus.

XIII. Sed cur non adjungimus illas Angelorum imagines, quæ phrygio opere, in *mitra S. Sylvestri* efformatæ sunt, ideoque vetustissimæ? (*x*) Verum, ut eos omittam, qui mitram illam rotundam cuperent, ut illius esset similis, quam antiquissima S. Sylvestri imago refert: (*y*) ut hos, inquam, omittam; minus antiquâ manu efformatos non pauci putant Angelos illos, ornatus cujusdam, & devotionis causâ. Nũ recta eorũ opinio sit, judicent alii.

XIV.

[*l*] Hos in sacra æde S. Crucis a Galla Placidia Ravennæ ædificata extitisse, affirmat Agnellus in vita S. Joannis Angelopti (quẽ Episcopũ electum fuisse ajunt anno 432. Vide pag. 16.) cap. 5. pag. 68. par. 1. to. 1. *Rer. Italic.*

[*m*] anno 432. electus est Pontifex Sixtus III. Apostolicam porro Cathedrã octo fere annos tenuit. Pagi. Brev.

[*n*] par. 1. *vet. monu.* cap. 22. tab. 49. pag. 200.

(*o*) tom. 3. Anasta. Biblioth. pag. 124.

(*p*) a Fælice III. dicto IV. anno 530. eã erectam, & musivis ornatam fuisse ait Ciampinus par. 2. *vet. monu.* ca. 7. pag. 49. Ibidem tab. 15. pag. 58., & rursus tab. 17. pag. 63.

(*q*) to. 1. *vet. monu.* cap. 20. tab. 46. pag. 184. elaboratas vero fuisse ait eas Angelorum imagines, Exsuperantii Episcopi jussu, atque iis ornatam apsidem.

(*r*) to. 2. *vet. mon.* tab. 18. 19. 20., & 21. cap. 9. pag. 67. 68. 69., & 70.

(*s*) Ibidem tab. 25. & 27. pag. 90. & 95.

(*t*) Vide, ut summatim

XIV. Nefas vero sit hoc in argumento versantes Chrysostomi testimonium præterire: præsertim quum & vetustior sit Pater, & aliā valde præstantē rationem afferat, ob quam alatos pingimus Angelos. *Sicut alæ* (inquit ille [z]) *naturæ sublimitatem indicant*, (*etenim Gabriel volans repræsentatur, non quod Angelis sint alæ, sed ut ediscas, ex altissimis locis, atque ex supremo domicilio illum ad humanam adventare naturam*) *sic & in istis* [Angelis] *nihil aliud alæ, quàm sublimitatem naturæ significant*.

C A P. LXVI.

Recensentur, ac dissolvuntur objectiones quædam adversus ea, quæ proxime præcedenti capite protulimus.

I. TOt illa, & tam perspicua probatissimaque monumenta, quæ superiori capite attulimus, satis virium, ut puto, habent ad eorum repellendam audaciam, qui asserere non verentur, recentem esse, & a Veteribus improbatā cōsuetudinē, quæ nobis est, ut Angelos symbolicâ specie jā descriptâ exprimamus. At id prætereundū nobis non est, quod adversus ea, quæ disseruimus, intorquēt. Sic itaque disputant. Quis putet, Angelos fuisse pictos, aut similitudine aliqua expressos, nisi fortasse a paucis, quorum exemplum, atque auctoritatem quanto quisque magis contempserit, tanto erit sapientior? Quippe falsa prorsus opinione ii nitebantur: Angelos scilicet corporeos esse, & spatio comprehensos & circumscriptos, & ob id pingi posse, & ære exprimi. Id liquido constat ex verbis Joannis Thessalonicensis, quæ recitata sunt actione V. Concilii VII. generalis: [a] ,, Nos ,, ergo, non ut deos, sed ut creaturas spirituales, & ,, ministros Dei, & non ut proprie incorporeos existentes, pingentes, & honorantes Angelos, non peccamus: quod vero in humanā eos formā pingamus, ,, propterea factum est, quod frequenter sic apparuerint his, ad quos missi sunt a solo Deo.,, Et ne suspicari quis possit, vocabula *corpus*, & affinia alia in minus

tim exempla aliqua e plurimis indicem, in eodem volumine tab. 31. pag. 108. tab. 38. pag. 125. tab. 41. pag. 134. tab. 43. pag. 142., rursus ta. 44., & 45. pa. 142., & 145. &c. (u) delineatas has habes par. 1. to. 1. *rerum Italicarum* a Clarissimis Muratorio, & Sociis Palatinis editarum. Vide pag. 460. ejusdem tomi.

(u) Vide typum hujusce mitræ pag. 370. to. 2. edit. Romæ. ann. 1729. Operum Clarissi. Angeli Rocchæ.

(y) Filippini *della Chiesa di SS. Silvestro, e Martino* cap. 5. pag. 25. Rursus pag. 56. itineris Italici Montfauconii, & alibi etiam.

(z) homilia 3. *de incomprehensibili Dei natura* n. 5. pag. 468. tom. 1. editio. Mont-faucon.

(a) Tom. VIII. col 1206.

propria significatione eum sumere, sicut sumere visi sunt nonnulli Veteres, (*) ita sensa sua explicat, ut apertissime constet, in vulgatâ, rigorosâ, & comuni significatione vocabula hæc ab eo adhiberi. „ De Angelis, & Archangelis (*inquit ille*), & Sanctis Virtutibus, quæ super „ istos sunt, adeam autē etiam nostras hominum animas, intelligibiles quidem eos, Catholica, & Apostolica novit Ecclesia, non tamen incorporales omnino, & invisibiles, sicut vos Pagani fatemini: subtiles autem corpore, & aereos, & igneos, secundum id, quod scriptum est: (*) *qui facit Angelos suos spiritus, & ministros ignem urentem*. Et hoc multos Sanctorum Patrum nostrorum sensisse invenimus „ In quorum numero extant Basilius Magnus, Sanctæ memoriæ Athanasius, atque Methodius, & qui circa ipsos sunt: sola enim, ut veraciter fateamur, Divinitas est incorporalis, & incircumscripta: porro intelligibiles Creaturæ non omnino incorporales, & invisibiles, ut Divinitas, sunt: propter quod in loco sunt, & circumscriptæ consistunt. Porro sicubi reperis incorporeos vocari Angelos, aut Dæmones, aut animas, tamquā non existentes de comixtione quatuor materialiū elementorū, sic eos noveris appellatos, cum non sint & ipsi corpora crassa, & similia his, quibus nos circumdamur: licet, ut verius fateamur, ad comparationem nostri, incorporei sint: at vero visi sunt a plurimis crebro sensibiliter in specie propriorum corporum suorum (visi sunt autē ab his, quibus aperuit Deus oculos) & loco circumscripti monstrantur, cū non sint omnino incorporei, sicut Divina natura. Nos ergo, non ut Deos &c.,, Porro hæc a veritate alienissima sunt, ideoque erit etiam a veritate alienum, eos passim fuisse pictos: quis enim sibi in animū inducet, in tam absona sententia fuisse multos? Hæc adversarii.

(*) Vide quæ de Tertulliano diximus, quum *de Divina simplicitate* disseruimus.

(*) Psa. 103. 4.

II. At vos hæc reponite. Joannis Thessalonicensis temporibus sensisse non paucos, (quibus tamen alii, iique magni nominis Viri obstiterunt) Angelos esse corporeos, copiose alibi ostendam. (*b*) Potuit itaque Joannes eorum sequi sententiam, & eam deducere ad Ecclesiasticam consuetudinem, qua Angelos pingimus, comprobandam; quippe sæpe videmus adhiberi ad cō-

(*b*) in tractatu *de Angelis*.

pro-

probanda dogmata, & traditiones Ecclesiæ, probationes eas, quæ facile solubiles sunt. Innititur vero non his Ecclesia, sed Veterũ auctoritate: sinit tamen Theologos his etiam rationibus uti, ut ii, quibus illæ placent, hujusmodi subsidio minime destituantur. Sic in Concilio Florentino, ut ostenderetur, Spiritum sanctum a Filio procedere, non neglecta est probatio, quã Scotistæ, & Bacconici levi habent in pretio: scilicet propterea a Filio procedere, quia si a Patre solo procederet, a Filio minime distingueretur. Sed, ut in Joannis Thessalonicensis testimonio consistam, non pauci dubitant, num Tarasius, ideoque Concilium (quod verbis iis: *Etiam Domine*, approbare visum est Tarasii dicta) ratam habuerit Joannis Thessalonicensis sententiam, an non. Qui id negant, relatam tantummodo ajunt Joannis Thessalonicensis sententiam; a Tarasio vero neque approbatam, neque repulsam, sed in sua, quæcumque illa sit, probabilitate relictam. Id scilicet innotescere ajunt ex iis Tarasii verbis: *Ostendit vero Pater, quod & Angelos oporteat pingi, quoniam circumscripti sunt, & veluti homines apparuerunt multis*

III. At alii, qui non integram quidem sententiam, sed illius tantum partem, illamque ipsam mitiori explicatione lenitam, approbatam à Tarasio fuisse ajunt, sic disputant. Tametsi tria proposuisset Joannes Thessalonicensis, ad consuetudinem, qua Angelos pingimus, comprobandam: *nempe eos esse corporeos: loco circumscriptos: denique hominibus apparuisse in specie propriorum corporum*: primum prorsus omittit Tarasius: secundum admittit quidem; sed in significatione longe diversa: mitissime vero interpretatur tertium: nam sic vertens: *Veluti homines apparuerunt multis*, indicat non eam a se excipi circumscriptionem, quæ propria sit eorum corporum, & quã, ut ita loquar, *naturaliter* habeant Angeli, sed eam tantum circumscriptionem, quæ propria sit corporum ab iis assumptorum, *dum veluti homines apparuerunt multis*. Ad hanc sane interpretationem videntur nos impellere multa, sed hæc præsertim. Ignorare non poterat Tarasius in Concilio actione 4. recitatam fuisse, & miris laudibus comẽndatam, & approbatã epistolam Germani Episcopi Constantinopolitani: in qua quidẽ epistola expressissime traditur, & Athanasii auctoritate ea compro-

probatur opinio, quæ Angelos esse spirituales affirmat, accepta spiritualitate in vera, & rigorosa significatione. En verba ipsa, quæ dixi, epistolæ Germani Episcopi Constantinopolitani. (c) *Sed & beatus Athanasius illud Psalmi dictum interpretans*, qui sedes super Cherubî, appare, *talem de illis tradidit intelligentiam. Et certe illorum Cherubin principalia ignota sunt omnimodis natura hominibus: spiritus enim, (*) & ignis existunt, & ab omni corporali formatione, atque natura extranea. Quæ enim de illis corpulentius a Propheta dicta sunt, symbolicum, & anagogicũ sensum habent, aliter intelligi non valentia secundum venerabilem rationem, & id, quod incorporalia decet.* Ignorare non poterat sive Tarasius, sive Concilium, in fine IV. sessionis, ideoque *in definitione* ipsâ dicta hæc fuisse: (*) *Honorifice adoramus iconas . . . Sanctorum etiam, & incorporalium Angelorum: ut homines enim justis apparuerant*: corporis enim expertes (*incorporales*) hic dicuntur Angeli, & sub corporibus non suis (*ut homines*) justis apparuisse. Non poterat ergo sive Tarasius, sive Concilium Joannis Thessalonicensis approbare sententiã, nisi vellet præcedenti suæ approbationi adversari. Superest ergo, ut quoniam aliqua saltem ex parte visus est eam Tarasius, & deinceps approbare Conciliũ, eam tantum partem approbarint, in qua traditur, propterea pingi, *quia veluti homines apparuerunt:* (& hujus sane tantummodo meminit definitio sessionis IV.) ideoque ea circumscriptio, quã excipit Tarasius, erit circumscriptio corporum eorum, quæ assumpserunt dum apparuerunt, non eorum, quæ propria Angeli habeant, cum ex sententia Germani, & Athanasii omnino non habeant.

IV. Ad hæc: An ignoras Scriptores etiam sacros illâ figurâ uti, quam Rhetores hendyadim appellant? cujus generis est illud *pateris libamus, & auro*, idest pateris aureis: item illud *aurum, frænosque momordit*: idest frænos aureos; & ne a Scriptura discedamus, hujusmodi sunt illa: (d) *sint in signa, & tempora, & dies, & annos*: idest sint in signa temporum, dierum, & annorum: & alibi: (e) *Videte ne quis vos seducat per philosophiã, & inanem fallaciam*; idest per philosophiam inanis fallaciæ, sive quæ sit inanis fallacia. Tum vero sic inter-

pre-

(c) Tomo VIII. col. 947. sed testimoniũ, quod allegatur, extat col. 962.

(*) id est accensi, divino amore, aut aliud simile.

(*) pag. 971.

(d) Gene. 1. 14.

(e) Coloss. 2. 8.

pretaberis verba illa: *Angelos oporteat pingi*, *quoniam circumscripti sunt*, & *veluti homines apparuerunt*: quoniã apparuerunt circumscripti sicuti homines. Vel si id non placeat, dic sumpsisse Tarasium particulam græcam respondentem latinæ & exegeticè, quod sæpe fit, veluti in illo (f) *quorum repletæ*, & (idest) *consecratæ sunt manus*: replere enim manus oleo, erat eas consecrare ad Sacerdotium: quo etiam modo sumitur particula & Matth. 13. 41., & Jerem. 34. v. 1. Tum vero sic explicabis verba Tarasii: *quoniam circumscripti*, & (idest) *veluti homines apparuerunt*. Multum juvabit ad superiores explicationes confirmandas meminisse, Tarasium in ea epistola, quam ad Constantinum, & Irenem; & suo, & totius Concilii nomine scripsit (h), hanc tantum attulisse rationem, cur Angeli pingerentur, quod hominibus apparuerint. [i] *Simul acclamavimus, veritatemque prædicavimus; omnimodis videlicet recipiendas venerabiles imagines Domini Jesu Christi . . . . atque intemeratæ Dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis, Sanctorumque Angelorum (ut enim homines apparuerunt his, qui digni facti sunt apparitione ipsorum) una cum omnibus Sanctis*.

[f] Numero: 3.3.

(h) habetur post actionem septimam Concilii hujus.

(i) pag. 1227. sed testimonium, quod allegatur, extat pag. 1231.

C A P. LXVII.

Perspicuis monumentis ostendimus, expressos quoque fuisse Angelos eâ, quâ interdum hominibus apparuerant, formâ.

I. SEd dum de eâ formâ ac specie loquor, quâ exprimi Angeli consueverunt, prætereundum mihi non est aliud imaginum genus, quibus pariter veteres Christiani Sanctos Angelos expresserunt. Noverunt scilicet, multa per Angelos (humanâ formâ procul dubio assumptâ, (a)) peracta fuisse, quæ dum veteres Christiani coloribus exprimere studuere, Angelos

(a) Num Angeli formas alias assumpserint, disputatur ab interpretibus. Ajunt nonnulli, columnam eam, quæ Hebræorum castra in solitudine præcedebat, Angelũ fuisse, qui eam assumpserat formam: currum quoque igneum, equosque itẽ igneos, quibus raptus in cælum Helias est, totidem Angelos ea specie contectos fuisse volunt alii; at ex Corporeis rebus, (veluti ex nubium materia, aut simili quapiam) eas coagmentatas fuisse docent, quas iidem Angeli moderarentur, & regerent; minime vero formas, quas ipsi assumpsissent.

los coacti sunt humanâ formâ, aliisque etiam, sub quibus apparuerunt, exprimere. Nec dubitare fas est, quin sæpissime id factum sit: præsertim quum noverimus, Christianos veteres ad sacras historias coloribus exprimendas valde fuisse propensos; nec pauca exempla sint, quibus Angelorum operâ usus sit Deus. Atque huic quidē rei fidē conciliant eæ, quæ etiam nū supersunt, vetustissimæ picturæ, (*) veterum quoque Patrum testimonia, e quibus hic unum seligam, ne id, quod dixi, temere, & sine mercede locutus existimer. Chrysostomo ego quidem tribuere non audeo eam orationem, quæ sic inscribitur: *quod veteris, & novi testamenti unus auctor sit, & in Sacerdotis indumentum:* tamen ea antiqua est, & Chrysostomo tribuitur a Damasceno, & Nicæno II. Porro in ea apertissime mentio fit picturæ, in qua Angeli ea, qua hominibus apparuerunt forma, exprimebantur. Nū ea de re dubitas? Hic recole ea verba, quæ §. 40. capitis 52. allegavi, & manifesto videbis me vera profari.

(*) Vide cap. 52. §. 17. &c.

II. Addere quoque potes magnam partem picturarum, quæ veteris novique testamenti historias referunt. Crebro enim in iis formâ eâ, qua apparuerunt, exprimuntur Angeli. Itaque ad hoc caput pertinent picturæ, quæ sacrificium Abrahami, convivium, quo Angelos ille excepit, & reliquas hujusmodi historias referebant. Porro hæ frequentes erant admodum; & sane non paucas refert triumphalis arcus in æde S. Mariæ Majoris a Xysto III. erectus, de quo alibi mentionem feci.

III. Hic etiam recole testimonia Joannis Episcopi Thessalonicensis, Synodi Nicænæ II. & Tarasii, quæ paulo ante allegavimus. (*) Et de his nolo plura.

(*) cap. 56. §. 2. & 3.

CAP.

CAP. LXVIII.

De loco, in quo servatæ sint à Christianis, sacræ Imagines.

In locis fere omnibus, atque adeo in templis ipsis, sacrisque basilicis positas fuisse sacras imagines.

I. AD disquisitionem hanc profecto non levem nos pæne invitos compellunt reprehensiones eorum, qui Catholicos violatæ Religionis, ac contemptæ antiquitatis accusant, quòd Sanctorum imagines nimis frequentes habeant, ideoque non modo in privatas, verum etiam in publicas ædes, atque adeo in sacras ipsas Basilicas ac templa inferant; multo aliter (adversariorum quidem sententia) ac pietas poscat, & veteres consueverint. Aliò porro rejectâ ea quæstionis parte, quæ pietatem respicit, statim ostendimus, hæc omnia jam dudum apud Fideles in more fuisse posita. Et sane privatis domibus, & in cubiculis retentas fuisse sacras imagines, declarat id, quod ex vita S. Joannis Chrysostomi adduxere Damascenus,(*) & alii, id est. ,, Habebat porro (*Chrysostomus*) effigiem ,, ejusdem Apostoli Pauli in imagine, ubi propter cor- ,, poris imbecillitatem parumper quiescebat. Erat ,, enim supra quam natura patiatur, vigilans. In hanc ,, effigiem, quando perlegebat illius epistolas, oculo- ,, rum aciem intendebat, in eaque, non secus, ac si Pau- ,, lus ipse vivus esset, obtutu defixus inhærebat, bea- ,, tum ipsum appellans, totamque animi cogitationē ,, ad illum dirigens, & cum eo versans, & loquens ,, contemplando. ,,

(*) orat. 1. *pro sacra. imagi. defens.* pag. 26. editio. Zini.

II. Non modo in cubiculis atque in ipsis thalamorū parietibus, verum etiam in anulis, in sigillis, & in phialis retinuisse Antiochenos Meletii imaginem, intelligimus ex Chrysostomo, quem jam allegavi. (*a*)

(*a*) cap. 61. §. 13.

III. In vasis pictos fuisse Apostolos, testatur Hiero-

 ny-

mus. (b) In vestibus sacris consuevisse fideles Christũ, & Sanctos exprimere, tradit sæpissime Anastasius Bibliothecarius. Quosdam etiam in quotidianis, & usitatis vestibus pinxisse Christum, ideoque, nisi fallimur, Sanctos, vetusta illa reprehensio perspicue ostendit: (c) *Noli Christum pingere in vestimentis, sed potius horum sumptus pauperibus eroga.* Multo scilicet consultius erat, id pauperibus erogare, quod in texendis, apponendisque cõmunibus vestibus, ideoque minus aptis ad conciliandam erga Sanctos venerationem, eorundem Sanctorum imaginibus nonnulli impendebant.

III. Pluribus, ideoque (nisi plane decipimur) diversis in locis, omnium oculis expositas fuisse ad visendum Salvatoris nostri, Petri quoque, & Pauli imagines, tradit Augustinus (d). In officinis Simeonis Stylitæ servatas fuisse imagines, discimus ex Theodoreto, quem jam citavi. (e) In foro, & locis manifestis expressas fuisse boni pastoris, & Danielis species, apertissime tradit Eusebius, cujus pariter verba recensui. (f) In publico pariter loco fuisse expositam S. Polemonis imaginem, innuere videntur verba illa *quæ cum juxta portam venisset.* (*) Immo nullum fere in Antiochena Urbe locum, Meletii imagine caruisse, manifesto Chrysostomus docet. (g) Cœmeteria sacris imaginibus fuisse ornata, Romana, aliaque etiam cœmeteria testantur (h). Denique in locis omnibus retentas fuisse sacras imagines, liquido ostendunt verba illa Theodori Studitæ ad Imperatorem Leonem Armenum. (*) *Nec locus ullus est, non regio, non domus, in qua Divinæ imagines affixæ non sint.*

IV. At quod domi, in cœmeteriis, & in officinis serventur, minus acerbe Protestantes ferunt, quibus mirum in modum displicet pingi in templis imagines; eumque morem probabili Veterum exemplo destitutum esse ajunt. Verum antequam antiquitatem illius, de quo agimus, moris ostendam, hoc primum statuo: tres ob causas picturis decorari posse templa, ac sacras Basilicas a Christianis; ut iis ornentur eadem sacra templa, & Basilicæ: ut historica aliqua monumenta exprimant, & iis populos instruant: ut denique ad venerandum veluti proponant, exhibeantque imagines eorum, qui ibi exprimuntur. Ac primum quidem pluri-

(b) Vide cap. 61. §. 5.

(c) Ex Asterio Amaseno allegatur, & explicatur hoc testimonium actio. VI. Concilii Nicæni II. pag. 1138.

(d) li. 1. de consen. Evan. cap. 10. aliàs n. 16.

(e) cap. 61. §. 17.

(f) cap. 46. §. 13. ex lib. 3. *de vit. Constant.* cap. 49.

(*) ex carmine Gregorii Nazianzeni *de virtute*: & refertur in Niceno II. act. 4. pag. 854. & subs.

(g) Recole dicta §. 13. capitis 61.

(h) Vide quæ tradũt Bosius, Aringus, Boldetus, & Marangonius.

(*) In vita Theodori studitæ n. 69. pag. 34.

rimis vetustis monumentis constat. Ciampinus sane haud pauca hujus generis exempla præbet, quorum aliqua in margine indico: (*) atque ex his quidem intelliges, vario, interdum etiam amæno, lepidoque picturę genere ornatas fuisse Ecclesias a Christianis, aut certe ab ædificatis antea a Gentilibus, & eo picturarum genere ornatis Basilicis, minime deletas picturas eas, cum eædem Basilicæ ad sacros Christianorum ritus traducerentur.

V. Inter græcas epistolas, quas præposito Gregorii Nazianzeni nomine evulgavit, & latina interpretatione donavit Clariss. J. B. Caracciolus, septima procul dubio earum picturarum meminit, (i) quæ sacræ ædis ornatui tantummodo inservisse videntur.

VI. Ea etiam, quæ in SS. Ursi, & Neonis vita prodidit Agnellus, rem eandem procul dubio confirmant (k).

VII. Feras in Basilica S. Bibiani, ornatus (ut puto) causâ, fuisse pictas, hæc Venantii Fortunati carmina testantur (*):

Ingenio perfecta novo tabulata coruscant,
Artificemque putas hic animasse feras.

VIII. Quamquam itaque Nilo viro eximio, mos hic displicuisse videtur, (26) tamen procul dubio usitatissimus fuit

(*) 1. vet. mon. ca. cap. 7. tab. 21. 22. &c. *De ædific. Constant.* cap. 10. tab. 30. et 31. pag. 130. Et tom. 2. vet. mon. cap. et tab. 1. pag. 2.

(i) Vide pag. 77. γραφαῖς τισι &c. Putarunt nonnulli eodem spectare verba illa ejusdē Nysseni n. 1. orationis in S. Theodorum: *ubi faber in animalium figuram lignum formavit, & latomus ad argenti levitatem crustas lapideas expolivit*. Sed accidentalis, ut ita loquar, non jugis Ecclesiæ ornatus hic fortasse indicatur: describitur enim ornatus sacræ ædis, dum festa S. Theodori dies agebatur.

[k] cap. 1. vitæ Ursi: *super totius templi testudinem tessellis variis diversas figuras composuit ... Hinc, atque illic gypseis metallis diversa hominum, animaliumque, & quadrupedū ænigmata inciserunt, & valde optime cōposuerūt.* (pag. 51. par. 1. to. 2. *rer. itali.* Et cap. 1. vitæ Neonis. *Sartatecta Templi innovata sunt; variis coloribus depingere fecit.* (pag. 58.)

(*) li. 1. opuscu. cap. seu epigrā. 12. pag. 775. to. 8. Biblioth. Pat. edit. Pari.

[26] ,, Scribis mihi si putas, decorum fit sibi extructuro templum maximum ad honorem tam Sanctorum Martyrum, quàm Christi, eum ipsi per certamina, & dolores, ac sudores testificati sunt, vel imagines etiam ponere in sacrario, & variis animalium venationibus parietes implere a dextris, & a sinistris, ita ut videantur in terra quidem extensa lina, & lepores, & capræ, & cetera animalia fugere: porro illi capere festinantes, cum catellis alacriter insequi: in mari vero laxari retia, & omne genus piscium capi, & ad aridam piscatoriis manibus ferri .... Ego ad ea, quæ scripta sunt, dixerim, quia nimirum infantium est, & parvulos decet his, quæ prædicta sunt, seducere Fidelium oculum: firmi vero, & virilis sensus proprium est, in sacrario quidem ad orientem divini templi, unam et solam crucem formare .... historiis autem veteris, & novi testamenti replere hinc, & inde manu optimi pictoris templum Sanctorum, quatenus qui nesciunt litteras, neque possunt legere divinas scripturas, contemplatione picturæ memoriam sumant fortis facti eorum, qui vero Deo proprie servierunt, & ad æmulationem erigantur gloriosarum, & memorabilium actionum &c.,, pag. 875. to. 8. Concil.

fuit; & ab eo sane Roma ipsa (uti ex vetustis pavimentis adhuc permanentibus, & cœmeteriorum picturis constat) minime abhorruit. Cujus quidem rei si typicam, & symbolicam rationem quæris, illam tibi præbebunt Ciampinus, aliique viri Clarissimi, sed præsertim Aringus. (*l*).

(*l*) lib. 6. capite 32. & subseq.

IX. Num vero picturæ in Ecclesiis positæ etiam sint, veluti historica monumenta, is minime dubitabit, qui ad ea advertat animum, quæ de Ravennatibus Episcopis sæpe tradit Agnellus? Aliqua e pluribus indicabo. In Vita S. Ursi hæc lego (*m*): *In musivo cameræ tribunæ Beati Apollinaris nomen illius una cum sua imagine* S. Ursus *descriptus est*. In vita porro S. Petri senioris memoriæ hæc prodidit. (*n*) *Petrus . . . . tenui corpore, procerâ statura, macilentus effigie, prolixam habens barbam*. Et paulo post. (*o*) *Et infra Ecclesiam B. Johannis Evangelistæ jussit Galla Placidia pro illius* (Petri) *sanctitate, ejus effigiem tessellis exornari . . . . Quæ effigies ita facta est: prolixam habens barbam &c.* Expressius vero in Vita S. Exuperantii. (*p*) *De vero illorum* (Ravennatum Episcoporum) *effigie, si forte cogitator fuerit inter vos, quomodo scire potui; sciatis, quod me pictura docuit, quia semper fiebant imagines suis temporibus ad illorum similitudinem*. Alia ex Agnello si addidero, videbor fortasse inutilem navare operam: si enim *semper fiebant* Ravennatum Episcoporum imagines, eæque in basilicâ aliquâ conspicuæ apparebant (quod quidem ex multis Agnelli locis constat) quis vertere in dubium poterit, num in sacris basilicis imagines, quibus historica aliqua monumenta exprimerentur, fuerint positæ?

(*m*) pag. 51.

(*n*) cap. 1. pag. 56.

(*o*) cap. 3. pag. 57.

(*p*) cap. 2. pag. 62.

X. Sed antequam Ravenna discedo, liceat ex Venantio Fortunato monumentum aliud, non minus effigiei S. Martini exprimendæ, quàm pietatis causâ erectum, describere. Etenim sic suum ille alloquitur librum:

(*) sub finem lib. 4. *de Vita S. Martini* pag. 772. to. 8. Biblio. Paris. Patr.

Inde Ravennatem placitam pete dulcius Urbem.
* * * * * * * * *
Est ibi Basilicæ culmen Pauli, atque Joannis.
Hic paries retinet Sancti (*) *sub imagine formam,*
Amplectenda ipso dulci pictura colore.
Sub pedibus justi paries habet ante fenestram.
Licnus adest, cujus vitreâ natat ignis in urnâ.

(*) (Martini)

XII.

XI. Is tamen peculiaris Ravennæ mos minime fuit. Reliqua omitto, ut in eo sistam, quod Basilica S. Pauli, *extra Urbem* nobis præbet. In ea scilicet non modo Romanorum Pontificum effigies exprimi mos fuit, verum etiam diligentius describi tempus, quo Pontificatum ii gesserunt: cujus quidē rei testē profero Franciscū Blanchinum, qui cumulatius eâ de re disseruit. (*) Nec defuere qui vetustorum Pontificum imagines in Basilica S. Sabinæ se invenisse arbitrarentur. (q)

XII. Cave tamen putes simplicis eruditionis causa fuisse sacras imagines in templis positas. Sane Gregorius M. Serenū reprehēdēs, propterea quod sacras imagines fregisset, atque e tēplo eliminasset, easdē sacras imagines in templis retinendas esse ait, quod documento sint rudibus, & litterarum expertibus. Quo quidem monito satis constat, non illud tantum eruditionis genus ex imaginibus in templis positis percipi, quod intellectum instruit, verum etiam illud, quod ad imitationem, & similia gesta voluntatem acuit, accenditque: proptereaque etjam liquet, valde errare eos, qui levissimas ob causas Christianos eo comodo privant.

XIII. Sed ut hi revincantur, nec jure quisquam dubitare amplius possit, num (quod Catholici asseverant) vetustissimo, multiplici, & valde probabili exemplo mos hic comprobetur; primis ipsis Ecclesiæ sæculis sacras imagines in templa fuisse introductas, ostendo. *Ex eo enim* (inquit Hadrianus Pontifex (*)) *quo Christi Dei nostri Ecclesiæ quietis, & pacis apertæ sunt fores, hactenusque depictæ Ecclesiæ imaginibus sunt ornatæ.* Et rursus deinceps (r). „ Ecce ut præmissum est, San„ ctorum figuræ ab ipsis Sanctis fidei nostræ rudimen„ tis apud omnes fuerunt Christianos, atque in Eccle„ siis Sanctorum sacræ figuræ expressæ, atque depictæ „ hactenus fuerunt; quatenus gentilitas paganorum „ conspecta Divinæ Scripturæ depicta historia, ab ido„ lorum cultura, & Dæmonum simulacris ad verum „ Christianitatis lumen, atque amoris Dei culturā ver„ ti deberet: sicut & precipuus pater, atque idoneus „ prædicator beatus Gregorius hujus Apostolicæ sedis „ præsul ait, ut hi, qui *literas nesciunt, saltem in parieti„ bus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent.* „ Ob hoc quippe sancti probatissimi patres ipsas imagi„ nes, atque picturas divinæ Scripturæ, & gesta Sanctorū „ *in Ecclesiis* depingi statuerunt &c.

XIV.

(*) in prolome. Tom. II. Anastas. Biblio. Opusc. XI. cap. 3. & seq. pag. LXX. &c.

(q) Vide tab. 47. tomi 2. vete. monu. Ciampi. pag. 108. Ad eum etiam, de quo agimus, morem comprobandum deduci fortasse poterunt ea monumenta, quæ allegant ii Clariss. Viri, qui Gregorii M. illiusque Genitorum effigies ære incidi jusserunt: Menardus scilicet in Sacramētario Gregorii M. Mabillonius tom. 1. Annalium. Benedicti. l. i. 10. pag. 258. editio. Lucens. & Mont-fauconius in editione Operum S. Gregorii to. 4. pag. 313. &c.

(*) in epist. ad Constanti. & Irenē AA. quæ habetur in initio ipso Actionis II. Nicæni II. pag. 747. tom. 8. Conci.

(r) pag. 750.

XIV. Quod si tanti Pontificis testimonium non satis sit, vos alia proferte. Quamquam, nisi ego fallor, aliunde testimonia conquirere non opus habemus, qui in rem nostram aptissima jam produxerimus. Quorsum enim aliò spectant, ne cunctos referam, Basilii (si ad Pictores respexisse eum vis) (s), Gregorii Nysseni, (*) Ambrosii (t), Asterii, (u) Paulini, (x) Augustini (y), Agnelli (*), atque adeo Aringhii, & Ciampini allegata jam testimonia, nisi ut apertissime ostendamus, aut in templis ipsis, aut in locis tam proximis templo, ut ad templum ipsum pertinere viderentur, ad populos instruendos esse propositas aut Martyrû passiones, aut historias veteris, novique testamenti: morem hunc, summum in modum, approbante Nilo illo, cujus epistolam ad Olimpiodorum citavimus? (*) Eam porro consuetudinem exemplo confirmarunt suo Epiphanii discipuli, qui tanti Viri imaginem in templo collocarunt; confirmasse videtur Gregorius Turonicus (z), confirmavit denique, ne sexcentos recenseam, Leontius ille, cujus operâ, (ut iisdem utar verbis, quibus usus est Venantius Fortunatus (*))

Sumpsit imagineas paries simulando figuras:
Quæ neque tecta prius, hæc modo picta nitent.

XV. Sed quis silentio prætereat quædam Gregorii II. verba, quibus quidem quàm late mos hic pateret, videtur innuere? (a) ,, Quid enim nostræ sunt ,, Ecclesiæ? . . . . . . picturis, historiisque mira-,, culorum a Sanctis editorum, & Christi passionum, ,, ac sanctæ gloriosæ matris ipsius, Sanctorumque Apo-,, stolorum exornatæ sunt . . . & viri, ac mulieres ,, pueros parvulos nuper baptizatos in ulnis suis tenen-,, tes, itemque florentes ætate juvenes, & ex genti-,, bus diversis profectos, indicatis digito historiis, eos ,, ædificant, eorumque mentes, & corda sursum ad Deû ,, erigunt &c.,,

XVI. Et hæc quidem ipsa rationum momenta veteres Christianos adducere facile potuerunt, ut eos Sanctos, quorum imagines in Ecclesiâ habebant, venerarentur, ideoque easdê imagines [cultu scilicet relativo, de quo quidem argumento commodius alibi disputabimus) colerent. Quid enî facilius accidere potest, quàm ut ad eos, quos nostros apud Deum patronos, & adjutores, ejusdê quoque Dei amicos, & familiares esse novimus, &

(s) cap. 61. §. 3.
(*) Ibidem §. 2.
(t) cap. 52. §. 15. 18. & 19. &c.
(u) cap. 61. §. 4.
(x) cap. 52. §. 41.
(y) cap. 53. §. 47.
(*) cap. 52. §. 6. & deinceps sæpissime.

(*) hoc ipso cap. 68. §. 8. annot. 26. (in calce paginæ.)

(z) libro, & capite postremo num. 19. *historia Francorum. Basilicas S. Perpetui ..... pingi ..... imperavi.*

(*) cap. 13. lib. 1. Opusculorum To. 8. Bibliot. Patr. Pari.
(a) in 2. ad Leon. Isau. episto. pag. 670. to. 7. Conci.

& quorum exempla nos ad virtutẽ excitant, confugiamus, illisque res nostras enixe com̃endemus; ad id etiã excitati ab iis imaginibus quas dũ intuemur, Sanctos ipsos veluti conspicere, & præsentes habere censemus? (b) Atque eò (nisi probabilis conjectura nos decipit) veteres respexere, dum in loco edito, omnibusque conspicuo easdem imagines pinxerunt. Sane Hadrianus Pontifex imagines sacras palam in templis jam pridem positas veneratione dignatas esse a Fidelibus, docet. Ecce porro quæ dixi, Hadriani Pontificis verba desumpta ex eâ ad Carolum Magnum epistolâ, in qua Nicænæ Synodi defensionẽ suscipit, perficitque. (c) „ Sanctus Silvester „ Papa & Constantinus Christianissimus Imperator „ venerati sunt sacras imagines, & cum nomine Chri- „ stianitatis palam coram omnibus fideliter, atque mi- „ rabiliter eas ostenderunt, & a tunc usque hactenus „ Sanctorum Pontificum, videlicet Silvestri, Marci, „ & Julii miræ magnitudinis sanctæ eorum Ecclesiæ „ apud nos sunt depictæ tam in musivo, quàmque in „ ceteris historiis cum sacris imaginibus ornatis. Itẽ „ in Sancto secundo Concilio S. Damasius elegantissi- „ mus Papa propriam suam fecit Ecclesiam, cujus S. „ Gregorius Papa meminit in Dialogis, quæ ex nomi- „ ne conditoris *Damasi* vocatur: similiter a tunc us- „ que hactenus, historiis sacris, & imaginibus pictam „ habemus. Iterum, & de Sancto tertio Concilio, S. „ Cælestinus Papa proprium suum cœmeterium pictu- „ ris decoravit. Magis autem successor ejus B. Sixtus „ Papa fecit Basilicam S. Dei Genitricis Mariæ cogno- „ mento Majorẽ, quæ & *Ad præsepe* dicitur. Simili mo- „ do & ipse tam in metallis aureis, quàmque in di- „ versis historiis, sacris decoravit imaginibus. Sed & „ per rogatũ ejus Valentinianus Augustus fecit imaginẽ „ auream cum duodecim portis, & Salvatore gemmis „ preciosis ornatam, quã voto gratiæ super confessio- „ nem B. Petri Apostoli posuit, & a tunc usque hacte- „ nus apud nos ab omnibus fidelibus venerantur. Item- „ que de Sancto quarto Concilio egregius, atque mi- „ rificus prædicator S. Leo Papa, & ipse fecit Eccle- „ sias, quas in musivo, & diversis historiis, seu imagi- „ nibus pingens decoravit. Magis autem in Basilica „ B. Pauli Apostoli arcum ibidem majorem faciens, & „ musivo depingens, Salvatorem Dominum nostrum

„ Je-

(b) Vide quæ deinceps de utilitate sacrarum imaginum dicemus.

(c) Extat hæc epistola tom. VIII. post acta Concilii VII. Incipit col. 1553. at testimonium, quod allegamus, respondet pag. 1591.

„ Jesum Christum, seu viginti quatuor Seniores nomi-
„ ne suo versibus decoravit, & a tunc usque hactenus
„ fideliter a nobis venerantur. Et de Sancto quin-
„ to Concilio Sanctissimus Vigilius Papa in Late-
„ ranensi patriarchio Basilicam faciens, pulcherrime eam
„ decoravit picturis, tam in historiis, quàmque in sacris
„ imaginibus. Multo amplius vero ejus Sanctissimi suc-
„ cessores Dominus Pelagius, atque Dominus Joannes
„ miræ magnitudinis Ecclesiam Apostolorum a solo
„ ædificantes, historias diversas tam in musivo, quàm
„ in variis coloribus, cum sacris pingentes imaginibus,
„ & a tunc usque hactenus a nobis venerantur. Sed &
„ S. Gregorius Papa in Monasterio suo pulcrum fecit
„ Oratorium, & ipsum diversis historiis pingi fecit,
„ atque sacras ibidem erexit imagines, ubi & cum B.
„ Eleuthero pro ægritudine stomachi sui ingressus in
„ oratione, pariter exauditi sunt. Et ille Vir S. Eleu-
„ therius, quem dicunt & mortuum suscitasse, ante
„ ipsas sacras imagines se prosternens, divinam exorare
„ clementiam cum S. Gregorio non dubitavit. Sed fi-
„ dem ferentes perfectam, pariter exauditi sunt, &
„ usque hactenus apud nos venerantur. Sed & Eccle-
„ siam Arianorum, cujus ipse S. Gregorius in Dialogis
„ suis meminit, placuit eidem S. Gregorio, ut in fi-
„ de catholica introductis illi B. Sebastiani, & S. Aga-
„ thæ Martyrum reliquiis, dedicari debuisset, quod &
„ factum est. Et post miraculum, quod in eadem Ec-
„ clesia factum est, diversis historiis ipse B. Gregorius
„ pingi fecit eam, tam in musivo, quàm in coloribus,
„ & venerandas imagines ibidem erexit, & a tunc us-
„ que hactenus venerantur. Si enim voluerimus enar-
„ rare per ordinem, nostri prædecessores Pontifices
„ quantas Ecclesias fecerunt usque nunc, mirifice in eis
„ sacras imagines, atque diversas historias pingentes,
„ nec non & venerantes, apostolice audemus dicere,
„ deficiet nos tempus enumerandi, atque eorum ædi-
„ ficia cum sacris imaginibus, & historiis explanan-
„ di. „ Sed de adhibita sacris imaginibus venera-
tione, copiosissime disputatione X. dicemus.

CAP.

C A P. LXIX.

Afferimus primo ea, quæ ad probationes nostras Adverſarii reponunt, tum eorum cavillos diſſolvimus.

I. SEd ne horum quidem numero, ac perſpicuitate moventur adverſarii: quin imo in ſua ſententia obſtinati, eorum teſtimoniorũ, quæ allegavimus, vim elevare nituntur, & ita diſputant. Ea quæ allata ſunt teſtimonia, aut obſcura ſunt, ideoque minus apta ad id, quod agimus, evincendum: aut ſi perſpicua ſunt, peculiaris alicujus Epiſcopi, ſeu, ſi vis, Eccleſiæ morem, ſeu potius licentiam indicant, quàm univerſalẽ conſuetudinem, a qua tamen unice repeti laudabilis probatio poteſt. Obſcurum porro eſſe Baſilii, ſeu, ſi vis, Chryſoſtomi teſtimonium ex oratione in *S. Barlaam* deſumptum, is fatebitur, qui ad illud paulo attentius animũ adverterit. Ad Oratores ſcilicet reſpicit, quos eleganti allegoriâ pictores appellat. Id porro non modo Dallæus *(a)* docet, verum etiam ante Dallæum id agnoverat Fronto Ducæus merito a Dallæo allegatus. *(b)* Temere itaque, & ut mitius loquamur, liberius æquo, eum in rem ſuam deducere ſtuduerunt Damaſcenus, & Nicæni II. Patres. Si qui porro inter eos, quorum teſtimonia perſpicua eſſe fatemur, illi, de quo agimus, mori favent, Gregorius Nyſſenus, Aſterius, & Paulinus Nolanus ſunt. Cave tamen putes hos ipſos validam præbere probationem. Nyſſenus in ea provincia erat, in qua docente Nyſſeno ipſo *(c)* Gregorii Neocæſarienſis exemplo, Gentilibus nonnihil indulgebatur. Cum itaque Gentiles jam pridem conſueviſſent ſuorum Deorum delubra in templis ponere, eorumque imaginibus templorum parietes ornare, eam conſuetudinem retinendam Nyſſenus cenſuit, ne ſcilicet Neophitos novis prorſus ritibus atque inſtitutis offenderet, eâque, ſi appellare ita volumus, licentiâ,

(a) *de imagini.* lib. 3. cap. 4. pag. 321.
(b) Ibidem ex pag. 47. in Baſi.

(c) in vita Grego. Thamau. to. 3. pag. 574. editio. Morelli.

& rituum affinitate, aut certe similitudine quadam, ad Catholicam fidem Gentiles alliceret. Id ipsum de Asterio dic, Episcopatu in eadem provinciâ potito. (d) An reliquos Episcopos adeo indulgentes fuisse putabis, ac fuerunt Nyssenus, & Asterius?

(d) Dallæus pag. 316.

II. Sed venio ad Paulinum. Hunc quidem valde remotum ab iis regionibus vixisse fatemur, in quibus primævam severitatem, simplicitatemque, ut Neophitis indulgerent, Ethnicosque ad Ecclesiā pertraherent, relaxarunt, nescio quàm recte, Episcopi ceteroqui probi. At hujusce instituti, (cujus paucissima extitisse exempla, docet Paulinus ipse, dum *rarum* appellat hunc morem:

(e) Forte requiratur quanam ratione ferendi (*)
Sederit hæc nobis sententia, pingere sanctas
Raro more domos &c.)

(e) Pauli. apud Dungalum Biblio. PP. Pari. Tom. 4. par. 2. pag. 156. quod quidem carmen Natale IX. est, v. 541. [*] legunt alii *gerendi*.

Hujus, inquam, instituti rationem eam affert, qua quidem reliqui Episcopi moveri minime poterant. Fatetur scilicet, se propterea picturis sacram ædem (seu potius sacræ ædis porticum (26)) implevisse, ut dum agrestes, & rustici homines picturas inspicerent, famem fallerent, ideoque ab edendi aviditate novo spectaculo averteret.

. . . . dumque omnes picta vicissim
Ostendunt, releguntque sibi, vel tardius escæ
Sunt memores, dum grata oculis jejunia pascunt:
Atque ita se melior stupefactis inserat usus,
Dum fallit pictura famem: sanctasque legenti
Historias, castorum operum subrepit honestas
Exemplis inducta piis &c. (f)

(f) Ibidem 584.

III.

---

[26] Nunc volo picturas fucatis agmine longo
Porticibus videas &c. (*)

Et alibi (*)

Inter quæ & modicis variatur gratia cellis:
(Quas in porticibus qua longius una coactum
Porticus in spatium tractu protenditur uno)
- - - - - - - - - - - - - - - -
Martyribus mediam pictis pia nomina signant,
Quos par in vario redimivit gloria sexu.
At geminas, quę sunt dextrâ, lævâque patentes,
Binis historiis ornat pictura fidelis.

(*) Nata. 9. v. 511.
(*) Nata. 10. v. 15.

III. Propterea porro versiculos, res in pictura gestas exprimentes addiderat, ut abstinentia, & virtutes reliquæ in imperitos illos animos non minus picturâ, quàm versibus & nominibus appositis eruditos, illaberentur. Quem quidem morem profecto laudabilem, a Græcis etiam num retentum contempsere (ne quid ad reprehensionē deesset) jam pridē Latini; ut scilicet apud eos, desinerent utiles imperitis ipsis esse picturæ. Et his positis morem illum, qui Pontificiis inest, ut picturis Ecclesias impleant, primis ipsis Ecclesiæ seculis viguisse putabis? An in reliquis regionibus, adeoque in urbibus ipsis, rustici tantum, & fame perciti homines templa adibant?

IV. Hæc & similia dicentes existimant adversarii se perfecisse quod volunt: at plane errant, eorumque errorem facilis ad eorum argumenta solutio, ostendit. En statim illam. Dubitavi ego quoque, nec dubitationem meam prorsus occultavi, num ad Oratores potius, quàm ad pictores Basilii verba respicerent (*) At ad pictores referri cōmode posse voces has *pictor*, & *colores* a Basilio adhibitas, Damasceni, Nicænique II. auctoritas omnino non contemnenda evincit: neque hac super re quidquam addo iis, quæ alibi dixi. Venio ad Nyssenum.

(*) cap. 62. §. 3.

V. Quæcunque porro Nyssenum impulerit ratio, ut coloribus expressum S. Euphemiæ Martyrium describeret, & commendaret, mihi nunc de hujusce moris antiquitate differenti satis est, si expressum descripsit. Atqui, dum ad eam, quam jam dixi, causam Dallæus confugit, ad eam confugit causam, quæ aliis etiam Episcopis valde probabilis videri poterat; ideoque eos movere, ut picturis pariter Ecclesiam replerent. An non omnem operam impendere ii debebant, ut minus gravem susceptæ Religionis novitatem redderent? An indulgere, quæ poterant, non debebant, ut obices quosque, quibus a Christiana religione Gentiles alienari possent, averterent? Novimus profecto, Platonicæ Philosophiæ adhæsisse plerosque e Doctoribus nostris, quia hæc minus videbatur opponi Christianæ fidei. At quæcunque eos moverit causa, non unum, aut alterum ego attuli Patrem, qui picturas in Ecclesiis positas approbaret. An non antiquam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, aliaque non pauca monumenta attuli,

 qui-

quibus aperte constet, non in ea tantum provincia, quæ Thamaturgi, Nysseni, & Asterii episcopatus complectebatur, sed in aliis pluribus viguisse eum morem?

VI. Atque ad eum quidem comprobandum rectissime a Catholicis afferri Paulinum arbitror, virum scilicet pietate, & doctrina præstantem, qui propterea more, quem periculosum, aliisque Episcopis invisum vidisset, minime approbasset: quamquam si forte approbasset, eum sane rejecissent reliqui omnes ea ætate virtute, & sapientia laudatissimi Episcopi (g), quum tamen eum procul dubio amplexi fuerint, & servaverint.

(g) Vide dicta disser. 3. cap. 21. §. præsertim 5.

VII. Neque vero propterea quia *rarum* appellat morem Paulinus, aliis Episcopis displicuisse ostendis. Age quisquis hæc objicis: diligenter ne Paulini verba expendisti? Affirmas, ut puto. At dum verba ea ad sacras imagines generatim inspectas refers, fortasse falleris: vel si non falleris, ideoque revera ad imagines ipsas generatim inspectas ea Paulini verba respiciunt; non continuo inusitatū fateor morem eum, quem Paulinus indicat. Quis scilicet appellabit inusitatum morem illum, quem Ecclesiæ quidem aliæ, sed præsertim Romana, &, nisi plane fallimur, Mediolanensis, aliæque etiam, ipso Paulini tempore, servabant? Fortasse itaque propterea *rarum* morē eum appellat, non quo rarum esset, picturis ornare Basilicas, sed quod *rarum* esset, & paucis usitatum, tot picturis sacras Basilicas ornare; ut vix maxima porticus eas comprehenderet. En quibus verbis Nicetam Paulinus alloquitur (b):

(b) Nat. 9. v. 511.

Nunc volo picturas fucatis agmine longo
Porticibus videas, paulumque supina fatiges
Colla, reclinato dum perlegis omnia vultu.

Nec sane complecti poterat breve spatium omnes fere historias, quas veteris testamenti libri describunt.

Omnia namque tenet serie pictura fideli, (*)
Quæ senior scripsit per quinque volumina Moses,
Quæ gessit Domini signatus nomine Jesus &c.

(*) v. 516.

Et mox (*):

(*) v. 529.

Jam distinguentem modico Ruth tempora libro,
Tempora Judicibus finita, & Regibus orta
Intentis transcurre oculis &c.

Aut propterea *rarum*, appellat, quod vulgato, usitatoque sermone *rarum* dicimus, quod multa existima-

tio-

tione dignum judicamus. Tum vero minime veto, quo minus ad picturas omnes extendas ea Paulini verba. En ergo cur dixerim *tam & si non falleris, non continuo cogi me ut novum inusitatumque fatear morem eum: rarum* enim hic non sumitur pro inusitato, sed, ut dixi, pro re existimatione dignissima.

VIII. At porticus (inquis) Paulino ipso teste, non sacræ ipsæ ædes, picturis ornabantur. Acute dictum. Verum interiores ipsos sacræ ædis parietes memorant ea Nili, quę alibi allegavimus, verba. (*) Ad interiorem etiam sacram ædem picturis decoratam respicere videntur ea Ambrosii disticha, quæ alibi allegavi. Quin etiam non pauca ex iis monumentis, quæ attuli, [*] aut deinceps allaturus sum (*i*), plane ostendunt, in interiori Basilicæ parte sacras historias fuisse pictas, imaginesque servatas. Quamvis ergo porticus sacris ædibus propinquas, picturis interdum ornatas fuisse fatear, non propterea iis caruisse sacras ipsas ædes assentior.

(*) cap. 68. §. 8. an. not. 26.

[*] cap. 52., & 53.

(*i*) quum de imaginibus in altari collocatis differam.

IX. Frustra autem objicis, picturas ob imperitos illos, rudesque homines ab ingluvie tantummodo arcendos, a Paulino spectantium oculis fuisse propositas: quæ quidem ratio (te judice) si non extitisset, picturas illas minime posuisset Paulinus. Nimirum tuam hanc, quæcunque ea sit, objectionem hoc pacto diluo. Duas ob causas indicat Paulinus, sacras eas, quas recensui, picturas a se fuisse ad spectandum propositas; ut scilicet novitate, ac numero, rusticorum animos eæ allicerent, suoque aspectu eorum esuriem fallerent: Ut etiam propositis priscorum Sanctorum exemplis, ad pietatem, ac virtutem intuentes accenderent. Priorem causam non admodum frequentem esse fateor; (quamquam non prorsus infrequens iis temporibus erat (*)), ideoque etiam fateor, si ab ea tantummodo ad sacras picturas efformandas, publiceque exponendas impellerentur Episcopi, non ita crebras ab iis statuendas fore in Ecclesiis imagines sacras. At alteram frequentissimam esse ajo, contendoque: quis enim negare poterit, multo plures, quàm viri docti sint, fuisse ipsa Paulini ætate, esseque etiam nunc, imperitos, ac rudes homines, in quorum animos, dum sanctas legunt

Historias, castorum operum subrepit honestas
Exemplis inducta piis?

[*] Vide tradit. diss. 5. cap. 14. & rursus cap. 26. §. 4. & 5.

X.

X. Haud recte vero contendis, jam pridem desiisse in Ecclesia latina picturas eruditioni esse indoctis. Multo aliter, ac tu sentis, sensere Gregorius Magnus, aliique, quorum auctoritatem, ac testimonia deinceps adducam. (k) Quoniam porro metuis, ne si litteris appositis, ac nomine illius, qui picturâ exprimitur, imagines careant, utilitate etiam careant, te monitum volo, consuevisse non modo Paulinum, verum subsequentibus quoque temporibus probatos viros litteris imagini appositis nomen ejus, qui exprimebatur, notare. Hæc habe ex Paulino (*):

Martyribus mediam pictis pia nomina signant &c. At a Paulino ad alios descendamus. Nonne Agnellus Ravennas imagini Ursi appositum illius nomen fuisse testatur? (l) Nonne etiam idem Agnellus (m) id ipsum de Apostolorum imaginibus narrat? *Musivo, & auratis tessellis Apostolorum imagines, & nomina cameræ circumpinxit*. Nonne ad eundem morem aperte respiciunt ea Gregorii Turonici verba: *Videns autem* (Brachio) *sæpius in oratorio litteras super iconas Apostolorum, reliquorumque Sanctorum esse conscriptas, exemplavit eas in Codice* (n)? Nonne denique eam consuetudinem jugiter servatam conspicimus in Musivis, tum Ravennæ, tum Romæ adhuc extantibus, immo in iis fere omnibus, quorum injuriâ temporum nobis sublatorum, species servavit eximius Ciampinus, typisque edidit? Sive porro hujusce moris constantiam in Græcos referas, a quibus, Leone Ostiensi, (o) & Ciampino testibus (p), Musivorum artifices olim desumebantur, sive in latinos ipsos vetustam consuetudinem retinentes; indubitatares est, nunquam ante sæculum XIII. reprehensos fuisse latinos, quod Sanctorum imaginibus litteras eorum nomina indicantes apponere omiserint. Ii vero Græci, qui Latinos propterea redarguerunt, ad antiquas Latinorum imagines minime respexerunt. Et sane ipso Manuelis Calecæ tempore, latinas litteras fuisse sacris imaginibus adjunctas, hæc ipsius Calecæ verba declarant: (*) *Quidam vero nostrorum... Salvatoris imaginem latinis tantum inscriptã litteris adorare renuunt*. Memini ego quoque, in iis sacris historiis pictura expressis, quibus ornata erat sacra ædes S. Apolloniæ, in colle extra S. Mamantis portam posita, quam ædem vulgus *di mezza ratta* appellat, ad historiæ explicationẽ, litteras fuisse adjunctas, quas qui-

(k) quum de sacrarum imaginum utilitate differam.

(*) Natali 10. v. 20.

(l) Recole quæ diximus cap. 61. §. 18.

(m) in Vita S. Neonis cap. 1. pag. 58. partis 1. to. 2. rer. italicarum.

(n) *Vita Patr.* cap. 12.

(o) lib. 3. cap. 29. ad annum 1066. hęc ait: *Et quoniam artium istarum ingenium a quingentis, & ultra jam annis magistra latinitas intermiserat... hoc tẽpore recuperare promeruit &c.* to. 4. rer. italica. pag. 442.

(p) to. 1. vet. mon. cap. 27. pag. 161. 162., & 164.

(*) lib. 4. *contra Græcos* titulo *de Dominicis imaginibus* pag. 459. to. 26. Biblio. Patr. Lugdu.

quidæ imagines obducta candida calx, frustra dolentibus antiquitatis amatoribus, non multis ab hinc annis delevit. Quamquam dudum subductâ vetustâ barbarie, invectisque in Italiam bonis artibus, hujus subsidii minime opus habent Fideles: peculiaribus enim quibusdam indiciis, & veluti certis notis, Sanctos, eorumque peculiarem præstantiam, & dotes exprimere studuerunt, adeo ut sacris imaginibus litteras nunc apponere non sit necesse: de quibus quidem indiciis, & notis nonnulla attigit eximius Cardinalis Paleotus, disseruit vero pluribus Clarissimus de Ayala, ad quos Lectorem rejicio. (q) Poterit etiam idem Lector consulere, quæ Vir egregius ad libros Calecæ adnotavit. [r]

(q) in eo libro, qui *Pictor Christianus*, inscripsit.

(r) ad cap. 23. pag. 481. to. 26. Bibilio. Pat. *Lugdu.*

CAP. LXX.

Alia recensentur, ac diluuntur argumenta, quibus nituntur ostendere, non admodum antiquum esse morem eum, quo pingimus, ac retinemus in Templis picturas, & imagines sacras; atque in hoc quidem capite objicitur, & illustratur Canon XXXVI. Concilii Eliberitani.

I. AT multo plus, quàm in *negativis argumentis*, in peculiaribus, & positivis probationibus confidunt ii, qui jampridem in templis retentas fuisse negant picturas, & imagines sacras: & has quidem probationes repellere necesse est. En illas. An credibile est, eos, qui modo imagines in templis ferre non poterant, mox iis eadem templa implevisse? Minus ergo simile veri est, quarto ipso Ecclesiæ sæculo cœpisse induci in templa imagines, quoniam facile fatentur omnes, tribus prioribus Ecclesiæ sæculis templa imaginibus caruisse. At conjecturis opus non est, quando indubitatas probationes habemus. Si sæculo Ecclesiæ quarto (quæ multorum sententia est) (*) celebratam vis Synodum Eliberitanam, continuo habes illustre sæcu-

(*) Vide pag. 987. tom. 2. Concilio. in calce paginæ.

culi quarti monumentum, quo facile intelligas imagines in templis fuisse interdictas. Nempe canone 36. prohibentur Fideles, ne imagines in templis habeant. *Placuit picturas in Ecclesia non esse, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.*

II. Adversus hæc ab Iconomachis disputata, ut scilicet non modo antiquitatem, verum etiam probitatem illius, quo de agimus, moris impetant (neque enim probum eum morem esse posse ajunt, qui tam valida auctoritate oppugnatur) tu in primis repete ea testimonia, quæ ad comprobandam sententiam nostram jam allegavimus: iis quippe perspicue ostendes, in templa etiam, non in domos tantũ, aut fora, imagines fuisse inductas: tum ab objectionibus sic eamdem sententiam vindica. Vel ipso persecutionis tempore, vel certe persecutionis metu non prorsus submoto, Eliberitanam Synodum fuisse celebratam, certa res est: & sane anno 300. eam fuisse actam, laudatissimi Viri censent. (*) Flaminum profecto meminit Synodus illa, aliaque innuit, in quibus Ethnicorũ mores, & cæremonias adhuc superstites fuisse significat. Id si approbes, jã tũ respondere commode potes, quæ præstantissimi Theologi docuerunt: fuisse scilicet tum interdictum, ne Christus, aut ulla historia sacra in Ecclesiarũ parietibus depingeretur, ne ludibrio essent Ethnicis, qui si aliqua in historiis nostris forte invenissent eorũ fabulis non dissimilia, religioni nostræ facile irrisissent. Quod si id non placet; reponere ad objectum locum utique potes, interdictas fuisse illis temporibus non omnes, sed tantum Dei imagines, quod sane indicare videntur verba illa: *ne quod colitur, & adoratur.* Quid enim a nobis, si rigorose loqui volumus, *adoratur*, nisi Deus? Neque vero id contra nos facit; nam causas, cur vetarentur olim Dei imagines, & quæsivimus alibi, & probavimus. (*) Hæc ipsa reponere potes, etiamsi anno 324. (quod nonnulli arbitrantur) celebratam Eliberitanam Synodum arbitreris. Quippe tametsi abesset tum persecutio, qua sæviente, (ut Lactantii, si is tamen Lactantius est, verbis (a) utar,) *Ecclesiæ revulsis foribus, simulacrum Dei quærebatur, scripturæ sacræ incendebantur, dabatur omnibus præda, rapiebatur, trepidabatur, discurrebatur*: non aberat tamen persecutionum metus. Nimirum timebant, ne e vivis erepto

pto

(*) Vide Tillemont to. 7. historiæ Ecclesiasticæ art. II. pag. 302. edit. Vene.

(*) Recole quæ capite 23. dicta sunt.

(a) cap. 12. libri, quem inscripsit *de mortibus persecutorum.*

pro Constantino, alter vetustæ superstitioni addictus Imperium occuparet, sæviretque in Christianos. Metum hunc probabilem eventus ostendit: tametsi enim Constantino mortuo, Romanum Imperium Constantini filii possederint, tamen his vitâ functis, regnavit Julianus ille, qui propter turpem a Christiana Religione defectionem, *Apostata* dictus est. Tum vero restitutâ vetere superstitione, non levis in Christianos excitata est persecutio. Hæc quidem laudatissima objecti Canonis est explicatio.

III. Verum & aliæ multæ sunt, eæque valde probabiles. Censent quippe non pauci, Iliberitanos Patres in id maxime intentos, ut non solum quæ mala per se essent, tollerent, sed omne etiam periculum, quoad fieri posset, amoverent, noluisse imaginem ullam in Ecclesiis esse, ne aut Gentiles scandalum inde caperent, aut Christiani ipsi, qui modo ex Idololatria emerserant, ad eandem iterum, per depictas imagines invitari, atque allici viderentur. Certe Patres illos circumspectos admodum, & ad omne periculum intentissimos fuisse, vel ex eo constat, quod vigilias, quæ a fæminis in cœmeteriis celebrabantur, sustulere. (*) *Placuit prohiberi, ne fæminæ in cœmeterio pervigilent.* An dicemus, illos vigilias reprobasse, quas viris concedebant? Nihil minus. Sed approbantes vigilias, periculum removere studuerunt. (*) Sic imaginum Sanctarum usum non reprobantes, idololatriæ periculum reprobarunt. Quo in periculo, si nunc etiam versaremur, satius esset imagines omnino tollere. Sunt etiam, qui velint, Iliberitanos Patres ad eas tantummodo respexisse imagines, quæ sacros referrent calices: hos enim pingi in Ecclesiis vetuere, ne Bacchum viderentur Christiani adorare, aut aliquid simile. Ut illos mittam, qui putant, Patres eos non de aliis quidem imaginibus fuisse sollicitos, sed de iis tantum, quæ in parietibus depictæ essent, propterea quod vel temporum injuriâ, vel impiorum manibus deformari facillime possent. At, nonne nostris quoque temporibus id si metuatur, sacrarum ædium parietes picturis destitutos esse volumus?

(*) can. xxxv.

(*) Vide tradita differt. 6. cap. 23. §. 2.

CAP. LXXI.

Duo Epiphanii loca afferuntur. & explicantur.

I. At ad hæc, sic statim insurgunt. Hæc tua quidē explicatio tam etsi fortasse adhiberi Elibeberitani Concilii Canoni possit, minime tamen adhiberi poterit Epiphanio. Nempe is quarto Ecclesiæ seculo summa cum sanctitatis, tum doctrinæ famâ floruit, Constantiæ, seu Salaminæ in Cypro insula, Episcopus. At hic idem picturas in templo positas adeo se odisse testatus est, ut velum, in quo Christi imago picta erat, disciderit. At audite ipsamet Epiphanii verba, (a) ex quibus quidem facile constabit, nos vera eloqui. „ Præterea audivi quosdam murmurare „ contra me, quia quando simul pergebamus ad sanctū „ locum, qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum „ ex more Ecclesiastico facerem, & venissem ad vil„ lam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præter„ iens lucernam ardentem, & interrogassem quis locus „ esset, didicissemque esse Ecclesiam, & intrassem, ut „ orarem, inveni ibidē velum pendens in foribus ejusdē „ Ecclesiæ tinctum, atque depictum, & habens imaginē „ quasi Christi, vel Sancti cujusdam: non enim satis „ memini, cujus imago fuerit. Cum ergo hoc vidissē, „ & detestatus essem in Ecclesia Christi contra aucto„ ritatem scripturarum hominis pendere imaginem, sci„ di illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdē „ loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent, & effer„ rent. Illique contra murmurantes dixerunt: Si scin„ dere voluerat, justum erat, ut aliud daret velum, at„ que mutaret. Quod cum audissem, me daturum es„ se pollicitus sum, & illico esse missurum. Paululum „ autem morarum fuit in medio, dum quæro optimum „ velum pro eo mittere; arbitrabar enim de Cypro „ mihi esse mittendum. Nunc autem misi quod potui „ reperire, & precor, ut jubeas presbytero ejusdem lo„ ci suscipere velum a Lectore, quod a nobis missum

„ est

(a) in ea ad Joannē Hierosolymitanum epistola, quam S. Hieronymus in latinum vertit, olim 60. in Veronen. editio. 51. num. 9. ejusdem epistolæ.

„ est, & deinceps præcipere, in Ecclesia Christi istius „ modi vela, quæ contra Religionem nostram veniunt, „ non appendi. „

II. Rursus autem in epistola ad Theodosium Augustum, & alibi etiam, imagines quaslibet a Templis arcet. Id certe testantur Episcopi Concilii illius, quod Constantino, & Leone imperantibus coactum est, (quorum sententiæ referuntur a Patribus Concilii II. Nicæni actione VI.) his verbis. (c) „ Dicit ergo in patrandis signis famosissimus Epiphanius Cyprius: *Attendite vos ipsos, & tenete traditiones, quas suscepistis, ne declinetis ad dexteram, neque ad sinistram.* Quibus subinfert: *Et in hoc memoriam habete filii dilecti, ne inducatis imagines in Ecclesias, neque in cœmeteria Sanctorum, sed per memoriam habete Deum in cordibus vestris Sed neque in domum communem: non enim expedit Christiano per oculos, & vagationem mentis efferri.* Qui & alios sermones exposuit in subversionem efficiendarum imaginum, quos qui amorem discendi habent, quærentes invenient. „ Hactenus adversarii.

(c) Tom. 8. Con. col. 1126.

III. Hæc tamen ipsa, in quibus, si vis, non levem vim inesse fateor, indissolubilia non fateor. Atque his Epiphanii testimoniis varie quidem respondent Catholici. In tanta solutionum multitudine longe consultius arbitror, si non omnes, certe potiores exponere, quàm unam aliquam, fixamque statuere. Duo suprema sunt explicationum capita. Scilicet multi præcise negant, Epiphanii esse verba illa, quæ objecta sunt. Fatentur alii, ea, quæ objiciuntur verba, auctorē habere Epiphaniū; sed Catholicorum persuasionem ab iis minime omnium everti ajunt. Primi ad primū testimoniū hæc proponunt. Quamquam de reliquis illius epistolæ partibus dubitare non sinit Hieronymi in latinum eam vertentis auctoritas, & eam fortasse innuit idem Hieronymus, dum hæc ait: (d) *Ante hoc ferme biennium miserat Joanni Episcopo supradictus Papa Epiphanius litteras, arguens eum in quibusdam dogmatibus, & postea clementer ad pœnitentiam provocans*: tamen quod ad postremam illius partem spectat, (ex qua scilicet desumuntur objecta verba) prioribus illius epistolæ partibus temere assutam fuisse, argumenta hæc demonstrant. Omnino non est

(d) capite 1. epistolæ, quam scripsit ad Pammachium olim 101. in Veron. editio. 57.

 alle-

allegata hæc epiſtola ab Iconoclaſtis, tametſi cupidiſſimis deducendi in partes ſuas Epiphanium, adeo ut non veriti ſint illi adſcribere ſcripta quædam jure meritoque Epiphanio abjudicata. Secundo epiſtola illa apte ſuperioribus illis verbis: *Cum hæc ita ſe habeant, dilectiſſime, cuſtodi animam tuam, & deſine circa nos murmurare*; aut certe eo paragrapho clauditur. Ad ſuperiora quoque tantummodo reſpexit Hieronymus verbis modo allegatis (*). Ea itaque, quæ adduntur, ab Iconoclaſtâ aliquo addita ſunt, ut præpoſito Epiphanii nomine fucum incautis faceret. Tertio in quibuſdá exemplaribus pars ea epiſtolæ abeſt, adeo ut, ſi vera audivi, quædam antiqua editio concludat epiſtolam verbis illis: *Et rectæ fidei prædicatio.* (*) Quarto in hac epiſtolæ parte multæ, neque eæ leves mutationes occurrunt: quippe alii legunt *præterea quod:* alii *præterea*, non additâ particulâ *quod*: Alii *prætereo quod*. (Et nullus ſane videtur extare ſenſus in verbis illis *præterea quod.*) In fine autem epiſtolæ in pleriſque editionibus ponuntur hæc verba: *Opto ut valeatis*, cum tamen ad Joannem Hieroſolymitanum tantummodo miſſa ea epiſtola fuerit. Hinc in nonnullis codicibus ſubſtituitur: *Opto ut valeas*; ut ſcilicet emendetur doloſi ſcriptoris error, quem ex hoc ipſo argumento, nec Epiphanium, nec Hieronymum fuiſſe intelligis. Nempe tanta varietas, Criticorum judicio, ſuppoſitionē indicat. Adjuvat ratiocinationem Theologorum ſic diſputantium conjectura hæc ſane non contemnenda. Gregorius Magnus in epiſtola ad Serenum, [*] eum reprehendit, quod omnium primus ſacras imagines fregerit. *Dic frater, a quo factum Sacerdote aliquando auditum eſt, quod feciſti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ne deſpectis aliis fratribus, ſolum te ſanctum, & eſſe crederes ſapientem?* Profecto, ſi Epiphanius ſacras fregiſſet imagines, neque iſta objicere potuiſſet Sereno Gregorius, nec Serenus, qui jam antea (*) reprehenſus eam ob rem fuerat a Gregorio, tam præclarum patrocinium quin adduceret, omiſiſset. Conficta itaque eſt ea epiſtolæ pars, & de illa æque, ac de reliquis ſcriptis, quæ Epiphanii nomine hac in diſputatione Catholicis objiciuntur, enuncianda ſunt verba illa Damaſceni. (*) *Quod ſi dixeris,*

(*) *arguens eum in quibuſdam dogmatibus, & poſtea clementer ad pœnitentiam provocans.*

(*) Diu perquiſivi indicatam a litteratiſſimo amico editionem, nec eam reperire potui.

[*] lib. 9. epiſt. 9. indictio. 4. in editio. S. Mauri lib. 11. epiſto. 13.

(*) epiſto. 111. lib. 7. indictio. 2. in editio. S. Mauri lib. 9. epiſt. 105.

(*) orat. 1. *pro ſacrar. imagi. defenſio.*

ris, virum admirabilem Epiphanium aperte imagines improbasse; primum id esse falsum, & fictum respondebimus, eique, ut a multis fieri consuevit, orationem ab alio compositā fuisse attributam. Quibus quidem Damasceni verbis eorum etiā responsio innititur, qui generatim ajunt, scripta quælibet, Epiphanii nomine, Catholicis hoc super argumento objecta, fuisse conficta. Itaque (ut ad hæc quoque respondeam) conficta etiam erit ea epistola, quam ad Theodosium Imperatorem scriptam Iconoclastæ ajebant: propterea vero eam Epiphanio suppositam dixerunt veteres Magistri, quod ubi notissimi erant Epiphanii libri, epistola hæc ignota erat. Secundo. Epiphanius, cui sane innotescere debuerat consuetudo multarum Ecclesiarū, quæ imagines in templa receperant, numquam tamen sive in Ancorato, sive in reliquis libris suis toti Orbi notissimis, eam consuetudinem reprobat; quod facere non neglexisset, si eam ipse improbasset. Tertio, discipuli S. Epiphanii in templo illius memoriæ constructo, imaginem tanti viri *cum multis aliis titularibus picturis* posuerunt; id porro non fecissent, si alienum ab imaginibus eum agnovissent; erant quippe illius doctrinæ addictissimi. (*e*)

V. At ii, qui fatentur, ab Epiphanio scriptam esse postremam ipsam partem epistolæ, quæ ad Joannem Hierosolymitanum missa est, se plurimum commoveri ajunt a stylo hujus ipsius partis cum reliquis epistolæ partibus affini, convenientique, (*) & ex eo quod jam pridem (*) allegata illa fuerit. Sed non continuo Catholicam persuasionem, quæ sacras imagines in templa inducit, everti ajunt. Verum hi quoque dissident. Alii quippe Epiphanium alienum nolunt a sacris imaginibus: fatentur alii. Qui alienum nolunt, sic disputant. Epiphanii verba si expenderis, non aliud in iis deteges, nisi illi displicuisse velum *in foribus Ecclesiæ tinctum, atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, aut Sancti cujusdam: non enim satis memini* (inquit ille) *cujus imago fuerit.* Quod cum *vidisset, & detestatus esset in Ecclesia Christi contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidit illud.* Porro verba hæc tantum edocent, displicuisse Epiphanio velum illud, in quo informis quædam esset, & neque Christum, neque Sanctum re vera referens, sed unde-

(*e*) Vide orationem primam D. Joannis Damasceni n. 26. & actionem VI. Concilii II. Nicæni col. 1130. Bellarminum quoque capite nono libri 2. *de imaginibus*, & Baronium ad annū 392. n. 48. & subseq.

(*) Perpendat tamē, obsecro, lector verba illa: *Jubeas presbytero &c.*

(*) Sane non modo in Carolinis libris, (lib. 4. cap. 25.) verum etiam in eo libello, qui *Synodus parisiensis de imaginibus* inscribitur [pag. 40.] ea epistolæ pars allegatur.

indecore adumbrans effigiē hominis : (qua tamen Christū, aut Sanctum studuerat referre pictor) quando quidē omnino interdictū erat, pendere ista vela speciem puri, ut ita loquar, hominis referentia , cum ex Ecclesiæ decretis, aut saltem consuetudine quadam , vel nihil in iis pingeretur , vel si aliquid pingebatur, Sanctus aliquis pingeretur , aut Crux , aut fortasse etiam Christus. Constat id apertissime ex Paulino (*f*).

(*f*) in Natali tertio S. Fælicis versu 98.

Aurea nunc niveis ornantur limina velis.

& alibi (*g*)

(*g*) in Natali 6. v. 31.

Vela ferant foribus, seu paro splendida lino ,
Sive coloratis textum fucata figuris .

Nec multum fortasse id abest, quod his versibus tradit : (*h*)

(*h*) v. 19. Natalis x.

Trinaque Cancellis currentibus ostia pandunt :
Martyribus mediam pictis pia nomina signant ,
Quos par in vario redimivit gloria sexu.

VI. Sed quisquis sit postremorum verborū sensus, sane ex Evodio, sive alio, quisquis is est, scriptore librorū, qui *de miraculis S. Stephani* (*) inscribuntur, intelligimus, in his velis sanctorum imagines consuevisse pingi. „ In „ dextera parte veli (ait hic scriptor (*h*)) ipse „ sanctus Stephanus videbatur adstare, & gloriosam „ Crucem propriis repositam humeris bajulare, qua „ Crucis cuspide portam Civitatis videbatur pulsare, „ ex qua profugiens Draco teterrimus cernebatur exi„ re, amico Dei videlicet adventante . . . Talis „ itaque pictura veli, non omnino absque mysterio Dei, „ ubi a memorato subdiacono allata pariter, atque „ suspensa est ante ipsam Memoriam tanti patroni &c.

(*) additos eos habes libris *de Civitate Dei* in editione Patrum Benedictinorum tom. 7.

(*h*) numero 2. capitis 4. libri 2.

VII. Cruces vero in iisdem velis fuisse formatas, perspicue intelligimus ex iis Venantii Fortunati versibus, quos , nisi nos fallit titulus, *in honorē sanctæ Crucis, vel Oratorii Domus Ecclesiæ apud Turonos*, edidit. (*i*) En illos .

(*i*) Tomo VIII. Biblio. Parisien. 1644. libro II. Opusc. ejusdem Venantii pag. 778. col. secunda .

Denique Sancta Cruci hæc templa Gregorius offert,
Dum Pallas coperit signa gerendo Crucis .
* * * * * * * * *
Pallianam meruit , sunt quæ Cruce textile pulcra ,
Obsequiisque suis Crux habet alma Cruces .
Serica qua niveis sunt agnava blattea telis ,
Et textis crucibus magnificatur opus .
Sic cito Pontifici dedit hæc devota voluntas ,
Atque dicata Cruci conscia (*) vela placent .

(*) melius fortasse *condita*, quod substituitur in margine .

VIII.

VIII. Displicuit ergo Epiphanio pictura illa, quia in velis, quæ in Ecclesiis exponebantur, omnino non ferebatur simplicis hominis imago; ideoque quum ait, se detestatum fuisse, in Ecclesia Christi, *contra auctoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem*, respicere videtur ad illud Christi præceptum: (k) *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus, & publicanus*, quia si Ecclesia improbabat (uti revera improbabat) simplicē hominem in velis in templo expositis pingi; qui pingebant, contra auctoritatem Scripturarum jubentiū nos Ecclesiæ monitis, & consuetudinibus obsequi, id faciebant. Quantum vero approbant Scripturæ adhibitā sanctis Viris, & eorum imaginibus venerationem, tantum reprobant venerationem, quæ defertur simplici homini.

(k) Matth. 18. 17.

IX. At neque eorum sententiam condemno, qui Epiphanio displicuisse ajunt picturam illam, quia informis erat adeo, ut omnino nesciretur quid exhiberet, Christumne, an Sanctum, an simplicem hominem. Porro hujusmodi picturas Ecclesia aversatur; (*) tulitque, ne cuncta referam, Tridentina Synodus decretum istud: *Tanta circa hæc* (imagines in templis positas, festivitates, & reliqua id genus) *diligentia, & cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum .... nihil profanum, nihilque inhonestum appareat . . . . Statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesiā, etiam quomodo libet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.*

(*) Nilus allatus ca. 68. annot. 26. *optimum pictorē* exquiri jubet.

X. Quid vero, si aliam explicationem addidero, quam hausi ex Italico libro dudum composito, & nuper ab erudito Joanne Hieronymo Caroli typis edito? (l) Eò autem (nisi plane fallimur) spectat, ut velum illud, quod conscidit Epiphanius, vel ex genere illorum velorum foret, quæ *diva vela*, seu contracto nomine *divalia* appellabant; vel ex genere eorum, quæ fortasse privati, nobiliores præsertim, ac ditiores, æmulati Principum mores, ac dignitatem (28), erigere, ac suspendere Epiphanii tempore cœperant: quæ quidem

(l) *dell'antichità delle armi Gentilizie in Lucca* 1741.

dem

(28) Inter juris peritos dubitatur, quisnam sit verior sensus legum earum, quæ in Codice extant, & sub titulo XI. libri 2. his verbis expresso comprehenduntur: *Ut nemo privatus Titulos prædiis suis, vel alienis imponat, vel vela Regia suspendat*: quarum quidem legum prima hæc

est;

dem vela propterea suspendi consueverant, ut indicaretur, ædem, ad quam appendebantur, in possessione illius esse, cujus imago in eo velo picta erat. Nolebat scilicet Epiphanius, velo illo retineri in alicujus possessione, & dominio Ecclesiam, quæ cæteris præest, nemini vero paret, aut obsequitur: & hac quidem significatione dicere potuit Epiphanius, *contra auctoritatem Scriptu-*

---

est: *Imperatores Honorius, & Theodosius AA. Flaviano Præfecto Prætorio. Regiæ Majestatis est, ut nostra tantummodo domus, & Patrimonia, Titulorum inscriptione legantur. Omnes igitur intelligant, publico juri esse deputandum id, cui nomen dominicum præscribitur.* Altera vero ad hunc modum lata est: *Imperatores Theodosius, & Valentinianus AA. ad Florentium Præfectum Prætorium. Ne quis vela Regia suspendere, vel titulum audeat, sine præceptione Judicis competentis, alienis rebus imponere, quas quocunque modo qualiscunque persona possideat, licet non Dominus, licet injustus possessor, vel temerarius invasor, qui possidet, doceatur . . . . Deponendi autem, vel frangendi titulos, & conscindendi vela, non solum eis, ad quorum præjudicium tale aliquid contra fas, contraque leges committitur: sed omnibus tam liberis quàm servis sine metu calumniæ, vel accusatione criminis, licentiam ministramus.* Ac Rævardus quidem (*) censet ea esse *vela purpurea auro, preciosisque lapillis, & gemmis prætexta, quibus Imperatores, aliique Reges, & summi Principes in suis palatiis uti consueverunt:* quæ ideo (ut cumulatius deinceps idem Rævardus explicat) interdicta privatis sunt, *quia prodigalitate nimia ad extremam redigebantur necessitatem.* At alii non aliud esse ajunt vela hæc, nisi vela, in quibus pictæ fuissent imagines Principum, quæ ubicunque suspendebantur, indicabant, locum illum in Principis potestate esse, ideoque non posse privatos ex iis fructus percipere, aut judiciales actus exercere. Quoniam vero temere poni hæc Regia vela cœperant, indeque Privatorum jura lædebantur, vetuere latis legibus Imperatores hujus modi vela temere suspendi. Sed si ea poni necesse foret, *sine præceptione judicis competentis* minime ponerentur: secus si fieret, posset quilibet ea conscindere, ideoque illam juris umbram, & temere inductam *per Regia vela, & titulos* honoris speciem tollere. Sed nec defuit, qui diceret, *velorum Regiorum* nomine hic ea vela indicari, quæ ad Regiorum similitudinem fierent, quibus quidem appensis, ædium, & prædiorum possessio a privatis etiam caperetur.

(*) cap. 10. lib. 5. *de juris ambiguitatibus*: in quo quidem capite, *quæ sint vela Regia*, inquirit.

scripturarum in Ecclesia Christi pendere hominis imaginem: vetat enim Scripturarum auctoritas, in alicujus dominatu esse Ecclesiam; ideoque etiam vetat, ad eum finem suspendi velum *hominis*, *veluti Christi*, *vel Sancti cujusdam*, *imaginem habens*: tam etsi enim in Christi possessione & dominio, & in Sanctorum etiam tutelâ sint sacræ ædes (ad quem finem vela eorum imagines habentia suspendi merito possunt), in mortalium tamen hominum possessione, & dominio non sunt. Ac per hæc quidem vela, perinde ac per titulos affixos (29), aut dominium suscipi, aut certe antea susceptum significari, ideoque etiam significari, ædes, & prædia in eorum esse dominio, quorum vela (imagines scilicet pictas habentia) ac tituli ad ædes illas, & prædia collocabantur, præter ea vetustarum legum loca, quæ in paginæ calcem rejecimus, & consulere poterit Lector; declarare videtur Ambrosius dum hæc ait. (m) ,, Vide, ne eo deferas ,, imaginem terrestris, ubi lux cœlestium est. Hinc si ,, quis Tyranni imagines habeat, qui jam victus interiit, jure damnetur. Quomodo tu hostis, & adversarii imaginem in Civitatem veri Imperatoris inducis, nisi ut ipse te damnes? ,, Et alibi apertius

(m) in ps. 38. v. 7. in editione Patrum S. Mauri n. 27.

(29) Titulis ad ædes, & prædia affixis dominium suscipi, aut certe antea susceptum indicari, manifesto tradunt veteres leges, & probabilia monumenta. Innuit id lex *Unica* libri II. Codic. titulo XV. *De iis*, *qui potentiorum nomine titulos prædiis affigunt*, *vel eorum nomina in litem prætendunt*. Rursus in Codice (*) hæc occurrunt. *Tituli vero*, *quorum adjectione prædia nostra sunt consecranda*, *substantiis*, *non nisi publica testificatione proponantur*. In authenticis. (*) *Titulos autem imponere prædiis alienis*, *aut ergasteriis in Civitatibus constitutis*, *& superscribere sua vocabula ita præsumentibus periculosum esse scias . . . Et suis rebus titulis impositis publicis*, *fiant aliis exemplum abstinentiæ*. Quin etiam id indicat Augustinus, dum hæc ait: [*] *Ne domum ipsius invadat aliquis potens*, *ponit ibi titulos potentioris*, *titulos mendaces*. *Ipse vult esse possessor*, *& frontem domus suæ titulo alieno muniri*: *ut cum titulus fuerit lectus*, *conterritus quis potentioris nomine*, *abstineat ab invasione* .... *Et videte*, *fratres*, *quando potens aliquis invenerit titulos suos*, *nonne jure rem sibi vendicat*, *& dicit*: *Non poneret titulos meos*, *nisi res mea esset*?

(*) lib. 10. titul. x. leg. 3. *& de bonis vacantibus*, *& de incorporatione*.

(*) §. 20. titu. 4. collat. 3.

(*) expos. 2. in ps. 21. ad vers. 29. n. 31.

[n]. ,, Sequenti die (erat autem Dominica) post ,, Lectiones, atque tractum, dimissis Cathecumenis, symbolum aliquibus competentibus, in Baptisterio tradebam basilicæ. Illic nunciatum est mihi comperto, quod ad Portianam Basilicam, de Palatio Decanos misissent, & vela suspenderent. ,, Num hæc responsio præferenda sit ceteris, an non, Lectoris judiciũ esto. Satis est mihi eam responsionem reliquis jam vulgatis adjungere, quæ probabilis, nisi fallimur, sit. (*)

XI. Sed quisquis verborum Epiphanii sit sensus, manifesto liquet, non conquestos fuisse custodes loci de sacra imagine fracta, sed illis tantummodo displicuisse, quod statim non *aliud dederit* Epiphanius *velum*, atque *mutarit*. At quum omnibus jam innotesceret, pridem in templa fuisse inductas sacras imagines, doluissent magis, & Epiphanium accusassent, quod morem a Viris sanctissimis approbatum condemnaret. Itaque si ab hac accusatione temperarunt, cum conquesti sint tamen, quod velum scindens, aliud continuo non substituerit, reliquum est, ut sacra non foret ea imago; aut si vis sacram fuisse, informis fuerit adeo, & turpis, ut eam merito abstulerit Epiphanius: ad risum enĩ potiùs, quàm ad venerationem excitabat. Sic ii disputant, qui Epiphanium ab imaginibus sacris in templo retinendis minime alienum volunt.

XII. At ii, qui putant, Epiphanium revera sacris imaginibus fuisse adversatum, aut saltem minime approbasse, ut illæ inducerentur in templũ, tanti Viri exemplũ hac in re negligendum esse ajunt, illique præferendã autumant reliquorum, quorum testimonia jam allegavimus, auctoritatem. Pulchre Damascenus: [o] *Quod a paucis, & raro fit, vim legis in Ecclesia non habet. Nam ut Gregorio Theologo placet, una hirundo non facit ver; nec unius sententia tanti roboris fuerit, ut universæ Ecclesiæ, quæ ab extremo terræ ad aliud extremum diffusa est, traditionem possit evertere.* Patres Nicæni II. solutionem hanc minime rejiciunt, dum proposito illis ad solvendum Epiphanii testimonio, ex epistola ad Theodosium desumpto, hæc ajunt: (p) ,, Epistolam enim . . . . ,, nos in manibus recipientes, & scrutabiliter, non transitorie perlegentes, invenimus, in fine epistolæ sententiam hujusmodi contineri: *Quia multoties locutus sum* ,, *cum*

(n) in sermone *de basilicis non tradendis*. in editione Patrum S. Mauri Epistola 20. Classis I. n. 4.

(*) Eam sane confirmant ea Godefridi, & Bulengeri loca, quæ in annotatione in hæc Ambrosii verba, adducunt Patres S. Mauri. Adde, si vis, subsequentia Ambrosii loca n. 20. ejusdem epistolæ: *Dum hæc tracto, suggestum est mihi, cortinas regias esse collectas: refertam autẽ populo basilicam præsentiam mei poscere.* (ad quæ verba Patres S. Mauri: *Cortinæ regiæ*, inquiunt, *vela quædam erant, quæ alicubi suspendebantur, ut locus in fisco principis esse indicaretur*) Et n. 22. *Postea vero quã cognoverĩ, cortinas regias inde esse sublatas etc.* Et in sermone ipso contra Auxentium *de Basilicis non tradendis*: in editione Patr. S. Mauri comprehenso in epistola 21. classis I. n. 32. *Sed in Ecclesia unam imaginem novi: hoc est imaginem Dei invisibilis &c.* Porro non exclusisse Ambrosiũ imagines sacras a templis, paulo ante ostendi. Quas itaque excludi hic voluit,

„ *cum comministris meis, ut auferrentur imagines, non rece-* „ *ptus sum ab eis, neque audire vocem meam, saltem pau-* „ *lulum, passi sunt*: tum enumeratis plurimis Patribus, qui Epiphanii ætate viventes sanctis imaginibus faverunt, hæc demum concludunt. „ Si igitur ipse, qui con- „ scripsit horum expositionem dictorum contra vene- „ rabiles imagines, se non receptum dicit a sanctis Pa- „ tribus, qui tunc in vita supererant, quomodo falsa „ dicta, quæ ipsi Sancti Patres non receperunt, nos, „ qui in finem sæculorum devenimus, & scientia, ac „ sermone deficimus, qui nec discipuli eorum digni „ sumus vocari, contra Ecclesiam recipiemus? „

luit, eæ erant imagines, quæ jus aliquod indicabant.

(o) num. 26. orationis primæ *de imaginibus*:

(t) actione 6. pag. 1127. to. 8.

C A P. LXXII.

Afferimus, & dissolvimus argumentum, quod ex Armenorum nullas in templis imagines retinentium consuetudine repetunt.

I. Attulimus hactenus argumenta, quæ Theologi nostri gravia esse fatentur, iisque non improspere, ut puto, occurrimus. Supersunt alia, quæ licet gravia non sint, omittenda non sunt tamen: possunt enim incautos quosdam, & minus ingeniosos ludificare, & terrere. En primum. Armeni adeo imagines in templis positas aversantur, ut ne ullam quidem in iis esse sinant (*a*). Horum porro auctoritas hac in re summa est: retinuere enim eas consuetudines, quas servabat Ecclesia, dum ab ea defecerunt (*b*). Defecere porro quarto ipso Ecclesiæ seculo. Eo itaque seculo imagines a templis exulabant.

II. Vide quò tandem se convertant hostes nostri: ut scilicet adversus nos auctoritatem eorum urgeant, quos

(*a*) Dallæus *de imaginibus* li. 1. cap. 8. pag. 130. Armenorum auctoritatem, atque exemplum urget, ut adorationem imaginum antiquis invisam probet. Alii vero Armenorum auctoritate utuntur, ut imagines ab Ecclesiis jā dudum proscriptas evincant. Sane id decet Jovet Catholicus scriptor.

(*b*) Jovet *histor. Religion.* to. 2. *de Religione Majoris Armenia* pag. 88. edit. Venetæ.

quos *hæreticos* fateri non recuſant: de quibus affirmat Jovet (c), erroribus Græcorum, quorum ſententias omnes fere ſequuntur, errores alios non leves adjunxiſſe, quos idem Jovet recenſet: atque ad eum quidem Lectorem rejicio. His vero poſitis, an non ſtatim reſpondere poſſumus: *Quid mihi de iis, qui foris ſunt?* (*) Sunt autem *foris* (ideſt extra Eccleſiam) Armeni; quippe, ut Monothelitis accederent, Eccleſiam dereliquerunt. (d) An vero ignoras, eos, qui ſemel Eccleſiæ auctoritatem neglexerunt, ut errores ſuos impune ſequerentur, aliis atque aliis deinceps adhæſiſſe, quos in ipſa ſua defectionis origine deteſtabantur? (e) Quod mirum non eſt; etenim, ut recte monuit Auguſtinus: (f) *Extra illam* (Eccleſiam) *qui eſt, nec audit, nec videt:* Quid itaque, ſi dixerim, Armenos, ne paucitate vileſcerent, deinceps adhæſiſſe Iconoclaſtis, unumque corpus ex utroque hæreticorum grege coaluiſse; adeo ut non vetuſtos Eccleſiæ ritus ſervent Armeni, ſed eos, quos nova hominum acceſſio ſervari juſſit? Et revera ex Orientalibus etiam Patribus, Armenorum defectionem præcedentibus, teſtimonia deſumpſimus ad ſacras imagines commendandas, quibus quidem neque Euthyches, neque alius quiſpiam ex iis, quorum falſa dogmata amplexi ſunt Armeni, obſtiterunt: ex qua quidem re merito conjicimus (quod nuper dixi) Armenorum odium in ſacras imagines acceſſionem novi erroris eſſe, non vetuſti profeſſionē, aut continuationē.

(c) pag. 85.

(*) 1. Corin. 5. 12.

[d] Jovet pag. 85.

(e) Meletianos aliquos, qui primùm ab Arii errore alieni erant, deinceps Arianis adhæſiſſe, unumque corpus efformaſſe, comperta res eſt. Vide quæ tradit Tillemont to. VI. hiſto. Eccleſ. *ad S. Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum* ar. XI. pag. 234. & 235. editio. Vene. Et expreſſius pag. 15. 16., & 18. to. 8.

(f) in Pſal. 47. v. 9. n. 7.

CAP.

C A P. LXXIII.

Occurrimus primùm argumento illi, quod ex omissis, dum sacra templorum supellex enumeraretur, imaginibus sacris deducunt, tum diluitur levius aliud a ratione desumptum.

I. AT animo non concidunt adversarii, & antecessore Dallæo, (*a*) alteram ingeniosam (ut ipsis quidem videtur) ac præclaram objectionem proponunt. En illam. Si primis Ecclesiæ seculis in sacris ædibus servatæ fuissent imagines, eæ omissæ non fuissent, dum sacrarum ædium apparatus, atque ornamenta recensebantur. Scilicet quis omittendã ducet partem illam sacræ supellectilis, quæ præstantissima (Pontificiorum quidem sententiâ) videtur esse? An, dum iidem Pontificii nunc templorum ornamenta recensent, Christi, Deiparæ, reliquorũque Sanctorum imagines silentio prætereunt? An non potius primas illis dant, statimque argenteas, atque aureas Christi e cruce pendentis, & Mariæ Virginis imagines, quas aurea, aut gemmata cornix ornet, enumerant? Porro nemo unus ex vetustis scriptoribus, qui sacram supellectilem recensent, nemo, inquam, unus imaginum meminit: cujus quidem silentii (quoniam infinita afferre possemus) omnium loco quinque exempla adducimus. Horum primum ex Eusebio desumitur, vetusto, & valde accurato scriptore. Recenset scilicet diligenter omnia ornamenta Ecclesiarum illarum, quæ Constantinus Tyri (*b*), Hierosolymæ (*c*), & alibi erexit, nec ullum tamen apicem habet, in quo sacras imagine indicet. Idem dic de Athanasio Ecclesiæ Alexandrinæ supellectilem a Gentilibus & hæreticis ereptam, conculcatamque accuratissime describente, imagines tamen prorsus omittente. Repeti quoque similis probatio poterit ex sexto Optati Milevitani libro: quippe sacra Ecclesiæ ornamenta a Donatistis vel conculcata, vel extracta, profanataque enumerans.

rans.

(*a*) *de imagini.* lib. 1. ca. 8. pag. 123. &c.

(*b*) lib. 10. histo. cap. 4.

(*c*) lib. 3. *de vita Constan.*

(*) episto. ad solit. pag. 847. d. tom. 1. editio Colon. 1686. & in episto. ad Orthodo. Ibidem pag. 946.

rans, nullum de Christi, aut Deiparæ, Sanctorumve imaginibus verbum habet? An non etiam his affinia Palladius præbet? (*d*) Nimirum tumultus ipsâ Paschatis nocte, in Episcopali Ecclesia commotos narrans (qua quidē nocte in exilium pulsus Chrysostomus est) sacramentorum projectorum, atque effusorum, baptismalis aquæ cathecumenorum, aliorumque bonorum Chrysostomo faventium sanguine ipsi immixto rubentis, Virginum vulneratarum, sacræque supellectilis ablatæ meminit; dum imagines præterit. An præteriisset, si eas Ecclesiæ servassent? Hoc idem assequi possumus ex Hieronymo. Nempe (*e*) nominatim recensens eam sacram supellectilem, cujus eximiam curam habebat Nepotianus, ideoque altare, pavimentum, portas, vela, vasa, aliaque his affinia (*f*), imagines silentio premit. Num silentio pressisset, si mos tulisset, ut in Ecclesiis haberentur? Hæc fere Dallæus.

II. Non defuit etiā, qui hæc ex ratione desumeret. Deus sibi servavit templa, eaque suam veluti sedem, & Regiā in terris constituit. Non ergo cum Sanctis partiri quodammodo ea debemus, & unam templi partem Deo, reliquas Sanctis elargiri. Secundo, orationi, & precibus ad se fundendis templa reservavit, Deus. Porro Sanctorū imagines a precibus avertunt, dum nos ad sensibilia deducunt: aut certe ab iis avertunt precibus, quas Deo funderemus, ut eas scilicet Sanctis deferamus. Hinc Paulinus ipse, Paulinus, inquam, ipse imaginum in templum inductarum auctor, & patronus eximius, a precibus per imagines averti homines innuit, dum stupidos per eas effici docet. Hinc se eas picturas posuisse testatur, ut picturâ stupefactos animos detineret; exiguumque superesset convivio temporis spatium.

Propterea visum est nobis opus utile totis
Fælicis domibus picturâ illudere sanctâ:
Si forte attonitas hæc per spectacula mentes
Agrestum caperet fucata coloribus umbra: (*g*)

Quis vero sibi in animum inducat, Christianos veteres adeo Dei, & veræ devotionis amantes, id in templis permisisse, quod stupidos reddit homines, & a Deo, atque a vera devotione avertit?

III. Audivi, Dallæe, argumenta illa tuá. Verum tamen quis ad ea trepidet? Quàm leves sint argumenti

(*d*) *in vita Chrysosto.* to. 13. editio. Montfaucon pag. 34., & 35.

(*e*) Episto. ad Heliodorum, olim 3., in Veronensi editio. 60. Quæ quidem epistola Nepotiani epitaphium continet: n. 12.

(*f*) *Erat ergo sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, sacrarium mundum, si vasa luculenta.*

(*g*) Nat. IX. v. 580.

ti, quod *negativum* dicimus, vires, copiosius alibi ostendi. Atque ad ea quidem Lectorem allego (*b*). Mitius tamen tecum agere, Dallæe, volo, & objectiones tuas singillatim expendere. Ais, Veteres in recensenda Ecclesiarum supellectile omisisse sacras imagines, ideoque etiam eas, quas nunc perquirunt maxime Pontificii, nempe Christi e cruce pendentis, & Deiparæ imagines. Ego sane numquam dixi, Christi e cruce pendentis effigiem eâ, qua Constantinus imperavit ætate, usitatam fuisse apud Christianos, imo contra in eam propendeo sententiam, quam §. 38. & subsequen. capitis 53. proposui, Casalius vero Aringus, aliique Viri eximii tuentur. Quod ad imagines vero tum Mariæ, tum reliquorũ Sanctorum attinet, hic multis Lectorem minime morabor, quoniam ea, quæ superioribus capitibus hoc de argumento dixi, perspicue ostendunt, quantum ii errent, qui minus antiquas esse ajunt imagines sacras. Ea recolat Lector. At si jubes me in Constantino consistere, obsequar libens, & hic indicabo, quæ §. 7. & 8. capitis 36., item quæ §. 11. capitis 52., & rursus §. 5. capitis 62., denique quæ §. 10. capitis 65. attuli. Scilicet imagines ibi commemoratæ Constantinum auctorem habent; in sacra vero supellectile recensenda commemorari solent; quod ex frequentibus Anastasii locis constat.

(*b*) Vide quæ diximus, & allegavimus in margine §. 2. capitis 33.

IV. Quoniam vero ad Eusebium appellas, in Eusebio consulto, quem quidem non pauci ajunt, haud multum amicum imaginum, earum saltem, quæ Christum Dominum exhibebant, extitisse (*). Sed age, hæc omittamus. Doces, cuncta Ecclesiæ ornamenta fuisse diligentissime recensita ab Eusebio: omissas porro, dum ea recenserentur, imagines. At utraque hæc tua propositio (meo quidem judicio) nutare videtur. Dum caput IV. libri X. Eusebii allegas, illud allegare te puto, quod vulgatæ Eusebii editiones quinto loco proponunt, nam procul dubio Rufini editio multo diversam capitum distinctionem servat; & sane capite V. libri X. ne una quidem de sacris ædificiis a Constantino erectis in ea editione occurrit vocula. Caput porro IV. illud fortasse erit [*i*], quod *orationem panegyricam, de ædificatione Ecclesiarum, Paulino Tyriorum Episcopo dictam* comprehendit. Atque in ea profecto oratione copiose agitur de Ecclesiâ, Constan-

(*) Vide tradita §. 6. capi. 44. (per errorẽ vero caput illud inscriptum est caput 42.) pag. 194.

[*i*] Cũ Roberti Stephani editione, qua Dallæus utitur, caream, asserere minime audeo, quænam capitum in ea editione partitio sit.

tini voluntate, Tyri ædificatâ, deque illius ornamentis agitur, ac supellectile. At profecto sacra supellex non ita describitur, ut cuncta minute, & singillatim enumerentur; illæ enī ipsæ vestes, & ornamenta, quibus per id etiā tempus utebantur Episcopi, non recensentur. Et summatim cuncta complecti videtur, dum hæc ait: (k) *Cujus modi sunt hæc templi hujus pulcherrima ornamenta, atque donaria: quæ ipsa quidem per se augusta profecto sunt, & magnifica, & stupore, atque admiratione digna.*

(k) pag. 154.

V. At ajo etiam, contendoque, ex ipsa Eusebii narratione constare, picturis & sacris imaginibus Basilicas a Constantino in Oriente ædificatas, atque ab Eusebio descriptas minime caruisse. Non hic quidem ambigua quædam, & dubiæ significationis verba produco, quibus ceteroqui Eusebii descriptiones objectis ipsis in locis abundant, atque iis profecto nonnulli sacras imagines indicari ajunt; neque conjecturis innitor, in quarum numero recensere facile poteris, quod *in vita Constantini* (l) his verbis legimus: *Cingebatur id* (hemisphærium Basilicæ S. Sepulcri) *duodecim columnis pro numero sanctorum Servatoris nostri Apostolorum: quarum capita maximis crateribus argenteis erant ornata.* Putarunt scilicet viri docti, in duodecim his columnis Sanctorum Apostolorum statuas fuisse positas, & propterea *earum capita maximis crateribus argenteis fuisse ornata*: item fere ut crateribus ornabantur columnæ, Trajani & Antonini memoriæ in Urbe Roma erectæ, horumque Imperatorum statuis nobilitatæ. Non his, inquam, innitor, qui expressa ipsa picturarum ab Eusebio in sacra Basilicarum supellectile recensenda enumeratarum exempla proferre possum. Ac primùm quidem producere libet ea, quibus ediscat Lector, ornamenta anaglyphitici operis (& fortasse etiam illud picturarum genus, cujus §. 4. & subseq. capitis 68. memini) in Basilicis illis non fuisse neglecta: id enim significare videntur verba illa Eusebii: *Easque fenestras variis e ligno sculpturis minutissimi operis ornavit. Ipsam vero ædem Regiam opulentioribus, magisque preciosis speciebus instruxit:* (m) tum ea continuo profero, quibus assequor, vela acu picta, quibus in Ecclesiastico ministerio Fideles uterentur, fuisse a Constantino sacris basilicis tributa: *Variis ex auro, & argento monumentis, velisque acu pictis matris suæ cumulans magnificentiā* (n). Novimus porro, in hujusce generis

(l) li. 3. cap. 38.

(m) lib. 10. cap. 4. *in oratione Panegyrica Paulino Episcopo dicta.*

(n) *de vita Constanti.* lib. 3. ca. 43.

ris velis sacras imagines, & historias exprimi consuevisse: (o) nihil vero vetat, quominus dicamus, eandem consuetudinem in velis iis, quæ Ecclesiæ Bethleemiticæ dono dedit Constantinus, fuisse servatam.

(o) Vide caput 71. §. 5., & 6. hujus dissertationis. Vide etiam §. 6. & sequentes capitis 74.

VI. Proferamus tandem illa Eusebii verba, quæ mihi quidem videntur omnem dubitationi locum præcludere. Superiore capite hæc de Constantino tradiderat Eusebius (p): *Tantus porro divini numinis amor Imperatoris animum occupaverat, ut in totius palatii eminentissimo cubiculo, in maxima tabula . . . signum Dominicæ passionis ex auro, pretiosisque lapidibus elaboratum infixerit*: tum hæc subjicit (q): *Erectis in honorem Servatoris eo etiam in loco* (in sacra æde Nicomediæ erecta) *tropæis victoriæ, quam de hostibus, & adversariis Dei retulerat*. Crucem nempe innuere videntur hæc Eusebii verba, aut aliquod certe, quo indicaretur, Dæmonem, Tyrannos, aliosque Idololatriæ fautores a Constantino, Dei virtute adjuto, domitos fuisse, ac prorsus deletos (r). Et his positis erectas a Constantino Basilicas, & ab Eusebio descriptas, imaginibus destitutas dices? Atque ex his quidem exemplis conjicere poterit Lector, quid de reliquis, quorum Dallæus meminit, sit judicandum. Ad Athanasii epistolas veniamus.

(p) lib. 3. *de vita Const.* cap. 49.

(q) cap. 50.

(r) Vide caput 3. li. 3. vitæ Constantini: quem quidem locum §. 2. capitis 22. allegavimus.

VII. An multum virium inesse putas in argumento ex epistola ad Solitarios deducto? At levissimum esse plerique censent: quorum quidem persuasio in eo primùm innititur, quod paucissima Ecclesiæ ornamenta exprefse memoret Athanasius, adeo ut mirum non sit, si imagines nominare omiserit: in eo etiam innititur, quod vela recenseat: in quibus quidem, ut nuper dixi, delineari consueverant sacræ imagines. Audi porro Athanasii verba latine reddita: *Hoc Comes, & Catholicus præcipiebant: subsellia, thronum, mensam, quippe quæ lignea esset, vela Ecclesiæ, & cætera, quæ poterant, foras elata combusserunt*. Id ipsum apte dicere poteris ad ea, quæ desumuntur ex epistola ad Orthodoxos: paucissima quippe enumerat Ecclesiæ ornamenta, quæ Ariani diripuerint, & profanaverint.

VIII. Nihil porro attinet peculiarem responsionem adhibere iis, quæ ex Optato Milevitano repetunt. Eadem quippe valde probabilis solutio accomodari iis poteſt.

est. Neque enim cuncta Ecclesiæ ornamenta tum recenset Optatus: inter ea vero, quæ recenset, velamina minime omittit. An pictura quavis caruisse vis ea vela, quum tamen regiones aliæ eadem vela coloribus, & picturis ornata sæpe habuerint?

IX. Quis vero prohibet, quominus eâdem responsione utaris, quum Palladius vitæ Chrysostomi scriptor objicitur: præsertim quum paucissima de sacra supellectile direptâ habeat, brevi multa complexus, quum hæc ait: *Omnes autem deprædantes sacra vasa, sibi rapiebant*: & compertissimum sit, Chrysostomo adnitente, ornatissimas Cruces fuisse in sacris officiis adhibitas, ideoque inter sacrarum ædium ornamenta fuisse recensitas (*s*). An argenteas Cruces ab imaginum numero arces?

X. Frustra autem Hieronymum objicis, tum quia non omnem ecclesiasticam supellectilem is recenset (vestes enim sacras procul dubio omittit, in quibus sacras imagines fuisse delineatas, ex Anastasio Bibliothecario, aliisque vetustis scriptoribus assequimur); tum etiam quia ea ipsa, quæ commemorat, sacris imaginibus destituta fuisse non probas. Contra ego alibi ostendi, vasa sacra (*t*), atque adeo parietes ipsos imaginibus minime caruisse: in velis autem imagines sacras fuisse aliquando formatas, comperta res est (*u*).

XI. Ceterum brevis ad ista omnia poterit adhiberi responsio. Christi Cruci affixi argenteas, aureasque imagines, quas ut in objectis monumentis inveniremus, vellet Dallæus, Scriptores objecti non memorant, quia ea ætate in Ecclesiis eas ob causas, quas alibi attuli (*), omnium oculis minime proponebantur. Sed non propterea carebant crucibus; quibus quidem idem Christus Cruci affixus significabatur. Ideo vero imagines hi prætereunt, cum ecclesiasticam supellectilem profanorum temeritate & impudentia abreptam describunt, quia fortasse mobiles hæ imagines (si eas excipias, quæ in velis efformabantur) in templis non admodum frequentes erant. Sane eæ, quarum meminere Nilus, Anastasius, Legati Hadriani, Hadrianus ipse, & reliqui fere omnes antiqui, in parietibus efformatæ fuerant, quas proinde secum deferre, & proripere non poterant impii homines. Quin im-

(*s*) Socra. lib. 6. cap. 7. in editio. Valesii 8. *Cruces enim argenteæ a Joanne erant excogitatæ, quæ cereas faces accensas gestabant*. Sozomen. li. 8. cap. 8. *Nam & Crucum argentea signa præcedentibus cereis anteibant*.

(*t*) Tertullianus in libro *de pudicitia* in ipso initio capitis 7. & rursus cap. 10. allegatus cap. 45. §. 8. Hadrianus quoque allegatus §. 14. capitis 68. in eandem sententiam hæc de Sixto Pontifice ait: *Tam in metallis aureis, quamque in diversis historiis sacris decoravit imaginibus*. Id ipsum edocet Carolini libri, quippe li. 2. cap. 29. hæc occurrunt: *In quibus tamen* (vasis sacris) *& si quædam imagines sunt &c*. Num adjungi his debeant ea vitrea vasa, de quibus cap. 21. §. 1. & 2. (annota. 6. & 7.) & rursus cap. 36. §. 5. diximus, an non, judicet Lector.

(*u*) Vide loca indicata littera [o].

(*) capite 53. §. 38. & subseq.

immo candide fateor, aliquas Basilicas imagines habuisse admodum paucas. Eæ nempe Basilicæ, de quibus metuebatur, ne a Gentilibus, aut ab hæreticis profanarentur, imaginibus pene destituebantur: ne iis scilicet injuria ab Ecclesiæ hostibus fieret. Aliquæ etiam Basilicæ erant, in quarum parietibus nulla prorsus species coloribus formari poterat, quòd marmore ornatæ essent. Atque in harum quidem numero emicuit illa, quæ *S. Sepulcri* appellata est: *cujus interiora quidem versicoloribus marmoris crustis obtecta erant* (*).

(*) Eufeb. 3. *de vita Constant.* cap. 36.

XII. Sed demum convertenda est oratio ad leve illud argumentum, quod ex ratione desumitur (*). Tam etsi Deus orationi servaverit templa; ad verbum tamen divinum excipiendum, & eruditionem nostram patere ea voluit. Ipse quippe in templo etiam docuit, nec Apostoli ab eo more fuere alieni; & sane ab exordiis ipsis Ecclesiæ ad nostra etiam tempora deducta est consuetudo, ut in Templis Episcopi sibi commissos populos erudirent. Porro millies diximus, non minus edoceri populos Magistri voce, quàm doceantur picturis: immo jam pridem didicimus ex Bonaventura, propterea etiam in templa inductas fuisse sacras imagines, quia

(*) §. 2.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus. (*)

(*) Vide §. 2. & 10. capitis 76.

XIII. Preces etiam nostras, & pietatem adjuvant, dum ad eos convertimur, quorum imagines intuemur. Crebro sane, sed vere etiam animadvertimus, preces Sanctis porrectas, ipsissimas esse preces, quas Deo porrigimus, & adjutores esse eos precum nostrarum, minime vero esse largitores beneficiorum, quæ precibus nostris poscimus.

CAP. LXXIV.

De loco, qui eisdem imaginibus in templo positis tributus sit.

I. AT difficilius est, locum peculiarem designare, ubi eædem picturæ positæ fuerint. Quod porticus templis contiguæ sacras picturas habuerint, ex Paulino jam allegato, & ex aliis veterum monumentis constat. Apsides, arcus, & alia etiam templorum loca, fuisse picturis ornata, Hadrianus, quem nuper citavimus, & superstites adhuc Romæ, & Ravennæ picturæ ostendunt. In parietibus, qui ad altarium latera adjacent, collocatas fuisse, non dubitabit quisquis ad Venantii carmina (*), ad Nili (a), ac Legatorũ Hadriani Papæ in Concilio II. Nicæno residentium verba adverterit animum: (*) id quoque is affirmabit, qui monumenta illa expenderit, quæ capitibus 52. & 53. protulimus, quæque hic recolere Lector poterit. Eò igitur vertitur quæstio, num in altari, seu, ut verius loquar, in aliqua altaris appendice, antiquitus sacræ imagines sint collocatæ.

(*) cap. 68. §. 10.
(a) Ibidem §. 8.
(*) cap. 52. §. 11.

II. Ut a Græcis exordiamur, plerique putant, multo ante, quàm Latini imagines sacras altaribus intulerint, id Græcos agere consuevisse. Id sane insinuare videntur notissima illa Tarasii Constantinopolitani Patriarchæ ad Nicænos Patres verba: (b) *Si vetus* (testamentum) *habebat cherubin obumbrantia propitiatorium, & nos iconas Domini nostri Jesu Christi, & sanctæ Dei Genitricis, Sanctorumque ipsius habeamus, obumbrantes altare.*

(b) acti. 4. in ipso fere initio, pag. 847.

III. Id ipsum indicari censent editores Concilii II. Nicæni quibusdã verbis epistolæ S. Germani Constãtinopolitani Episcopi ad Thomam Episcopum Claudiapoleos datæ. Vide, obsecro, pag. 966. tom. 8. Conciliorũ; ad quam quidem paginam apposita adnotatio ad pag. 962. spectare videtur (*).

[*] Vide pag. 1426. Annotationem hanc Anastasio Bibliothecario tribuit Christianus Lupus in VII. Syno. Genera. cap. 5. §. *Respondeo*: Quod si ita esse volumus, antiquissima, procul dubio, consuetudo illa erit.

IV. Nec contemnas volo ea Michaelis, & Theophili Græcorum Imperatorum, aliorumque Veterum verba, quibus edo-

edocemur, consuevisse nonnullos super imagines *sacrum ministerium celebrare* (*c*): hæc enim querela ex eo fortasse prodiit, quod sacris altaribus easdem sacras imagines inferrent.

V. Quin etiam id (doctissimorum quidem virorum sententiâ) fortasse indicat Germanus Patriarcha in Mystagogia hæc scribens: (*d*) *Altare* (Ciborii causâ) *concavus locus est, & thronus, in quo universorum Rex Christus præsidet cum suis Apostolis, prout illis prædixit: sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel:* ad quæ verba Goar (*e*) hæc animadvertit. „ Hæc ultima S. Præsulis verba procerû „ assistentium Christo Regi, Altaris sui throno con„ sidenti, ut sedes circumpositas intueamur, invitant. „ Illæ vero se se mente concipiendas offerunt, ubi tam „ Christi, quàm Apostolorum imagines in Altaris cir„ cuitu vivis coloribus effingi solent. In excelsiore si„ quidem Conchæ Altaris parte, & in ipsa testudinis „ cavitate, Christum velut regem, ac simul ut Ponti„ ficem, id est, ut Pontificem imperatorio stemmate „ insignem, ad ejus *regale sacerdotium* declarandum depin„ gunt: ille autem manibus in mensam appositam, in „ Crucis formam decussatis, dextra pane sacrum „ *μετάδοσιν*, sinistra calicem *μετάληψιν* apprehendit. infra „ vero, & a lateribus in testudinis sinu supra *σύνθρονον* „ sedilia extructa, suo quisque ordine Apostoli delinea„ ti visuntur (ut etiam hodie in S. Pauli, & Salva„ toris Basilicis Romæ extant, ibique quondam, re„ ferente Baronio, anno 324. n. 68., fastigium argen„ teum donaverat Constantinus, habens in fronte Sal„ vatorem sedentem in sella, & duodecim Apostolos) „ & quasi principes regis sui latera circumstipantes, & „ spiritualibus thronis circumsedentes conspiciuntur.„

VI. Sed ad Latinos, de quibus validius disputatur, sermonem vertamus necesse est. Placet porro statim referre Canonem tertium Concilii II. Turonici, (*f*) qui sic se habet: *Ut corpus Domini in altari non in imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur.* Ad hunc scilicet modum, Canonem istum Viri præclari explicant: Ita corpus Domini in altari collocetur, ut non ad latera, aut, si vis, in gradibus aliquibus altaris, ubi ima-

(*c*) *Nonnulli vero spreta Ecclesia in communibus domibus tabulis imaginum pro altari utebantur, & super eas sacrum ministerium celebrabant.* (In ipso fere initio libelli, qui *Synodus Parisiensis* inscribitur.)

(*d*) Hæc verba retuli, uti allegantur in Euchologio P. Goar., at paulo aliter in latinâ linguâ translata invenies tomo XII. Bibliothecæ Patrum, Parisiensis editionis pag. 377. & 378.

(*e*) In Euchologio in adnotationibus *in ordinem sacri Ministerii* pag. 22. editionis Venet.

(*f*) anno 567. celebratum est hoc Concilium. (pag. 536. to. 6. Concilii.)

imagines pingi, & collocari solent, sed in medio, sub cruce ponatur. (30)

VII. Sed cur obscuriora persequor, qui perspicua fortasse habeo? Profecto ex Anastasio Bibliothecario eruere, nisi plane fallimur, possumus, jam pridem a Latinorum Altaribus sacras imagines non abfuisse. Aliquot seligo ejusdem Anastasii testimonia, quæ in margine indico, Lectorem ad ea rejiciens (*).

[*] in Zacharia sectio. 219. In Leone III. sect. 361. 364. 309. &c.

VIII. Quod si aliqua expresse allegari vis, obsequor statim, & pauca profero. De Leone III. hæc ait Anastasius. (g) „ Et in eodem Altare fecit cum historiis crucifixi Domini vestem tyriam. Et in Ecclesia Doctoris Mundi beati Pauli Apostoli tetra vela holoserica alithyna quatuor, & vestem super altare albam chrysoclabam, habentem historiam sanctæ Resurrectionis, & aliam vestem chrysoclabam, habentem historiam nativitatis Domini, & Sanctorum Innocentium. Immo & aliam vestem tyriam, habentem historiam Cæci illuminati, & Resurrectionẽ &c. „

[g] sect. 379. pag. 284.

IX. Rursus alibi. (*) „ Ipse vero præfatus Pontifex fecit in Basilica Salvatoris, quæ vocatur Constantiniana, super altare vestes duas, ex quibus unã cum chrysoclavo, & gemis, habentem historiam Salvatoris introeuntem (*) in sanctam Civitatem, & aliã „ chry-

(*) in Leone III. fectione 381. & 382. pag. 286.

(*) fortasse *introeuntis*.

(30) Quisnam Canonis illius verisimilior sit sensus, Theologi disputant. Non desunt, qui voces illas *imaginario ordine* ita accipiant, quasi significet *temere*, *& ex arbitratu*: ad imagines tamen referri, atque ex iis derivatam esse hoc in loco vocem *imaginarium*, innotescere quidem facile potest ex plana, expeditaque illius Canonis in eum sensum explicatione: ex auctoritate eorum clarissimorum virorum, qui eam proponunt: (*) ex eo denique quod in eodem plane sensu sumpta sit ea vox in eo libro, qui *Synodus Parisiensis* inscribitur. Etenim in eo hæc occurrunt (*): *Eo quod audiret* (Gregorius Magnus) *illum* (Serenum Massiliensem Episcopum) *propter*, *ut sibi videbatur*, *superfluum imaginarium cultum*: hic enim procul dubio vox hæc *imaginarium* id denotat, quod ad imagines pertinet, ideoque facit, ut commode in hoc quoque Concilii Turonensis canone, eandem vocem pro eo sumamus, quod imagines respicit, seu habet.

(*) Ab ea sane non abhorrent Ducange cap. 64. libri 3. *Constant. Christia.* aliique eximii viri.

(*) sub hoc titulo: *auctoritas*: prope finem libelli pag. 109.

„ chrysoclavā cum gem̄is pretiosissimis habentē historiam „ Resurrectionis Dominicæ. Et in circuitu Altaris vela „ rubea serica quatuor, & alba quatuor, cum chry„ soclavo. Et tres ante imagines, cum lista, & alias „ albas sericas numero septem, & triginta. Et in al„ tare beati Venantii fecit vestem de fundato, cum „ vela duobus; . . . . . . Idem vero præfatus „ Pontifex super altari beati Petri Apostoli fecit ve„ stem cum vite ex auro purissimo, cum gemmis pre„ tiosissimis, & margaritis, habentē in medio vultum „ Salvatoris, & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & „ duodecim Apostolorum. „

X. Rursus quoque. (b) „ Simili modo & super „ Altare Sanctæ Dei Genitricis, ubi supra, quæ appel„ latur Mediana, fecit vestem de fundato, cum pe„ riclysi de chrysoclavo habentem historiam Annuncia„ tionis Domini. „

(b) sect. 393. pag. 293.

XI. Sed veniā dabitis, spero, si aliū adhuc allego ejusdē Scriptoris locū. (*) „ Ipse vero a Deo protectus, & præ„ clarus Pontifex fecit in Basilica Doctoris Mundi beati „ Pauli Apostoli super Altare majus vestem chrysocla„ vam, habentem historiam Dominicæ Resurrectio„ nis, cum margaritis ornatam, & periclysin de chry„ soclavo . . . . . (*) Hic vero misericordissimus „ Pontifex fecit in Basilica Sanctæ Dei Genitricis ad „ præsepe, super Altare vestem chrysoclavam, haben„ tem historiam Dominicæ Resurrectionis miræ magni„ tudinis, & pulchritudinis decoratam, cum periclysi de chrysoclavo, undique ex margaritis ornatam. „ Si quis alia cupit hujusce moris exempla, Anastasii librum legat, iis præsertim in locis, in quibus de Hadriano, & de Leone III., & IV. agit.

(*) sect. 395. pag. 294.

(*) sect. 396.

XI. Adjungere porro Anastasio libet Agnellum historicum, qui Maximiani Ravennatis Episcopi gesta describens (1) hæc ait: *Jussit ipse Endothim byssinam preciosissimam, cui similem nunquam videre potuimus, acuculis factam, omnem Salvatoris nostri historiam continentem. In sancto die Epiphaniæ super altarium Ursianæ Ecclesiæ ponitur &c.* Dubitant profecto nonnulli, num vestes, quas *super altare* positas ajunt Anastasius, & Agnellus, essent eæ, quas *pallia* nunc dicimus, id est vela, quibus pars altaris inferior, in qua sacra Cor-

(1) cap. 6. pag. 108. par. 1. to 2. *Rerum Italicarum*. Ordinatus autem fuit Maximianus a Vigilio Papa anno 542. (Ibidem pag. 16.)

po-

pora, & Reliquiæ collocatæ fuerant, tegebatur [31] an potius vela, quibus & oblatio, & mysteria sacra (id est pretiosissimum Corpus, & Sanguis Christi) operiebantur: (32) an denique vela, quæ diebus aliquibus, præsertim vero solemnioribus, prope altare (k) appendebantur, illique veluti imminebant. (33) Ego quidem in Ecclesiasticis functionibus hæc omnia velorum genera adhibita esse puto (ac de duobus quidem

(k) *super altare.*

(31) Id multi ex aliis quidem eruere se posse putant veterum historicorum, atque adeo ipsius etiam Anastasii locis, sed hunc præsertim memorant: (1) *Et super Corpus beati Gregorii Confessoris, atque Pontificis fecit vestem albam holosericam cum tabulis de chrysoclavo, & Cruce.* Aliud exemplum præbebit, si tu vis, Gregorius Turonicus (2).

(32) Id ex Gregorio Turonico intelligimus. (3) *Oblatis super Altare* (inquit ille) *sacris muneribus, mysterioque Corporis, & sanguinis Christi palla ex more cooperto.* Et rursus alibi. (4) *Dans coopertorium sarmaticum, quo altare Dominicum cum oblationibus tegeretur.* Et mox. *Coopertorium vero* (id est Velum illud, de quo naper sermonem habuimus) *quia rarum est, non ponatur super munera altaris, quia non exinde adplene tegitur mysterium Corporis, sanguinisque Dominici.* Anastasius quoque id fortasse innuit, cum hæc ait: (5) *Itemque in Ecclesia beati Valentini, Via Flaminia, fecit coopertorium super altare cum clavis, & fastellis, & in circuitu palergium chrysoclavum pretiosissimum: similiter & in Ecclesia B. Mariæ ad Martyres aliud coopertorium porphyreticum cum cruce, & gemmulis quatuor chrysoclavos, & in circuitu palergium de holoserico pulcherrimum, nec non & in titulo suprascripto Lucinæ alium coopertorium ornatum holosericum.*

(33) Alia velorũ genera veteres Ecclesiastici scriptores aliquãdo indicant. Vela ad januas appensa (6), vela quæ *Cortinas* appellarunt: (7) quæ quidem vela vel ministros a populi oculis amovebant, vel sacrarium a Clero: (*) atque de his cortinis frequens apud veteres mentio fit: veluti apud Anastasium his verbis: (8) *Verũ etiã & cortinas albas holosericas rosatas habentes in medio Crucẽ de Chrysoclavo &c.* Illa quoque vela, quæ ad ornatum Ecclesiarum ponebantur (9); illa denique vela, quibus sacræ imagines contegebantur. [10] Sed hæc velorum genera ad id, quod agimus, minime spectant: neque enim *in altari*, seu *super altare* ponebantur!

(1) sect. 383. pag. 287.

(2) 2. *de miracu. S. Martini* cap. 36. *velum, quo capsa Sanctorum pignorum cooperta erat.* Eodem fortasse spectat id, quod cap. 1. lib. 4. *de miracu. S. Martini* his verbis ait: *Secretius a pendentibus velis unum sub vestimento injectum filum &c.*

(3) de miraculis S. Martini li. 2. cap. 25.

(4) Vitæ Patrum cap. VIII. n. XI.

(5) in Benedicto II. sect. 152.

(6) Hierony. episto. ad Heliod. olim 3. in Veron. edit. 60. n. 12. *vela semper in ostiis &c.*

(7) in Leo. III. sect. 350. Idẽ Anastasius sect. 382. *cortinam majorem de fundato.* sect. 383. 400. & 410. &c. Ducangius quoque lib. 3. *Constantino. Christian.* cap. 65.

(*) Durandus *Ratio. divin. officio.* li. 1. cap. 3. §. 35. & seq.

(8) in Leo. III. sect. 359. &c.

(9)

dem prioribus velorum generibus is minime dubitabit, qui ad allata exempla animum adverterit: at tertium etiam velorum genus ſæpe ab Anaſtaſio indicari cenſeo. Illud ſane mihi detegere videor in illis verbis: (*) *Hic almificus Præſul fecit in altari majori beati Petri Apoſtolorum Principis veſtem chryſoclabam pretioſis gemmis ornatam, habentem hiſtorias tam Salvatoris beato Petro Apoſtolo ligandi, ſolvendique poteſtatem tribuentis, quàmque Principum Apoſtolorum Petri, ac Pauli paſſionem figurantes miræ magnitudinis in natale Apoſtolorum reſplendentem*. Profectò poſtrema hæc verba *miræ magnitudinis in natale Apoſtolorum reſplendentē* videntur innuere in Apoſtolorum natalibus vela hæc, in quibus ſcilicet ſacræ hiſtoriæ expreſſæ erant, ſuper altare majus (*l*) in loco edito fuiſſe appenſa, ut ab omnibus conſpicerentur. (*)

XII. Atque huic quidem meæ conjecturæ robur additur ex aliis ejuſdem Anaſtaſii verbis, quæ ſtatim profero. (*m*) *Verum etiam & in titulo Calixti ſuper altare poſt abſidam* (*) *fecit veſtem de ſtauraci, & in medio Crucem de Chryſoclavo*. Hic ſcilicet veſtis, quæ dicitur *ſuper altare, poſt abſidam* etiam dicitur: abſida vero interdum altare ipſum ſignificabat, aut certe fornicem, quo terminabatur Eccleſia, aut ſacellum; at interdum eo nomine ſignificatur elatior quidam locus nonnihil concavus, & interiori muro concluſus, (de quo multa Eccleſiaſtici ſcriptores (*)) ad quem velum illud hiſtoriis pictum appenderetur. Nobis ſatis ſit unicum ejuſdem Anaſtaſii locum in eam, quam poſtremo loco diximus, abſidæ ſignificationem proferre (*n*). *Ipſe autem . . . almificus Pontifex . . . fecit in Patriarchio Lateranenſi triclinium miræ magnitudinis decoratum cum abſida de muſivo, ſed & alias abſidas decem dextra, lævaque, diverſis hiſtoriis depictas, habentes Apoſtolos gentibus prædicantes, cohærentes Baſilicæ Conſtantinianæ, in quo loco & accubita collocavit*. (*)

XIII. Sed in his ipſis locis, ſi vis, non multum roboris ad eum, de quo agimus, morem comprobandum ineſſe puta. Quid ſi probem, ſtabiles, ut ita appellem, & fixas, in aliquibus ſaltem altaribus, jam pridem collocatas fuiſſe imagines? Id ſcilicet non pauci affirmant, qui Ciboriis, quæ altaribus non raro ſuper imponebantur, ſtabiles, & veluti infixas, & jugiter inhærentes imagines ſæpe poſitas fuiſſe aſſeverant. Id vero nos educere videtur cre-

(9) Anaſtaſ. in Zacha. ſect. 218. In Leone III. ſect. 350. 391. 398. Gregor. Turon. *de mirac. S. Julia.* cap. 20.

[10] Anaſta. ſect. 358. 409: 410. & expreſſius Gregor. Turon. *de glor. marty.* cap. 23.

(*) in Leon. III. ſect. 363.

(*l*) *in altari majori beati Petri Apoſtolorum Principis &c.*

(*) Affinia habet ſect. 399. *quam* (veſtem) *conſtituit quatuor temporibus &c.* Hic quoque ea recole, quæ ex Agnello paulo ante retulimus.

[*m*] ſectione 384.

(*) ideſt in pariete ipſo abſidis, aut certe abſidi adhærente.

(*) Ducang. lib. 3. *Conſtant. Chriſti.* ca. 51. & annotatio. in caput 18. libri 1. Leonis Oſtienſis pag. 291. to. 4. *rer. italica.*

[*n*] eadem ſect. 384.

(*) Eò ſpectare videntur gradus Abſidæ, quorum meminit Evodius (ſi eum appellare ita vis) *de mirac. S. Stephani* li. 2. cap. 1. (*gradus abſida conſcendens*) & Leo Oſtienſis li. 1. cap. 17. (*per* VII. *gradus ad Abſidam conſcenditur*: to. 4. *rer. Italica.* pag. 200.)

crebro allegatus Anastasius, dum hæc ait: (o) *Præclarus Pontifex fecit in Basilica Beati Petri Apostoli nutritoris sui, super altare majus, ciborium cum . . diversis historiis miræ magnitudinis mirifice decoratum*. Et mox: [p] *Fecit in Basilica Salvatoris, quę appellatur Constantiniana ciborium . . . diversis depictum historiis cum cancellis & columellis*. En itaque picturæ in altari stabiles, quoniam stabiles in altari erant picturæ, quibus eadem ciboria ornabantur. Creberrima vero apud Anastasium ciboriorum mentio fit, (*) quæ propterea si ejusdē modi erant, atque ea, quæ nuper descripta sunt, haud infrequentes in altari imagines fuisse dices. Conjicimus porro ejusdem modi fuisse ex alio etiā ipsius Anastasii loco, quem statim allego. Scilicet de Leone III. Pontifice agens hæc ait: (q) „ Fecit autem venerabi-
„ lis, & præclarus Pontifex super Altare Beatæ Pe-
„ tronillæ Ciborium cum columnis porphyreticis ex
„ argento purissimo miræ magnitudinis decoratum pens.
„ libras trecentas quadraginta, & octo, atque ima-
„ ginem argenteam stantem *sub arcu de ipso Ciborio*
„ pens. libras decem, & semis. „

XIV. Hæc etiam ex Ciampino didici, quæ præterire sit nefas: [r] *Imago B. Mariæ Virginis musivo opere elaborata, quæ olim ad Ciborium Joannis Papæ VII. erat, in hoc loco collocata cernitur &c.*

XV. Neque peculiaris Romæ hic mos fuit. Aliis etiam in regionibus eum invaluisse, exemplo, quod statim subjiciam, conjicere poterit Lector. Desumo illud ex Chronico Flaviacensi, cujus verbis utor [*].
„ Propitiatorium sane, Sanctorum exornant cor-
„ pora, quorum meritis floret Ecclesia: & in medio
„ quidem, alto satis & prominenti ciborio Sanctus re-
„ quiescit Vitonus, redimitus frontem auro purissimo,
„ & gemmis pretiosissimis, quibus concluditur Maje-
„ stas Dei incircumscripta, & incomprehensibilis, ha-
„ bens ad dexteram B. Petri, & ad lævam ejusdem B.
„ Vitoni auro prominentes imagines, opere factas cæ-
„ latorio, quas ambiunt columnæ ex auro purissimo,
„ cum basibus argenteis, arte fusili & anaglypho produ-
„ cte. Ipsum quoque Ciborium, Dominicæ Resurre-
„ ctionis, Apparitionis, & admirabilis Ascensionis ope-
„ re cælatorio, protensis adornatur insigniis, habens
„ ante se altare sacratum in honore sancti Vitoni, &

„ omnium

(o) in Leone III. sect. 411.

(p) sect. 412.

(*) Sæpissime in veterum Ecclesiasticorum Scriptorum libris Ciboria occurrunt: Atque aliqua quidem loca allegant Du-cange lib. 3. *Constantin. Christia.* cap. 57. & præclarissimus ille scriptor, qui annotationes apposuit *Chron. Casinen.* Vide ca. 4. libri 1. pag. 258. to. 4. *rer. Italic.* Allegari solet præ ceteris Anastasius, qui de Symmacho, & Honorio agens, & deinceps haud raro, Ciboriorum meminit.

(q) sectione 395. pa. 294.

(r) *de ædificiis Constantini* cap. 4. sect. 15. n. 25. pag. 105.

(*) Chronicon istud editum est a Clariss. Philippo Labbe to. 1. *novæ Bibliothecæ manuscript.* appellat autem pa. 75. Chronicon *Virdunense*. Hæc, quæ allegātur, habes pag. 166.

„ omnium Confessorum. Ad lævam autem altare sa-
„ cratum in honore Sancti Pulchronii, & omnium Mar-
„ tyrum: habens & ipsum suum ciborium, quo con-
„ tinetur corpus ejusdem beati Pulchronii auro & ar-
„ gento decoratum. Porro ad dexteram altare in
„ honore sancti Possessoris habetur, & omnium Vir-
„ ginum, cum ciborio, quo corpus ejus continetur, si-
„ mili opere adornatum. „ Videtur autem Chroni-
„ cum istud fuisse exaratum anno 1102. (*)

XVI. Quod si mos, quem hic innuit allegatum Chronicon, aliis etiam in locis usitatus fuit, imagines ab Altaribus, seu, si ita appellare vis, ab Altaris additamentis (hoc enim vocabulo Ciboria appellare commode possumus) abfuisse minime dices. Scilicet ciboriorum in Altaribus erectorum sæpe meminere (ut nuper dixi) Veteres, quos omnes hic recensere non possumus.

XVII. At quis animose affirmabit, veteres Fideles prorsus ab altari imagines removisse, postquam hæc Anastasii verba legerit (f)? *Item apud Beatum Apostolum Paulum, in Basilica renovavit absidam.. & post, confessionem pictura ornavit... Et super confessionem imaginem argenteam cum Salvatore, & duodecim Apostolos posuit:* hæc enim verba ita explicare comode possumus, ut postquam is renovaverat absidam, confessionem picturâ ornaverit: Super confessionem vero imaginem argenteam, quæ Salvatorem, & duodecim, Apostolos referret, posuerit. Nemo porro ignorat, Confessiones, quarum meminit Anastasius, fuisse adeo altaribus conjunctas, ut una veluti fabrica esset Confessionis altare „& Confessio ipsa. (*)

XVIII. Sane explicationem hanc nostram innuere videntur & confirmare alia multa ejusdem Anastasii loca; e quibus nonnulla delibare placet (t). *Hic* (Gregorius II.) *Oratorium in Patriarchio in nomine B. Petri Apostoli diversis ornatum metallis a novo refecit, & circum quaque altaris parietes deargentavit, ac depinxit duodecim Apostolos.*

XIX. Sed hæc quoque illud, quod pertractamus argumentum, mirum in modum juvant (u). *Aspectum vero altaris super eandem confessionem, atque dextra, lævaque parte juxta gradus jam dictæ confessionis... curiose renovavit, ejusque historias... nitidissime decoravit.*

(*) His verbis definit Chronicũ istud. „ Anno ab Incar- „ natione Domini „ MCII. ordinatus „ est in Episcopum „ Aniciensem Pontius Casæ Dei Ab- „ bas, & Abbatiã Ca- „ sę Dei procuran- „ dam suscepit Ay- „ mericus. Legatus „ quoque in Bur- „ gundiam & Fran- „ ciam directus est „ Richardus Alba- „ nensis Episcopus, „ primò S. Stepha- „ ni Mettensis Ec- „ clesiæ Decanus. „ (pag. 269.)

(f) in Symmacho sectione 79.

(*) Vide quæ tradit Du-cange *in Glossario* ad vocem *Confessio.*

(t) in Grego. II. sect. 182.

(u) sect. 348.

(x) sect. 335.

Et mox (x): *Præsertim & in altari majori Ecclesiæ B. Petri Apostoli fecit ex auro purissimo diversas historias .... Et intus in confessione imaginem in modum Evangeliorum.* Quidnam vero foret *imago in modum Evangeliorum*, innuerat ille paulo ante hæc elocutus (y). *Fecit ibidem præsagus Antistes in Confessione B. Laurentii Martyris foris murum, imaginem ex auro purissimo in modum Evangeliorum ejusdem B. Laurentii effigies continentem.*

(y) sect. 331.

XX. Eodem facile spectant, quæ subsequuntur (z): *Hic idem eximius Papa altare B. Pauli Apostoli una cum ejusdem confessoris (a) foribus auro mundo sacris decorans historiis, mirifice ornavit.* (*)

[z] in Hadriano sect. 353.

(a) fortasse *confessionis*.

(*) Vide etiam sectio. 349.

XXI. Rursus Anastasius in rem nostram hæc ait: (b) *Et super ipsum sacrum altare imaginem auream habentem Salvatorem, & duodecim Apostolos.*

(b) in Leone III. sect. 362.

XXII. Ejusdem quoque Anastasii hæc sunt. (*) *Nec non* (Leo III.) *& Altare majus sub absida construxit. Cujus faciem, atque confessionem, seu rugas, ad decorem ipsius sacri Altaris investivit ex argento mundissimo, ... Nec non & imagines tres, ubi supra posuit.*

(*) sectio. 397.

XXIII. Quid quod rursus haud obscure Altare ipsum picturis fuisse ornatum, atque refertum, his verbis indicat? (*) *Investivit vero Altare Beatæ Petronillæ ex argento purissimo deaurato, diversis ornatum picturis.*

(*) sectio. 400.

XXIV. Ne porro videamur in uno Anastasio inniti, illud ipsum Chronicon Flaviacense allegemus, cujus auctoritate nuper etiam usi fuimus. En quæ in illo legimus (*): *Altare verò majus in honore Sancti Petri Apostolorum Principis sacratum est ob privilegium Ecclesiæ ipsius, quæ priscis temporibus in honore ipsius Apostoli & facta, & consecrata est. Ante hoc tabula habetur aurea, auro mundo & purissimo, & gemmis pretiosissimis densissime conserta, opere mirifico & arte cælatoria facta, præferens imaginem Domini signum crucis tenentis, & super aspidem & basiliscum ambulantis, & dextra lævaque imagines Apostolorum Petri & Pauli ejusdem operis & metalli.*

(*) pag. 166.

XXV. Ut autem multo plus mos ille propagaretur, & in omnibus fere altaribus commodius populi imagines sacras intueri, si vellent, possent; invaluit tandem consuetudo, ut parieti altare supereminenti, imagines fige-

figerentur. Cujus quidē moris quāquā certum ignoretur exordium, tamen antiquum eum esse non dubito. Quod si ea proferri a me vultis, quæ Vir Doctissimus Senator Philippus Bonarota suspicatur, libenter proferam. At non ita, ut verbum ex verbo transferam, sed paulo liberius, additis, si necesse id putavero, conjecturis quibusdam meis, quas aliunde desumpsi. Inter sacra dyptica, quæ olim adhibebantur, quoddam eorum genus erat elegantius cæteris, atque ornatius. In his sacræ imagines aut eburneæ, aut coloribus expressæ erant. Manifestum id faciunt icones, seu tabulæ veteres, quarum in antiquioribus Ecclesiis non exiguus numerus adhuc superest. In his scilicet quædam septa extant eo ordine disposita, ut in quolibet septo seorsim unus, aut plures Sancti picti sint: septa vero ista ita cardinibus quibusdam juncta sunt, ut claudi possint. Dum vero clauduntur septa, ideoque Sancti septis picti, sic se se respiciunt, ut postremæ dyptici partes parti dyptici mediæ respondeant: inspicienti vero dypticum clausum, non aliud appareat, nisi tabula exterior, in qua Sanctos pingere non consueverant Veteres. Porro credibile est, dyptica quædam pretiosissima (*), cujus modi est illud, quod in ara majori ædis S. Marci Venetiis servatur, argenteis statuis, gemmisque ornatum [cujus simile nos quoque Venetiis habemus in æde D. Servatori dicata, nobilissimum illud pariter, & sumptuosissimum] solemnioribus tantum festivitatibus fuisse aperta, & publicæ venerationi exposita: at minus præstantia, ac, si appellare ita vis, vulgaria, ac communia fuisse a Latinis, dum Missa celebrabatur, posita in gradibus quibusdam, qui altaris planitiem supereminerent, & in eo fortasse loco, in quo candelabra nunc collocari mos est: ut scilicet per id tempus potissimum quidem sacerdos, sed & populus sacrificio adstans ex eo conspectu ad devotionem excitaretur: clausa vero, aut etiam sublata fuisse post missam, aut, si vis, post celebrata omnia divina officia. At cum populus diuturniori argumento se inflammari cuperet ad pietatem, & fortasse etiam incommodum non leve inesset in obtegendis, subducendisque dypticis illis, aut jugiter aperta ea esse voluit, aut quasdam tabulas, & icones fieri, quæ minime clauderentur, sed jugiter omnium oculis expositæ forent, ideoque parieti, qui al-

(*) Vide tradita §. 24.

altare supereminerет, affixæ essent. Sane quamvis tam prope altaria collocarentur interdum imagines, ut ipsis conjunctissimæ essent: cujus quidem rei exemplum fortasse habes in eo eo altari, (*) *quod in honorem S. Martini constructum* fuisse testatur Paulus Diaconus (etenim prope illud Sancti Martini effigies picta erat, ante quam lampas ardebat (34),) tamen mos ille non erat admodum frequens, & procul dubio sub initium tantum sæculi quartidecimi cœperunt crebræ esse hujus generis tabulæ stabiles altari super positæ, & parieti infixæ, multæque etiam num supersunt a Fratre Philippo Lippi, a Lippo Dalmasio, aut a Jotto pictæ, quarum aliquæ claudi possunt, uti vetera dyptica, aliæ non item. Sensim vero desuescere cœperunt dyptica, & tabulæ integræ, quæque claudi non possent, in templa fuere introductæ. En quam originem habeant tabulæ parieti aras supereminenti inhærentes; vetustam illam quidem, si ad Ciboria, & ad dyptica, quin etiam si ad eas tabulas referas, quæ dypticorum more clauduntur; at minus antiquam, si de iis loqueris, quas expansas protensasque & jugiter permanentes nunc adhibemus.

CAP.

(*) In ordine Romano XIV. cap. 338. to. 2. *Musei Itali.* Mabillon fit mentio imaginum *super altare*. Num stabiles eæ fuerint, an non, judicet Lector.

(1) cap. 13. lib. 2. *de gestis Langobardo.*
[2] sub finem libri VI. *de Vita S. Martini* pag. 772. tomi 8. Biblioth. Patr. Parisi. ex quo quidem loco nos alibi versiculos allegavimus.
(3) dixi *fortasse*; verba enim illa: *Diversis coloribus cōclusit, atque decoravit*, referri facile poterunt ad picturam extrinsecus fenestras ornantem, & circumundique concludentem. Ceterum jam pridem in fenestris vitro colorato fuisse formatas Sanctorum imagines, ex hoc Durandi loco (*Ratio. Divin. Offic.* lib. 1. cap. 3. §. 5.) assequimur. *Picturarū genera, quæ vel in vestibus, vel in parietibus, vel in vitrealibus depinguntur.*
[4] in Leone III. sect. 408. Vide etiam sect. 382. ex Cod. Thuano.
(5) in Benedicto III. sect. 572.

(34) Paul. Diacon. (1) *In qua* (Ravennati urbe) *etiam altarium in honorem B. Martini constructum propinquam habet fenestram*: (✠) *in qua lucerna ad exhibendum lumen est constituta*: *de cujus oleo mox sibi isti* (Fortunatus scilicet, & Felix) *dolentia lumina tetigerunt*. Grego. Turoni. li. 1. *de mirac. S. Mart.* ca. 15. *Sibi quoque* (Fortunatus) *in Ravenna, atque in rethorica socio suo Felici ex oleo, quod sub imagine pictura B. Martini in cicendili ardebat, dum tetigerunt oculos, lumen rediisse confessus est*. Adde, si vis, quæ Venantius Fortunatus, ea de re, litterarū monumentis prodidit (2).

(✠) Fenestra hæc, si non fallimur, ad lumen recipiēdum, & sacræ ædi cōmunicandū, minime facta fuisse videtur, *tum enim lucerna ad exhibendum lumen* perperam constructa fuisset; sed vel propterea dicitur *fenestra*, quia imago S. Martini in interiori pariete excavato (ad fenestræ similitudinem) picta erat: vel fortasse vera fenestra erat, sed in eâ S. Martini imago vitro colorato expressa fuerat: veteres enim imagines coloratis vitris aliquando efformasse, hæc Anastasii Bibliothecarii verba *fortasse* (3) significant (4): *Simul & fenestras de absida ex vitro diversis coloribus conclusit, atque decoravit*. Et alibi apertius. (5) *Fenestras vero vitreis coloribus ornavit, & pictura musivi decoravit*.

C A P. L X X V.

Eorum occurrimus argumentis, quibus displicet nos dixiße, in Altari imagines jam pridem fuisse positas.

I. POstquam assertionem nostram satis, ut arbitror, stabilivimus, reliquum est, ut ad ea animum vertamus, ob quæ viri etiam optimi adversantur nobis. Extat scilicet non leve objectionum genus, quo redarguere dicta nostra nituntur, ostendereque, omnino in Altari, adeoque in aliqua altaris appendice (sic porro appellare comode possumus gradus Altaris planitiei superiores) nullas fuisse positas imagines sacras. Sic itaque primùm disputant. Validissimis rationum momentis constat, eam consuetudinem, si qua nunc est, ab Ecclesia jam pridem fuisse reprehensam, improbatamque: constat quoque, levissima esse illa, quæ ad eandem consuetudinem asseverandam adducuntur argumenta. Cur ergo antiquam eam esse dicemus? Primum porro sic ostenditur. In libro tertio ex iis, quos *de Donatistarum schismate* (*a*) scripsit Optatus Milevitanus, hæc leguntur. „ Dicebatur illo tempore, venturos esse Paulum, & Macarium, „ qui interessent sacrificio, ut cum Altaria solemniter „ aptarentur, proferrent illi imaginem, quam primò „ in Altari ponerent: sic sacrificium offerretur. Hoc „ cum acciperent aures, perculsi sunt & animi, & „ uniuscujusque lingua in hæc verba commota est, ut „ ut omnis, qui hoc audierat, diceret: *Qui inde gustat, de sacro gustat*. Et recte dictum erat, si talem „ famam similis veritas sequeretur. At ubi ventum „ est a supradictis, nihil tale visum est ex eo, quod „ fuerat paulo ante mentita fama: nihil viderunt oculi Christiani, quod horrerent. Nihil probavit aspe„ ctus ex iis, quibus perturbatus erat auditus. Visa „ est puritas, & ritu solito solemnis consuetudo per„ specta est. Cum viderent divinis sacrificiis nec mu„ tatum quicquam, nec additum, nec ablatum, pax a „ Deo commendata volentibus placuit. „ Porro ex hac

[*a*] pag. 82. editionis Parisiensis Albaspinęi anno 1679.

hac narratione liquido constat, tam Catholicos, quàm Donatistas, alienos adeo fuisse a ferendis in Altari imaginibus, ut metuentes, ne imago aliqua in Altàri collocaretur, tumultuari subito cœperint. Non tulit quoque Nilus Vir præclarus imagines in altari poni, dum iisdem imaginibus Ecclesiæ parietes ornari cupiit. *In sacrario quidem unam, & solam crucem.* (*) Quin etiam decreta Leonis IV. & Ratherii jam pridem allegata (*) planissime ostendunt, sæculo IX. & X. imagines nullas super Altari fuisse positas. *Nil super eo* (Altari) *ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum Reliquiis, & quatuor Evangelia.*

(*) disserta. 9. cap. 68. §. 8. annot. 26.
(*) disserta. 7. cap. 49. §. 4.

II. Sed hæc tanti ego non facio, ut (quæ nonnullorum sententia esse videtur) a veteribus prorsus reprobatam putem eam, de qua superiori capite dixi, consuetudinem: quamquam ultro fateor, in iis Altaribus, super quibus gradus nulli infixi, neque Ciboria superposita fuerint, sacras imagines (nisi id forte per accidens factum sit) minime fuisse positas. Ea sane imago, cujus meminit Optatus Milevitanus, profanum aliquod erat, fortasse Principis alicujus, aut Ducis, cui ne honores sacri, aut saltem inusitati deferrentur, tam Catholici, quàm Donatistæ metuebant. (Et sane [b] ex Eusebio Cæsariensi discimus, Imperatorum statuas Ethnicorum more interdum consuevisse ab improbis dedicari. *Quin etiam lege lata vetuit, imagines suas in idolorum templis dedicari, ne forte errore vetitæ superstitionis, vel inani specie tenus inquinaretur*: (*)) ideoque metuebant, ne sacris profanum aliquid misceretur. At quis sibi in animum inducat, Sanctorum imagines in parte aliqua Altaris, quæ ad Mensam ipsam minime pertineat, positas efficere, ne is, qui de Altari gustat, de sacro gustet?

(b) cap. 16. libri IV. Vitæ Constantini.

(*) Num eodem spectent, an non, illa Ambrosii verba [6. Hexa. cap. 9. n. 57.): *Ære fusa Principum capita, & ducti vultus de ære vel de marmore ab hominibus adorantur*: judicet Lector. Sed sane eo spectant nota illa Hieronymi verba [in Com. in Dani. capi. 3. v. 18.] *Ergo Judices, & Principes sæculi, qui Imperatorum statuas adorant &c.*

III. Nilus, fateor, videtur prorsus ab Altari imagines amovisse. At quod Nilo olim fortasse displicuit, viris egregiis deinceps placuit: ita tamen ut præstantior altaris pars, qualis est media frons, cruci fuerit reservata. Id ex antiquo quidem constantique more, quē nunc etiam servamus, constat; verum etiam id jamdudum fieri consuevisse, ex Nicolao I. discimus: testatur siquidem (c) *in centro cameræ super altare ejus, figuram,*

(c) in epistol. 2. ad Michaelem Imperatorem pag. 1295. tom. IX. Conci.

quod

quod verbum caro factum est [ideoque Crucem, quæ uti diximus, figura Christi est] poni consuevisse. (*)

IV. Leonis IV. & Ratherii decreta tantummodo vetant, super mensam, ideoque super eam Altaris partem, quæ vere ad sacrificium pertinet, aliud quidpiam poni, præter Sanctorum Reliquias, & Evangelia. At minime vetant, super partem Altaris aliquam, quæ multo remotius ad sacrificium pertinet, sacras imagines collocari. Recole quæ ad eadem testimonia alibi etiam objecta jam pridem diximus. (*)

V. Attulimus hactenus argumenta illa, quibus directe dicta nostra impetunt. Afferenda sunt statim ea, quibus indirecte atque oblique nos aggrediuntur: solutiones scilicet, quas probationibus nostris adhibent. Ecce illas. Canon is, qui ex Concilio secundo Turonico allatus est, multo diversam ab ea, quam ei tribuimus, significationem habet. Scilicet vetat, particulas Corporis Christi, eo, quo Sacerdoti libuerit, ordine, situque, ideoque temere collocari in Altari, sed eas ita disponi jubet, ut Crucis formam referant: aut fortasse vetat, ad Altaris latera servari Eucharistiam, ideoque prope imagines, quæ in pariete lateribus Altaris proximo pictæ erant, aut si vis, *in parietibus, aut sacristiis, in quibus aut cælatæ, aut depictæ habebantur imagines.* (*d*) Præcipit vero, ut in loco Altaris medio sub Cruce collocentur. Quæ porro ex Germano Patriarcha allata sunt, minus perspicua sunt, quàm oporteret. Hæc adversarii.

VI. Novi equidem, aliter, quā nos explicavimus, Canonē illum, quem ex Concilio secundo Turonico allegavimus, ab aliis explicari. At si quis nullis antea addictus partibus canonem eum expendat, non dubito, quin explicationem nostram uti valde probabilem excipiat, & ceteris præferat.

VII. Tametsi vero minime invicta ad eum, de quo agimus, morem comprobandum esse fatear Germani Patriarchæ verba, probabilem tamen eam verborum illorum explicationem, quam præbui ex Goaro, præsens Græcorum mos facit; aliàs vero assequi non possumus, quo modo Christus in Altari cum Apostolis suis veluti in throno supremus Princeps, & Judex cum Ministris, ipsis quoque in Judices electis, sedeat, nisi ad imagines Apo-

[*] Recole etiam Canonē Concilii II. Turonici allegatum cap. 74. §. 6.

(*) differ. 7. ca. 50. §. 2.

(*d*) Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus lib. 1. cap. 5. ar 3. pagina 700. tom. I. editionis Antuerpiensis 1736.

stolorum in ciborio ipso pictas confugiamus; præsertim quum vetustis iis, quæ allegavimus, monumentis, manifesto constet, imagines sacras in Ciboriis, quæ Altaribus super imponebantur, fuisse sculptas.

CAP. LXXVI.

De fine, ac rationum momentis, quibus permoti sunt Fideles, ut efformarent, retinerentque imagines sacras.

I. CUm Veteribus Recentiores, cum Græcis Latinos in formandis retinendisque imaginibus sacris convenisse, vidimus hactenus. Agite nunc, & quæ illos ad id moverint causæ, inquiramus. Porro graves fuisse necesse est: etenim si leves eæ fuissent, profecto neque tam mira Christianorum omnium in eam rem consensio extitisset, neque tam diu durasset mos iste. Certe quidē imaginibus picturisque sacris doceri persæpe homines multis de rebus ad Religionem spectantibus, simulque ad pios, sanctosque affectus identidem excitari, omnes profecto vel experimento ipso compertum habent. At alia etiam rationum momenta ad easdem imagines efformandas, retinendasque illos impulerunt. Atque ea sane si quis diligenter consideraverit, facile intelliget, duos hosce fines in imaginibus sacris instituendis Christianos sibi proposuisse; emolumenta quæ ex sacris imaginibus percipiuntur: & honorem, qui per sacras imagines iis defertur, qui per easdem imagines exhibentur.

II. Atque hoc postremum probabilitate nititur, ac sustinetur sua. Quis enim neget, eos a nobis honorari, quibus statuas ponimus, quorum nomina in ære, & marmore consignamus, quorum vultus, & facta in illustribus maxime, celebratissimisque locis depingimus? Quod nisi ita esset, cur Imperatoribus, Ducibus, legum latoribus, artium, disciplinarumque Magistris, aliisque, quotcumque excellentiam habent aliquam, statuas decerneremus? quæ sane non decernerentur, nisi quamdam haberent observantiæ, & honoris declarationem. Manifesto etiam constat, sacras imagines Christi, Sanctorumque honori verti,

ti,

ti, quos quidem in iisdem imaginibus multiplici obsequii argumento veneramur, & colimus.

III. Sed ut ad emolumẽta, quæ ex sacris imaginibus Fideles percipiunt, revertar, præter quã quod probabilitatem habent maximam, nituntur etiã S. Bonaventuræ auctoritate, qui quamvis imaginũ fines in tres dividat; ut doceantur scilicet homines, ut ad virtutem excitentur, ut demum, quæ exciderant, ad memoriam revocentur; mihi tamen omnia ad duo prima capita referri posse videntur; est enim quædam docendi ratio, si qua exciderint, eadem iterum ad mentem revocare. Quamquã in his divisionibus subtilitas tanta (meo quidẽ judicio) non est requirenda. Audiamus primũ Bonaventurã ipsum, tum de potioribus, quæ ex sacris imaginibus percipi solent, emolumentis pauca dicamus. Sic ergo ait Bonaventura. (a) *Imaginum introductio in Ecclesia non fuit absque rationabili causa: introductæ enim fuerunt propter triplicem causam: videlicet propter simplicium ruditatem, propter affectuum tarditatem, & propter memoriæ labilitatem. Propter simplicium ruditatem inventæ sunt, ut simplices, qui non possunt Scripturas legere, in hujusmodi sculpturis, & picturis, tamquam in Scripturis apertius possint Sacramenta nostræ fidei legere. Propter affectus tarditatẽ similiter introductæ sunt, videlicet ut homines, qui non excitantur ad devotionem in his, quæ pro nobis Christus gessit, dum illa aure percipiunt, saltem excitentur, dum eadem in sculpturis, atque picturis tamquam præsentia oculis corporeis cernunt: Plus enim excitatur affectus noster per ea, quæ videt, quàm per ea, quæ audit. Unde Horatius de arte poetica:*

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Tertio imagines sunt introductæ propter memoriæ labilitatem: quia ea, quæ audiuntur solum, facilius traduntur oblivioni, quàm ea, quæ videntur . . . . Ideo dispensatione Dei factum est, ut imagines fierent (præsertim in Ecclesiis) ut videntes eas recordaremur de beneficiis nobis impensis, & Sanctorum operibus virtuosis.

IV. Idem fere paucioribus verbis significant Rupertus Holkoth (b), & Bernardinus Senensis (c).

V. Atque ad primum quidem caput pertinere facile potest id, quod tamen non admodum frequens est, ut scilicet, si quando sibi per visum appareant Sancti, quinam

(a) in tertium sententiarum distin. 9. quæst. 2.

(b) lectione 158. *in librũ Sapientiæ* pag. 525. Operum Holkoth anno 1586. editorum.

(c) tom. 1. sermone 26. id est sermone recitato tertia Quadragesimæ Dominica. ar. 3. cap. 1.

apparuerint, Fideles noverint. Profecto quod de Francisco Xaverio recentiores historici, cum Neapoli Mastrillo apparuit, Veteres de aliis docent; quemadmodum de S. Sabino Paulus Diaconus tradit, (d) B. Sabinum scilicet Ariulpho, cui præsens opem tulerat, non nisi ex pictura fuisse cognitum. En quæ dixi Pauli Diaconi verba. *Ariulphus equo desiliens eamdem Basilicam conspecturus intravit. Tunc orantibus aliis, ipse picturas ejusdem Ecclesiæ mirari cœpit. Qui cum figuram B. Martyris Sabini depictam conspexisset, mox cum juramento affirmavit dicens: talem omnino eum virum, qui se in bello protexerat, formam, habitumque habuisse. Tunc intellectum est, Beatum Martyrem Sabinum eidem in prælio adjutorium contulisse.* Sed hæc, quorum exempla alia extant (*), perrara, atque extraordinaria omittamus.

VI. Quis porro documento imagines sacras esse negabit, postquam ad ea adverterit animum, quæ alibi hoc de argumento diximus? (*) At ita documento eæ sunt, ut ad virtutem, & ad illustria gesta nos incitent. Cum enim persæpe res sancte, & præclare gestas referant, alieno exemplo nos docent quid agere debeamus. Hanc sane ob causam picturas, quæ veteris testamenti historias exprimerent, omnium oculis exponi jussit Paulinus, hæc elocutus (e):

sanctasque legenti
Historias castorum operum subrepit honestas
Exemplis inducta piis.

Itaque Paulini, aliorumque Veterum, quos Synodus Nicæna II., Damascenus, & nostri Theologi sæpissime allegant, monitis, atque experientiæ ipsi adhæsit Gregorius II. dum in priore ad Leonem Isaurū epistola, hæc scribit (f): *Qualem quæso ædificationem, & cursum eorum, qui recte currebant, interrupisti? Novit caritas Christi. Nos ipsi cum Ecclesiam ingredimur, & miraculorum Domini Jesu Christi picturas contemplamur, & Sanctæ Matris ejus Dominum, Deumque nostrum lactentem in ulnis habentis, Angelosque circumstantes, ac ter Sanctum hymnum canentes, non sine compunctione regredimur. Ecquis enim non compungitur, & luget similiter intuens, & vasa lavacri, & Sacerdotes in Orbem circumstantes, & mysticam cœnā, & cæcorum illuminationem, & Lazari exsuscitationem, & leprosi, ac paralytici curationem, recubitus in herba, co-*

phi-

(d) cap. 17. alias 15. libri quarti *de Gestis Langobardorum*.

(*) Exemplum manifestū habes in *Epistola Nili ad Theodo. Silentia.* allegata actio. 4. Conci. II. Nicæni pag. 874. & in attestatione Theodori Myrorum Episcopi [ibi pag. 875.] Eximium pariter exemplum præbet Gregorius Turonicus cap. 10. libri *de glor. Marty.* Nicæni quoque II. Patres eodem respicere videntur, cum *crebras depictorum in somnis visiones* memorant, & aperte testantur, *sæpe in somnis apparentes optima quaque nobis consulere* (act. 4. pag. 963. & 1427.) Affine quodpiam occurrit in vita Joannis Chrysostomi a Damasceno allegata (in testimoniis) pag. 328. to. 1. editionis Lequien.

(e) In Natali X. D. Fælicis v. 589.

(f) tom. VIII. Conci. col. 651. at testimonium, quod adducitur, extat col. 659.

phinos, sportas, & reliquias, Montis Thabor Transfigurationem, Crucifixionem Christi, sepulturam ejus, & Resurrectionem, Sanctam Ascensionem, & Spiritus Sancti descensum? Quis picturam Abrahæ cernens, & gladium pueri cervicibus imminentem, non compungitur, & collacrymatur? & in universum omnes Domini passiones?

VII. Quod si vultus tantum sive Christi, sive Mariæ, sive Sanctorum aliorum, eæ imagines repræsentant, nihilominus gestarum rerum memoriam in nobis excitant, docentesque quid nos agere deceat, ut illos imitemur, insinuant etiam, & stimulos addunt ad virtutem. Non alienum puto, Gregorii Theologi jambicos versus hoc loco adducere; id enim referunt, quod & ad rem facit, & sunt a Synodo II. Nicæna actione quarta probati. En jambici versus, ut sunt in latinam Linguam conversi in editione Labbei, & Cossartii. (g)

(g) act. 4. pag. 854.

Nec Polemon a me silentio præteribit:
Etenim miraculũ est ex illis, quæ oppido sunt prædicanda,
Erat quidem prius iste non inter pudicos,
Et valde turpis voluptatum minister.
Ast cum affectu boni detentus esset,
Consiliarium inveniens (non autem habeo dicere quem)
Sive ergo sapientem aliquem, sive semet, audacter
Tantum apparuit passionibus superior,
Ut unum quoddam ponam miraculorum ejus.
Meretricem advocat quidam incontinens juvenis:
Quæ cum juxta portam venisset, ut ajunt,
In qua erat prospiciens Polemon in icona:
Hanc cum vidisset [etenim erat colenda]
Abiit confestim, & aspectu superata,
Ut viventem verecundata depictum.

VIII. Hinc Damascenus (*) explicans verba illa Basilii. „ *Age dum ipsos in medium per qualemcumque*
„ *comemorationem nostram adducentes, strenuaque virorum*
„ *facta, velut in tabella cunctorum exhibentes oculis,*
„ *communem adstantibus procuremus utilitatem*: Item hæc
„ alia: *Quæ enim in bello fortiter gesta sunt, ea sæ-*
„ *pe numero tum oratores explicant, tum pictores: illi*
„ *quidem verbis exornantes, hi vero tabellis imprimentes:*
„ *quo quidem pacto multos utrique ad præclara facinora*
„ *incenderunt. Nam quæ auribus proponit oratio, eadem*
„ *silens figura per imitationem ostendit.* „ hæc edisserit: „ Quibus, obsecro, verbis clarius posset demon-

(*) oratione prima de *imaginibus*: *in priscis probatisque sanctorum Patrum testimoniis* (pag. 323. tom. 1. editio. Lequien.)

„ stra-

„ ſtrari, apud illiteratos, librorum loco imagines eſ-
„ ſe, & Sanctorum gloriæ minime mutos præcones;
„ quippe quæ voce quadam tacita eos, qui ſe intuen-
„ tur, docent, ſanctitatemque viſui conciliant? Quan-
„ do mihi non ſuppetunt libri, nec lectioni poſſum va-
„ care, cogitationum aculeis, perinde ac ſpinis compun-
„ ctus, ad Eccleſiam, animarum Medici officinam com-
„ munem pergo: aſpectum movent picturæ flores, at-
„ que ad inſtar prati, viſum oblectant meum, & Dei
„ gloriam ſenſim inſtillant animo. “

IX. Gregorii quoque II. præclara ſunt monita illa, quæ hic referre neceſſe duxi: (b) *Novit Caritas Chriſti, quando templum Sancti Principis Apoſtolorum Petri ingredimur, & Sancti pictam imaginem contemplamur, compunctione percellimur, & inſtar imbris pluente cælo, lacrymæ noſtræ funduntur.* Hic etiam recole ea Hadriani I. verba, quæ capite 68. [*] allegavimus, id namque, quod nunc agimus, mirum in modum confirmant (*).

X. Immo majorem quandam ſermone ipſo, atque oratione vim habere imagines, monuerunt nonnulli, atque in primis *Joannes Presbyter, & locum retinens Apoſtolicarum Sedium Orientis*, dum (i) hæc ſubdidit: *Itaque major eſt imago ſermone, & hoc Dei providentia factum eſt propter idiotas homines.* (*) Fortaſſe quia multo diutius permanet, ideoque conſtantius in noſtros agit animos imago, aut quia ſermonem, præſertim ſi elatior, aut elegans is ſit, minime percipiunt hebetes, picturas autem facile percipiunt, ſi aliqua ſaltem explicatio acceſſerit: quam ob cauſam Paulinus picturis, quas propoſuerat, verſiculos, qui hiſtoriam explicarent, adjunxit. (*)

Quæ ſuper exprimitur titulis, ut litera monſtret,
Quod manus explicuit. (*)

XI. Jam vero mirari deſines, cur Gregorius Magnus Serenum Maſſilienſem Epiſcopum reprehenderit maxime, quod imagines ſacras fregerit. *Et quidem* (inquit ille) *zelum nos, ne quid manufactum adorari poſſit, habuiſſe laudamus: Id circo enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut hi, qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent.* (k) Horum ſimillima alibi docet (l). Deſines etiam mirari, cur interdum Sancti Patres, ut altius auditorum animis res imprimerent, pictores veluti in-

ſub-

(b) in priore ad Leon. Iſau. Epiſto. pag. 658. to. 8. Conc.

(*) §. 13.

(*) Damaſcenus id pariter tradit 4. *de fide* cap. olim 17. nunc 16.

(i) in Concilii Nicæni II. actione quarta pag. 862.

(*) Eadem docent Bonaventura paulo ante allegatus §. 3. Et Durandus *Ratio. divin. offic.* li. 1. ca. 3. n. 4. *pictura namque plus videtur movere animum &c.*

(*) v. 584. Natalis IX.

(*) Vide quæ diximus capi. 69. §. 9. & 10.

(k) Epiſtola cxı. libri 7. indictione ſecunda. In editio. S. Mauri lib. 9. epiſt. 105.

(l) epiſtola ıx. libri 9. indictione 4. In editione S. Mauri *lib.* 11. epiſto. 13.

ſubſidium dictorum ſuorum advocarint, eorumque arte vehementius ingerere ſpectatorum mentibus ſacras hiſtorias ſtuduerint. Hoc modo Baſilius (niſi nos conjectura probabilis decipit, & eum ſane propterea Damaſcenus (m), & Patres VII. Synodi commendant:) ad pictores ſermonem convertit; quæ verba cum alibi retulerim, hic repetere non eſt neceſſe.

(m) Vide §. 3. capitis 62.

XII. Sed & huc apprime pertinet, quod ex auctore libri *de cæleſti hierarchia* de picturis referentibus Angelos allegat Hadrianus Papa, cujus interpretatione, tametſi non admodum probata, uti libet. (n) ,, Prædicta enim incorporea agmina diverſis coloribus ,, effigurantur, & compoſitionibus varios per colores ,, tradidit, quatenus tacite noſmet ipſos per ſacratiſ- ,, ſimas effigies ad ſimplices, & incorporales pia men- ,, te tranſeamus. Etenim impoſſibile eſt, noſtra men- ,, te ad incorpoream illam pertingere cæleſtis militiæ ,, imitationem, viſionemque, niſi per elementorum ,, viſibilem effigiem &c. ,,

(n) in epiſto. ad Carol. M. *in defenſione ſacra. imagi.* ſectio. 1. cap. 36. pag. 1570. tom. 8. Conci.

XIII. Quid plura? tantas interdum amoris, & caritatis flammas non modo in ſanctiſſimis fæminis, ſed etiam in ſapientiſſimis Viris, religioſæ, ſanctæque imagines excitarunt, ut ſubito, ac pio ardoris æſtu correpti ſic imagines ipſas oſcularentur, amplecterentur, alloquerentur, quaſi non imagines, ſed perſonas ipſas haberent præ oculis: tantum in illis potuit cogitationis, & memoriæ vis ab imaginibus excitata. Sic Mariam Ægyptiacam non aliter cum Deiparæ imagine colloqui interdum ſolitam fuiſſe ferunt, quàm ſi cum Deipara ipſa eſſet collocuta. Non aliam ſane alloquebatur ſancta illa mulier, niſi Deiparam, quamquã ad phantaſiæ, & animi vim adjuvandam, imaginem reſpiciebat. De re autem ipſa dubitare nos minime ſinit Joannes Damaſcenus, qui idem exſcripſit (*) oratione prima de imaginibus (o); ubi etiam [ne id fæminis tantum accidiſſe putes] ſimile quidpiam de Chryſoſtomo narrat; quod etiam tradit vetuſtus ſcriptor vitæ ipſius Chryſoſtomi, quem ſcriptorem Damaſcenus legerat. En verba ipſa Damaſceni. ,, Habebat por- ,, ro ejuſdem Apoſtoli Pauli in imagine deſcriptam ef- ,, figiem eo in loco, ubi propter corporis imbecillita- ,, tem tantiſper quieſcebat.... In hanc ille imaginem, ,, cum epiſtolas Pauli legeret, oculos intendens, ita

(*) in teſtimoniis pag. 328. to. 1. editio. Le-quien.

(o) *legitur eam ad imaginem Dominæ noſtræ ſupplicaſſe &c.*

,, de-

„ defigebat, ut beatum eum prædicans, fibique repræ- „ fentans, cogitationem omnem ad ipfum dirigeret, ac „ per contemplationem cum ipfo converfaretur. „ Generatim autem hæc tradit Gregorius II. (p) „ Ac „ fi quidem imago fit Domini, dicimus: Domine Jefu „ Chrifte Fili Dei, fuccurre, ac falva nos: fin autem fan- „ ctæ matris ejus, dicimus: Sancta Dei Genitrix Domi- „ ni Mater, intercede apud filium tuum... fin vero Mar- „ tyris: Sancte Stephane, qui pro Chrifto fanguinem „ tuum fudifti, qui ut protomartyr loquendi confidentiã „ habes, intercede pro nobis. Et de quovis Marty- „ re, qui paffus eft Martyrium, ita dicimus. „

(p) in priore ad Leonem Ifau. epifto. pag. 658. to. 8. Concilio.

XIV. Longus porro fim, ac prope infinitus, fi omnia recenfere veli beneficia, quæ per imagines fuas Chriftus, & fancti homines contulerunt; quibus fane beneficiis Chriftiani ad inftituendas, retinendafque imagines pietate fua jam inclinati, inclinatiores etiam facti funt. Et primùm quidem, quod jam diximus de Polemonis imagine, id fatis comprobat. Quod enim beneficium majus fingi poterat, quàm tentationem vehementiffimam vincere, ideoque Dæmonem in fugã vertere? Quamquam id quidem non illius tantum imaginis proprium fuiffe, fed prope omnibus commune, docet Leontius Epifcopus Neapoleos Cypri, cujus fermo quintus, quem infcriptum vidi ad hunc modum: *Pro Chriftianorum Apologia contra Judæos, ac de imaginibus Sanctorum:* totùs fortaffe, vel maxima certe ex parte recitatur actione IV. Concilii Nicæni II. ubi hæc ipfa leguntur verba: (q) *Per reliquias Martyrum, & imagines multotiens effugantur Dæmonia.* Eadem in actione Joannes Epifcopus Tauromeniæ apertiffime teftatus eft (r), *Per imagines Anaftafii malos fugari Dæmones.* Multa etiam in eà dicuntur de miraculis per ejufdem Anaftafii imagines non femel editis, ut plane intelligas, non folum adverfus Dæmones, fed etiam adverfus mala omnia multum femper Sanctorum imagines valuiffe. Itaque Joannes Presbyter Monachus, & Vicarius Orientalium Pontificum hæc in Concilio repofuit (f): *Ad ea, quæ dicta funt, oftenfum eft ex his, quæ lecta funt, quia & imagines Sanctorum miracula operantur, & fanitates perficiunt.* His adde illa, quæ in illo eodem Concilio dicuntur tum pag. 871. tum etiã 891. & fequentibus; præfertim vero confule pag. 914. & fequentes. Quod fi adhuc alia dedu-

(q) Hæc verba extant pag. 890.
(r) pag. 866.

(f) act. 4. pag. 866.

desideras, videsis caput 81. *Prati spiritualis*. Mitto recentiores historias, ut illis indulgeam, qui nihil præter antiquitatem amare didicerunt: sed nemo ignorat, eas hujusmodi exemplis, eisque certissimis esse refertissimas.

XV. Quæ cum ita sint, mirum sane non est, hanc imaginũ sacrarũ consuetudinẽ invaluisse apud Christianos, atque in dies magis magisque, ac tam longe, lateque per omnes Catholicorum Ecclesias esse pervagatam. Utilitate enim movetur quisque quàm maxime. Audi de Simeone Stylita, Theodoretus quid doceat. (*) *Ajunt enim, hunc virum in maxima Roma laudatissimum fuisse, ut in omnibus ergasteriorum foribus iconas breves erigerent, custodiam quamdam sibi ex hoc, & munimen requirentes.* Atque horum quidem exemplum si nos sequamur, experimento ipso comperiemus, sacras imagines documento nobis futuras esse, ac præsidio.

[*] in Simeon.

CUNCTA ROMANÆ ECCLESIÆ JUDICIO SUBJECTA SUNTO.

Lectori.

E Litterariarum Ephemeridum Scriptoribus Florentinis accepimus, Joannem Rodulphum, Keslingium publicum in Lipsiensi Accademia Professorem, dissertationes multas emisisse adversus nostros *de Cultu Sanctorum* libros. Has nondum vidimus. Sed si ad manus nostras pervenerint, (quod vehementer cupimus) dabimus operam, ut celeberrimo auctori satisfaciamus.

INDEX

Rerum præcipuarum, quæ in hac dissertatione continentur.

Cum unicam tantum hæc secundi Tomi pars dissertationem complectatur, eum in indice omisimus numerum, qui dissertationem notet, ideoque eum, qui Romano charactere exprimitur. Ex duobus itaque numeris arabicis, prior caput, paragraphum innuit alter.

A

(*) per typographorum errorem caput hoc repetitum cum sit, postremum consule.

B

C

Ga-

G

H

I

(*) in margine.

O

P

Q

R

S

(*) in margine.

ra

T

V

(*) in margine.

FINIS.